

EAE
PRILA
RIENSI


ÆNEAE
CAPRILA
DE
FERRARIENSI
1591









214

[illegible]NEAE CAPRILII
FERRARIENSIS
[illegible] AVRATI PHILOSOPHI
AC MEDICI

[illegible]

FERRARIAE,

[illegible]

PII AENEAE CAPRILII FERRARIENSIS EQVITIS AVRATI PHILOSOPHI AC MEDICI

Practicam Medicinæ partem in FERRARIENSI Academia ordinariè profitentis.

LIBRI DVO, QVORVM PRIMVS EST de Febribus putridis in genere, alter in Spetie.

IN QVIBVS PRAETER EXACTISSIMAM harum Febrium doctrinam, quamplures etiam Hippocratis, Galeni, & aliorum Auctorum Controuersiæ, lociq; difficiles explicantur.

Cum duplici indice altero rerum ac verborum notabilium locupletissimo, altero Auctorum qui in opere citantur.

AD SERENISS. PRINCIPEM ALPHONSVM II. FERRARIAE DVCEM.



FERRARIAE,

Excudebat Benedictus Mammarellus. *M. D. XCI.*

ALPHONSO II.
SERENISS. DVCI FERRARIAE, ETC.



Pius Æneas Caprilius Felicitatem.



HOMINEM, non sibi tantum, sed ceteris etiam hominibus natum esse; & veteri sapientissimi Platonis auctoritate sancitum est, & quotidianis optimi, atq; humanissimi cuiusq; laboribus, ac monimentis confirmari video, DVX SERENISS. Id, ne longius abeatur, Excelsitas tua, regiæ maiestati proxima, tot Principum, Regum, & Cæsarum sanguine purpurascens, inde vsque ab eo tempore, quo in hoc celeberrimo Principatu cœpit elucere, semper vsque adeo declarauit; vt nequaquam sit opus, Codros, Epaminondas, Diones; Horatios, Fabios, Decios in hanc sententiam nominare. Dicent alii, quibus magnum flumen ingenii tributum est, ditionem hanc tuam vniuersam, ac singulas eiusdem partes, in summa securitate, concordia, tranquillitate; inexplicabili vigilantia, sapientiaque tua, & consilio quodam prorsus admirabili, perpetuo custoditam. Commemorabunt Ferrariensem hanc ciuitatem, reliquarum caput, ac Principem, tum sæpe aliàs, tum verò hoc præsertim anno, in tanta, tamque miserabili circumcursantium latronum copia, & caritate annonæ, inusitatis extructis machinis, & grauissimo instituto magistratu, felici denique tuorum quiete militum, ac ciuium; saluam, tectam, & incolumem, à

te, vere paterna cura, inuictaque prouidentia conseruatam. Cum vero sit hoc natura comparatum, vt quales esse studeant ciuitatum Principes, tales reliqui conentur esse ciues: habuisti semper DVX Optime, atque habes, in hac florentissima Tetrarchia, complures imitatores, in suo quemq; genere bonitatis, & beneficentiæ tuæ. Inter hos vtrum equidem numerer, aliorum esto iudicium; numerari me quidem certe vehementer opto. Hac incensus cupiditate, cum in omni vita, tum ab eo potissimum die, quo ex philosophiæ, medicinæq; studiis institui fructus nonnullos colligere, omne meum tempus, non domesticorum duntaxat, & familiarium meorum, sed aliorum quoq; ciuium opportunitatibus, publice, priuatimq; transmittendum putaui. In hoc voluntario assiduoq; labore, cum permultos iam annos, Dei immortalis beneficio perstiterim, opere pretium aliquod fecisse cuipiam fortasse videor. ex omnibus certe vigiliarum mearum monimentis, duos hosce libros, in quibus de febribus iis, quarum vi tam crebro vexantur nostra corpora, vtcunq; disseritur, vulgare, in intemperato potissimum horum annorum temperamento, non dubitaui; quamplurimorum vtilitatibus, & commodis, quam fieri possit celerrime, & diutissime consulturus. Neque vero fuit mihi difficilis deliberatio, vtrum eos gloriosissimæ Excelsitati tuæ dedicarem, cum non modo Sereniss. BARBARAE Reginæ Hungariæ, & Bohemiæ, &c. Archiducissę Austriæ &c. vxoris quondam tuæ, cuius felicissima est memoria, me, dum viueret, mederi, qua fuisti semper humanitate, volueris; sed quod, hos ipsos libros, & nobilissima imitatio tui pepererit, & plane miranda tuæ benignitatis, & clementię gloria nutriuerit, quantumq; in illa fuit excoluerit, *ac perfecerit. Vnum illud superest, DVX Inuicte,* quem perpetuo felicem esse vehementer cupio, vt hoc pii, gratique in te animi mei qualecunq; pignus, humaniter, vt cætera soles, excipias. quod profectò futurum confido, cum tu pro ea, in qua tantopere excellis, prudentia, & sapientia pręclarè cognitum habeas; excelsi, ac humanissimi Principis non minus esse, parua à priuatis hominibus munera libenter accipere, quam magna in populos vniuersos beneficia benigne conferre. Ferrariæ Kal. Quintil. M. D. XCI.



IN LIBROS
PII ÆNEÆ CAPRILII
de Febribus putridis, Academicorum Partheniorum Ferrariensium,
IN GYMNASIO SOCIETATIS IESV sedem habentium, Carmina.



ELEGIA.



LABERE iam gelidis grauior Ferraria ripis,
Lætior & virides exere ab amne comas:
Aurea Cecropidum referes diademata regum;
Et tibi blanda Coi littoris vnda fluet.
Ipse tuas remeans Epidaurius incolet arces;
Ipsa tuos vultus Pergama victa colent.
En Pius antiquas renouat Caprilius artes,
Putreque labenti pellit ab orbe malum:
Cerne refulgentes in sæcula mille labores,
Cerne serenantes pallida membra dapes.
Hunc resonent vates; celsa hunc ad sydera ferre
Certet apollinei gloria sacra chori.
Tuque Vrbs, Vrbs felix, tantos iam suspice honores,
Suspice, & in laudes munera pande tuas.
Aeneæ monumenta Pij sub nubila conde;
Hinc tibi, perpetuo lumine, fulget honos:
Hæc tua lethales mulcent per membra calores,
Funereos rapiunt hæc tibi dona dies.
Ferrum putre nitet, putrentia corpora sanans;
Proh quanta est doctis fama voluminibus?
Aes illi, ac triplex circum præcordia ferrum,
Dalmatico & septum marmore pectus erat;
Qui primus fugientem animam substringere membris
Tentauit, medica nobilitatus ope:
Tollere quique homines ausus de faucibus Orci,
Nec stygij metuit colla tremenda canis;
Corporis atque imos viui penetrare recessus,
Nosseque centena fœdera iuncta fide.

Non ille occultis certantia frigora flammis
Horruit, aut siccis humida corporibus:
Ingentes non ille acies, fremitusque dolorum;
Nec timuit miseris corda agitata modis.
Perfide, nequicquam primis mortalibus anguis,
Pomifero implexos tendis in orbe dolos:
Et bona pectoribus celer eijcis omnia nostris;
Si tamen hæc medicæ restituere manus.
Audaces homines fallacia signa secuti,
Numinis æterni concupiere iubar:
Poma graui gustu nocitura nepotibus olim,
(Heu factum infelix) triuit auarus amor.
Post, vbi sunt vetitos ausi decerpere fœtus,
Temnere & immensi iussa verenda Patris;
Pallida tum macies, crudeli & tormine febres,
Horribili terris incubuere sono:
Hinc dolor, hinc lachrymæ, & gemitus, hinc turpis egestas,
Hinc rixa, hinc bellum, mors & amara ruit.
Haud tulit has clades mitissimus Arbiter orbis,
Cum statuit rebus ferre misertus opem.
Te Medicina potens, ægris mortalibus, alto
Demisit cælo, cui comes alma Salus.
Inde salutiferis onerata liquoribus vinas,
Eripis innumera languida membra lue.
Tu vitæ spes fida hominum, donum ætheris alti;
Te duce, mortales fulmina mortis amant.
Te duce, diuinas imitantur in horrida vires
Monstra, rebellantem queis acheronta domant.
Felix CAPRILI, tanto celeberrime honore,
Quo potis es celso figere castra polo.
Fortunata Ducum genitrix Ferraria, gaude;
Inque nouum Superis fer pia vota decus.

Alphonsi Gilioli Comitis, Cognomento Theophanij.

Ad librum Dialogismus.

QVO liber ò scandis? celsi DVCIS atria tento.
Quis iubet? Aeneas gente, animoque pius.
Quis comes assequitur? mittentis mens pia. quis te
offeret Heroi? Principis altus amor.
Nec pudor absterret? non regia tecta recusas
Ipse humilis? Reges vilia condecorant.
Dux petit inuictam per martia prælia laudem;
Nobile cui pariunt mitia facta decus.
I liber, i felix tanto munimine dignus;
Hoc tibi marmorei tegminis instar erit.

Ludouici Mauri, Hidonomachi.

Ad librum Gratulatio.

FORTVNATE liber, titulos cui claudere tales
Contigit, ah quanti pignus honoris habes?

Nicolai Gualengui, Vranij.

Ad Auctorem Epigramma.

DICITVR implumes generosa Ciconia pullos,
Longe abiens, platani condere fronde suos:
Quam si forte audax contingat noctua, iniquam
Fascinet & folium, tutaque eat soboles.
Si quis Caprili, tua casus pectora turbet,
Aut procul à patrio cogat abesse lari:
Scripta edens, infirma tegis bene corpora, ciues
Reddis & incolumes semper vbique tuos.

Dominici Campij, Theophili.

Ad Librum Distichon.

INVIDIAE nullos metuas liber inclyte dentes;
Inuidia, ALPHONSI nomine, maior eris.

Francisci Calcetij, Sophronij.

De huius operis vtilitate Tetrastichon.

QVAE mala diffudit miserum Pandora per orbem
Post, vbi sobductus fulgor ab axe fuit:
Hæc Pius Aeneas toto depellit ab orbe;
Hæc maciem, hæc febres alma flagella fugant.

Benedicti Syluestrij, Aristoclis,

Ad Auctorem Distichon.

DVM celebras putrem ventura in sæcula febrim,
Caprili, per te languida febris erit.

Alphonsi Gualengui Cl. Philandrij.

Ad eundem, Oda.

CAPRILI egregijs inclyte cœtibus
Vitalis sophiæ, nobilis atq; Eques:
Fulgor Castalidum; littore Atestio,
Qui sacri renouas nomina littoris.
Sunt quos dulcisonis otia cantibus
Transegisse iuuat; somnus & altior:
Condimenta dapum, prataq; gramine
Dum rident viridi; mollis & arbutus,
Syluarum dominos euehit ad polos.

Hunc si magnanimûm splendida Principum
Tentet purpureis pingere honoribus
Aula. hunc si spatijs congerat horrei
Quæcunque hadriacus demetit Appulus:
Condentem patrijs mella sub amphoris;
Radentemq; suo gramina sarculo;
Vel si perpetuas congemines preces,
Haud flectas, libyci tutus vt æquoris,
Mercator cupiat nobilior vada.
Hic pisces placido marmore decipit:
Ast ille, aut lepores, per sata concitus
Sectatur; tenues aut merulis plagas
Tendit: siue ad aquæ lene caput iacet.
AENEA, te hederæ pignora temporum
Doctorum decorant: tu vigil, omnium
Noctes, atque dies, commoda præparas.
Te sudor nullus, nullus & otij
Languor, pellendis febribus abstrahit:
Tu semper validis alma doloribus,
Opponis medici spicula germinis.
O gentis rutilans fama Capriliæ,
Quam prisci celebrant Romulidum sophi:
Tu prudens, etiam funera post tua,
Duratura pius munera conficis.
Prodite ò citius clara volumina,
Arcete ò miseris agmina febrium:
Serpentes perimat sacra Ciconia.
Prodite: en rabidos inuidiæ metus,
ALFONSI remouent sæcula Principis.
Alfonsi Gualengui Pr. Parthenij.

De huius operis doctrina, Distichon.

HIPPOCRATES, Auicenna vno, Galenus & æuo
Florent; Caprilius dissita sæcla refert.
Ludouici Pannini Pædeugeni.

Ad Auctorem operis, Emblema.

INSIGNIS, colubrum, virtute Ciconia mordens,
Est gentilitijs grande nomisma tuis.
Quam bene conueniunt tua factis stemmata? dirum
Illa genus vexat, pellit ab orbe procul.
Tu genus humanum sæuis languoribus arces;
Per te destituit feruida membra calor.
Hoc tibi dissimile est: necat, alta Ciconia, viuens;
Ipse per omne æuum, pocula casta paras.
Iacobi Trotti Lamproclis.

Ad

Ad Auctorem de libri patrocinio, Distichon Iambic.

REGINA volucrum præpotens, Ciconia
Fœtus tuetur, abeat hinc platanus, tuos.
Alberti Baldratij, Philistoris.

De grato animo, & pietate Auctoris in patriam, ad Lectorem Epigramma.

CONFECTAM senio, pietate Ciconia fulgens
Fert humeris matrem, porrigit ore dapes.
Detrahit errantes pennas, & corpora nidis
Imposita antiquis, irrequieta fouet.
En Pius Aeneas, medici rota lucida solis,
Caprilij columen germinis, altus Eques.
Quæ bona donarat puero Ferraria quondam;
Ingenium, vires, pignora & artis, opes:
Hæc bona iam senior patriæ dat gratus amatæ:
Redde fidem dictis, hæc monumenta docent.
Andreæ Lilij, Euanois.

Ad Auctorem, de Gloria eius operis, Distichon Hexam.

PVTRIDA dum toti referas symptomata mundo,
Integra multiplici tua marmore nomina cœlas.
Iulij Cæsaris Cœlati, Autonici.

Epigramma, in quo comparatur Pius Aeneas Caprilius, cum Aenea pio Troiano.

INSIGNEM pietate ducem super æthera ferre,
Desine iam Tenedos, desine iam Latium:
Eridano flauus Tyberis, Simoisque recurrant;
Eridani, maius promicat ecce iubar.
Troius Aeneas per tristia tela, per ignes,
Impiger ad montem sustulit ipse patrem.
At Pius Aeneas, pia quo Ferraria gestit,
Flammiuomo ciues eripit hoste suos:
Quo ue Italis cunctis, pharijs quo prosit, & Indis,
Lecta salutifera proijcit arma manu.
Horatij Smiraldi, Euphronij.

Liber ad Lectorem.

LETHALIS ne membra tibi calor occupet artus,
Huc venio, Lector, tegmina tuta, liber.
Petri Vassaiæ, Epimelis.


Liber

Liber de sui Patrocinij maiestate.

AERA procul cedant, cedant & marmora, possem.
Summa vbi perpetuis sculpier arte notis:
Tolle colorantes æterna volumina cedros,
Neu decorent facies aurea serta meas:
Sit satis ALPHONSI radiantia nomina ferre,
Vnus pro cunctis, omnia præstat honos.

Herculis Romæi Com. Philareti.

FINIS.



Optimo Lectori, Pius Aeneas Caprilius. S.

MEdicinam, valetudinis inuentricem, & conseruatricem nostrorum corporum; à plurimis, tum veteribus, tum recentioribus huius disciplinæ peritis; vel totam, vel per singulas partes, immortali cum industriæ, ingenijq; gloria tractatã, ac celebratam esse, vsq; eo constat inter omnes, vt insignis ad id, siue probandum, siue indicãdum orationis longitudo requiri nulla plane videatur. Prætereo igitur Appollinem, quem ob singularem nostræ huius doctrinæ cognitionem, fictis quidem fabulis, sed quæ veram historiæ medullam, hoc est, miram illius in hoc genere præstantiam continerent, in numero suorũ Deorum antiquitas collocauit. Reticeo Aesculapium Apollinis filium, qui à nonnullis existimatus est medicæ philosophię inuentor extitisse; cuius ope ipsos etiã mortuos, iccirco per fabelarum simbola doctissimi homines ab inferis excitatos esse dixere, quod is medicinæ scientissimus, in summam corporeæ salutis desperationem adductos, ad spem persępe reuocaret; perfectæque nonnunquam valetudini restitueret. Missus fiat Acron Agrigentinus, Aristogenes Thasius, Apollodori duo, Tarentinus, & Scyllæus; Antonius Musa Augusti medicus, atque alij complures medicam sapientiam cultores, & antistites vetustissimi. Reticeatur cum cœteris Epicharmus Cous Pythagoræ auditor, cuius de rerum natura, deq; nostri corporis curandi scientia cõmentarios, adhuc in Bibliotheca Vaticana extare asseuerat Volaterranus: Nam de Hippocrate item Coo, quid memorem, nonne hunc excellenti ingenio, eruditione, iuditio, experientia pręclarissimum, apud Perdicam Macedonum regem, admirabili familiaritate vixisse: ab Artaxerse autem rege Persarum in familiam expetitum, & perhonorifice inuitatum; veteres etiam, eæq; celeberrimæ historiæ prædicarunt? Galenus vero Asiaticus, Pergamenus quem Traiani Cæsaris tempestate floruisse legimus, quemq; præter cęteros Auic. illustris in primis ab hinc annos circiter CCCC, philosophus, ac medicus, Medicorum Principem nominauit: quis ignorat quantopere Hippocratem ipsum, atq; adeo Medicinam vniuersam, scriptis suis, & lucubrationibus plurimis atq; eruditissimis illustrauerit? Omitto Aetium, Paulum Aeginetam, Alexandrum Tralianum, Cornelium Celsum, Oribasium, egregios Galenicæ doctrinæ imitatores. Nihil cõmemorabo de Leoniceno, Manardo, Antonio Musa Brasauolo præceptore meo æterna laude dignissimo, Trincauelio, Montano, Altimaro, Argenterio, Christophoro à Vega, & recentioribus Hieronimo nempe Mercuriali, Hieronimo Brasauolo Musæ filio, atq; alijs, qui maiorum, & patrum nostrorum, nostraq; memoria, medica facultate, suis & laboribus, & voluminibus amplificata, magnam sibi apud nos, posterosque nostros nominis celebritatem compararunt. Horum ego præstantissimornm virorum, immortalitate digna manumenta, dum mecum ipse reputabã ex eo tempore, quo animum ad hos libros meos publicæ vtilitati exponendos applicare cœpi, ab editione deterreri me nescio quo pacto sentiebam: verebar enim ne vel superbiæ, vel leuitatis crimen incurrerem; hoc, si noctuas, vt dicitur, Athenas afferem; illud, si rem, tam multis, tamq; illustribus ingeniosissimorum hominum scriptis, laboribusq; clarissimam, reddi posse arbitrarer his libris, nec vsquequaque longis, & communi, vt aiunt, Minerua compositis, clariorem. Verum enimuero, mihi rem totam paulo attentius, & apud me consideranti, & cum viris, prudentia, ingenio, doctrinaque, nobilibus expendenti; visum tandem est, primo illo pene subrustico pudore deposito, posse me, ac debere potius institutum ad cõmune bonum opus, diuturnisq; multorum annorum cogitationibus, & experimentis auctum, vtcunque perficere, ac in hominum lucem, aspectumq; proferre. Nam arrogantiæ quidem notã effugere me posse spero; qui vetus medicinæ decus, non tam augeri industria mea existimem, quã perpetua quadam renouatione, id quod in plerisq; rebus alijs à natura nobis est insitum, cõseruari. At vero ineptiæ, leuitatisq; maculam, sapientia, & humanitate tua fretus, lector optime, nullam timeo; cum facile quiuis, vel leuiter eruditus intelligat; assiduo studio, diuturnis cõmentationibus, quotidiana deniq; experientia, quam iure, ac merito rerum magistram sapientes homines appellarunt, tam multa sępe, tamq; recondita, eaq; hominum generi perutilia peruestigari, quæ illi ipsi, qui iisdem de rebus, alijs temporibus pręclare scripserunt, siquidem interrogarentur, nollent à suis posteris, si minus ingeniose, laboriose quidem certe, longoq; edoctis vsu declarata, non ęternæ memoriæ, atq; vtilitati, publicæ scriptionis beneficio cõmendari. Tuum est ergo Lector humanissime labores hos nostros qualescumque, de febribus pręsertim putridis, quas in nostra corpora tantam hisce potissimum annis potestatem, exercere omnes experimur, tranquillo iuditio, benignaq; mente perlegere, illudq; tibi persuadere, in hoc opere vulgando, maluisse me (saluis tamen melioribus aliorum rationibus) nimis quodammodo audacem, quam aut medicinæ, aut communis omnium commodi parum cupidum, ac studiosum videri. Vale.



AVCTORVM,

Quorum in opere fit mentio, cathalogus.



AETIVS.
Albertus
Alexander Aphrodisiensis.
Alexander Tralianus
Almansor.
Anaxagoras.
Antonius Musa Brasauolus.
Arcangelus Mercenarius.
Archigenes.
Argenterius.
Aristoteles.
Auctor secundi lib. de Nat. humana.
Auerroes.
Auicenna.
Buccafereus.
Cesar Caprilius.
Christophorus à Vega.
Cornelius Celsus.
Dioscorides.
Donnatus Altimarus.
Fernelius.
Franciscus Vicomercatus.
Galenus.
Hieronimus Mercurialis.
Hieronimus Brasauolus.
Hippocrates.
Iacobus Zabarela.
Laurentius Iubertus.
Leonicenus.
Manardus.
Mesue.
Montanus.
Nicolaus Curtius.
Oddus de Oddis.
Oribasius.
Paternus.
Paulus Aegineta.
Petrus Apponensis.
Petrus Pomponatius.
Plato.
Rasis.
Remigius.
Rondoletius.
Serapio.
Theophrastus.
Thomas Erastus.
Tiberius Codroncus.
Victor Trincauelius.



INDEX

Locupletißimus rerum notabilium, quæ in toto hoc opere continentur.

A

INDEX

INDEX

Auic.

INDEX

per

INDEX

capi-

INDEX

Chri-

INDEX

cocta,

INDEX

INDEX

Febrilis

INDEX

febre

In

G

N

 cibum

Periodi

INDEX

INDEX

Praxinæ

Putre-

spiri-

INDEX

FINIS.



PII AENEAE CAPRILII EQVITIS PHILOSOPHI AC MEDICI.

Practicam ordinariam in Almo Ferrariensi Gymnasio legentis.

LIBRI DVO QVORVM PRIMVS EST de Febribus putridis in Genere alter in Spetie.



PERVTILIS immò necessaria tractatio illa est, quæ hoc anno de Febribus putridis nobis se offert explicanda, vt omnes, qui medicinam faciunt, confiteri videntur: nam si certitudinem tractationis spectemus, putridarum febrium tractatio omnium certissima est, cum tactu iudice clarissimo cognoscantur, ac iudicentur. Præterea si frequentiam animaduertamus, nullus quidem est morbus, qui frequentius corpora nostra adoriatur, molestiàque afficiat, quam febris ipsa. Insuper cum cæteri morbi vnam, vel alteram partem, aut plures obtineant, vna febris totum corpus occupat. Postremo inter omnes morbos magis periculosæ sunt febres, cum ferè omnes ab hoc immani monstro iuguletur, immo, vt multi sentiunt, nullus sine febre, etiã si laqueo suspendatur, diem suum obire possit. Vnde non mirum si veteres Romani ijs omnibus de causis impulsi, nulli alteri morbo quam febri, templum erexere. Postularent itaque omnes hæ rationes, vt, vos doctissimi Viri, ac studiosissimi Iuuenes, ad capescendam hanc doctrinam incenderemus, sed quoniam vos re ipsa satis inflammatos esse coniјcimus, id solum dicemus, nos omni industria facturos esse nulli parcentes labori, vt, & solidam, & veram, & perspicuam doctrinam habeatis. Et ne in tanto negotio defficere videamur, ducem aliquem præclarissimum imitari decreuimus, hic autem erit Princeps Auic. nec sine ratione, siquidem exactissimã, ac dilucidissimã febriũ doctrinam exarauit. Adeo quòd si quis recte assequi studeat, quæ ab Auic. proponuntur

De vtilitate, & necessitate tractationis febrium putridarum.

Quis Auctor sequendus, & cur.

non erit alicuius febris cognitio, non curatio, quæ ab illo desiderari possit. Accedit cum Principe Auicena nostrum institutum esse, eam docere doctrinã, quam nec difficilè assequi possint iuniores, ea tamen ratione, vt neque prouectiones huc accesisse pœniteat, neq; ita imitabimur Auicenam, vt deseramus Galenum; nihil enim à nobis proponetur, quod Galeno aduersari videatur: libet tamen nobis præsertim Auicenam sequi, quoniam, quod sparsim, & pluribus in libris à Galeno proponitur, in vnica tantum libri parte ab Auicena includitur: nam quod de febribus à Galeno scribitur primo libro ad Glauc. & primo & secundo de diff. feb. & in meth. med. ab 8. vsq; ad 12. ac multis alijs in locis, hoc totum in medium in 4. lib. ab Auicena affertur, & non modo in 4. lib. sed in vnica tantum illius particula: cum enim librum illum in septem partes distribuat, quas fen nuncupauit, in vnica tantum parte, nempe prima totum de febribus negotium perfecisse videtur. Diuinis itaque fauentibus auspicijs ad tantum auctorem explicandum accedamus; hac lege tamen vt ab Auicena colligamus res ordine digestas, à Galeno doctrinam methodo explicatam, ab Hippocrate semina, & fundamenta, ac veluti medicinæ oracula, neque omnino, quæ à recentioribus dicuntur intacta relinquamus. At primũ quod nam sit Auicenæ institutum in hac prima fen declarabimus. Secundo illam in suas particulas diuidemus. postremo doctrinam de febribus ex Auicena explicabimus, vt his enucleatis, ni falimur, in hoc negotio nihil supersit, quod desiderari possit.

Quod nam sit Auicenę institutum.

Quot in partes prima fen quarti libri diuidatur.

Quantum igitur ad primum attinet dicimus, quòd Auicenæ institutũ manifestè colligitur ex inscriptione, qua ipse primam illam fen inscribit, cũ inquit, fen prima est de febribus. Quantum verò ad secundum pertinet, ipse diuidit hanc fen in quattuor partes, quas tractatus nominat in quarum prima loquitur de febribus in genere, & de febribus ephemeris. In secunda de febribus putridis. In tertia de Hecticis. In quarta de pestilentibus, compositis, & accessorijs febribus. His ita prælibatis vtilitati studentes proposuimus hoc anno secundam partem siue tractatum vobis exponere, in quo de febribus putridis agitur: Quantæ enim vtilitatis, ac necessitatis sit hæc materia, ex Galeno tertio de diff. respir. cap. 9. colligi potest, vbi inquit, quòd omnes morbi acuti, vel sunt febres putridæ, vel cum febribus putridis coniuncti. Insuper idem primo de diff. feb. cap. 5. ait fuisse dogma antiquum, omnes febres esse putridas exceptis Ephemeris. Inscribitur hic secundus tractatus de cura febrium putridarum in genere.

Auctoris intentio.

Vtilitas ac necessitas tractationis febrium putridarum.

Inscriptio secundi tractatus primæ fen quarti libri Auicenæ.

Incipit igitur Auicena: *Sermo vniuersalis putridarum febrium, &c.* Ex his Auicenæ verbis facile est colligere, eius institutũ esse de putridis febribus loqui, de his autem agit Auicena hoc in loco, vt progrediatur à febribus, quæ facilè curantur, ad febres curatu difficiles: cum enim animaduerteret Auicena ephemeras nullo negotio remoueri, difficilius autem putridas, omnium vero difficilimè Hecticas; ob id post Ephemeras, & ante Hecticas de putridis febribus pertractauit; considerauit enim Auicena discrimen esse inter has febres, eò qđ vt Hecticæ sunt in habitu, ita reliquæ sunt in habitudine, quæ vero sunt in habitudine habent permanentiam, vel momentaneam, vt ephemeræ, vel breuem, vt putridæ. Sed hic dubitaret aliquis, quia videtur Auicena in ordine Galeno aduersari, cum Galenus in meth. med. primùm loquatur de Ephemeris & Hecticis, deinde verò de putridis. Cui dubitationi sic respondemus non esse necessarium ordinem in his febribus, siquidem si vno modo consi-

Dubitatio circa ordinẽ.

Solutio.

considerentur dicimus vno ordine disponendas esse, si vero alio modo contẽplentur, alio etiam modo, ordine sunt disponendę. Quare cum Auicena, eo quem diximus modo, illas considerauerit, eo etiam modo illas disposuit, vt primo loco de Ephemeris, secundo de putridis disputauerit. At Galenus in meth.med. vbi præstantissimam illam medendi methodum profitetur, vt progrederetur à simplicioribus ad minus simplicia; primùm loqui voluit de Ephemeris, & Hecticis tanquam simplicioribus, deinde vero de putridis tanquã minus simplicibus, ratio autem simplicitatis, compositionisq; inde colligitur, quoniam cum applicamus methodum medendi Ephemeris, tunc nõ sumuntur indicationes à causa; à morbo enim tantum in Ephemeris; à morbo, & viribus in Hecticis indicationes desumuntur; à morbo verò, viribus, & causa, & proinde ab omnibus indicationibus in febribus putridis, & ideo ille simpliciores, hæ vero magis compositæ apparent, quare ex his nullam inter hos viros discordiam esse patet. Auicena itaq; omnem adhibens diligentiã duo facit. Primùm loquitur de putridis in genere. Secundo loco de putridis in specie. Pro tractatus generici absolutione tria præcipuè facit. primo loco agit de causis putredinis, & proinde febrium putridarum. Secundo loco de signis. Tertiò & postremo de curatione, vt his nos exerceat in parte physiologica, pathologica; symiotica, & terapeutica. Pro primi autem capitis absolutione tria facit. Primò de causis putredinis. Secundò de differentijs putredinis. Tertiò de differentijs febrium putridarum agit. Et ita apparet diligens huius capitis diuisio. Nos autem ab Auicenæ instituto non recedentes hoc ordine procedemus. Primò proponemus definitionem febris putridæ. Deinde verò differentias ipsarum putridarum in medium afferemus.

Indicationes in Ephemeris sumuntur tantum a morbo: in Hecticis à morbo & viribus, in Putridis a morbo viribus & causa.

Ordo qui seruatur ab Auicena.

Ordo ab auctore seruandus.

Quantum ad primum attinet breuiter supponatis ex Galeno 1. ad Glauc. cap. 4. has febres vocari putridas ratione putredinis, Quo verò ad hanc deffinitionem supponatis etiam Auicenam illam ommisisse tanquam notam ex iam traditis ab eo in deffinitione febris. Nos tamen clarioris doctrinæ gratia deffinitionem febris putridæ iuxta mentem nostram hoc modo instituemus.

Putridæ febres curdicãtur.

Febris *itaque putrida est intemperies febrilis causata ab humoribus cordis primum calefactis à putrida fuligine*. Per intemperiem febrilem intelligimus intemperiem calidam in facto esse in partibus solidis vniuersi corporis viuentis, quę tamen non est in habitu, sed in habitudine, atque oritur non ex spiritibus, neq; ex solidis ipsius cordis; sed ex illius humoribus primùm calefactis; quæ quidem particula in definitione ponitur, vt putrida febris distinguatur à pestilenti: cum enim in pestilentibus febribus humores non modo in calefacto esse ponantur; sed etiam putrescant, ideo, vt hanc ab illa secerneremus, diximus putridam febrem fieri ab humoribus cordis primùm calefactis, non autẽ putridis. Dictum fuit cordis, quia cum sit intemperies vniuersi corporis, opus est illam ab eo membro oriri, quod est principium omnis temperaturæ, hoc autem est cor. Calefiunt autem huiusmodi cordis humores ratione putredinis seu putridæ fuliginis. Verum, vt noscere positis, quomodo ij humores ponãtur in calefacto esse ratione putridę fuliginis, necessarium est nos aliquãtulum circa putredinem digredi, naturamque, ac generationis ipsius modũ aperire, & causas inuestigare: opus quidem non minus laboriosum, quam difficile, cum ea, quæcunque tam à philosophis, quam à medicis de hac re traduntur ita sint dubia, ac controuersa, vt in tota philosophia, ac medicina nulla sit hactenus maior lis excitata: illa enim quæ ab Aristotele in 4. meth. per-

Febris putridæ definitio iuxta mentẽ auctoris.

Cur dicatur Cordis.

De Putredine agendum proponitur.

tractantur multi credunt non dissentire ab his, quæ de ipsa à Galeno & medicis scribuntur. Ab alijs verò existimatur medicos à philosophis tota (quod aiunt) diametro dissidere. Argenterius item Aristoteli aduersatus, quæcunque a b illo de putredine scribuntur euertisse se credit. Huius autem sententiam cum Remigius primum mox verò,& Vicomercatus impugnassent lis omnis composita videbatur. At cum nuperrimè de hac ipsa materia tractauerint Arcangelus Mercenarius, Thomas Erastus, Oddus, Zabarela, & alij, nouas illi tenebras effunderunt, maioresque in ipsa difficultates, ac altercationes excitarunt, quorum omnium si velim sententias in medium afferre vix annus sufficeret. Quare breuitati simul, & claritati studens rem ipsam hoc ordine prosequar. Primò naturam putredinis, & definitionem ex Aristotele proponemus. Secundò definitionem eiusdem à Galeno traditam. Tertiò, illas ad inuicem conferemus. Quartò, si quæ dubia erunt dissoluemus. Postremo omnia deffinitioni febris putridæ à nobis supra allatæ applicabimus.

Deffinitio putredinis Aristotelis.

Aristoteles itaque 4. meth. cap.2. talem affert putredinis deffinitionem. *Putredo est corruptio propriæ, & secundum naturam caliditatis in vnoquoque humido ab aliena caliditate, quæ ambientis est*. quam definitionem Gal. 2. de diff. febr. cap. 9. tanquã optimam & omnium perfectissimam cunctis alijs anteponendam esse iudicauit. Pro cuius faciliori intelligentia breuiter explicare oportet quomodo fiat ipsa putredo. Fit autem vt credimus hoc modo, primò calor ambientis misti corpus calefaciendo aperit, & relaxat, quo quidem relaxato secũdario agit non quidem in humidum, vt vult Albertus; sed in calorem naturalem, vt est communis, & probabilior sententia; internum enim calorem, non quidem auget (vt eidem placet) sed per quandam similitudinem attrahit, euocat, educit, atque imminuit, vt optimè censet Arcangelus. Calore autem exeunte secum etiam trahit, & allicit humidum naturale, quò fit, vt in principio putredinis mixtum appareat humidius: cum autem per exitum & euaporationem calor naturalis imminuitur, interna frigiditas incipit augeri, quæ non est (vt Arcangelus falso putauit) qualitas positiua, quæ in calorem ipsum expellendo agat, sed est (vt rectè censuit Zabarela) qualitas priuatiua, & mœra priuatio caloris producta à calore ambientis, quæ non agit in calorẽ, sed in humidum tanquam causa priuatiua: cum enim corpus ex deffectu caloris factum sit frigidum non potest amplius ab ea qualitate nimis ad frigus vergente contineri humidum, ne diffluat, & à sicco separetur; vnde quasi sui iuris factum diffluit, & à sicco disiungitur, ad quam quidem humidi disiunctionem, ac passiuarum secretionem, sequitur mixti corruptio ac putredo, cum earundem vnio esset illius generatio, vnde solum manet fimus, & puluis. Hic itaque est verus iuxta Aristotelis mentem putredinis modus. Putredinis generatione sic breuiter concepta, non erit difficile illius definitionem supra positam explicare, quod vt facilius præstemus scire prius oportet ex tribus particulis definitionem hanc constare, quarum prior generis, altera differentiæ, postrema causæ obtinent rationem: cum enim putredo sit accidens, & illud quidem imperfectissimum cum sit motus ad non esse, & quælibet accidentis perfecta definitio tribus partibus, quemadmodum demonstratio tribus terminis, constare debeat, cum solo terminorum situ sint differentes, vt 2. post: docet Aristoteles: propterea hæc definitio tres habuit partes, corruptionẽ proprij caloris, tanquam putredinis formam & essentiam, quæ locum generis obtinet; vnum quodque humidum, tanquam materiam, subiectum, & differentiam

Quomodo a sit putredo.

Putredinis definitionẽ ex tribus par tibus constare.

rentiam; calorem ambientis tanquam causam effectricem. Ex quibus apparet Petrum Pomponatium rectè sensisse in suis questionibus quarti meteor. questione 21. cum inquit, Definitionem hanc datam esse per quattuor genera causarum; nam quemadmodum diximus, in ipsa ponitur materia, forma, & efficiens, non exprimitur autem finis, quoniam hic vel est intrinsecus, vel extrinsecus, intrinsecus cum forma coincidit in naturalibus, cum verò forma in hac definitione ponatur, ideo superuacaneum erat hunc finem exprimere: extrinsecus verò est manifestus, hic enim est vtilitas à putredine emanans; cum per ipsam multa animalia generentur, vt anguilæ, vermes, apes, & quamplurima genera animalium, tam aquatilium, quam terrestrium. Et licèt Auerroi videatur putredinem nullum finem, nullamq; vtilitatem habere, tamen cum hæc ab Arist. in 4. meteor. dicatur naturalis, siue respectu caloris naturalis, vt inquit Albertus, & Buccaferius; seu quia fit sensim, & paulatim, vt vult Vicomercatus; siue respectu materiæ, vt alij volunt; siue quatenus est secundum propriam mixti naturam, vt vult Pomponatius, & Mercenarius; siue respectu naturæ vniuersalis, ut Zabarelæ placet; fine & vtilitate carere non potest; natura enim nihil frustra facit vt pluribus in locis Aristoteles exaratum reliquit. His hunc in modum explicatis iam singulas definitionis particulas percurendo exponamus. Dicit igitur Aristoteles putredinē esse corruptionem, quæ particula, vt diximus locum generis, & formæ obtinet, cum multa corrũpantur, quæ non putrescunt, vt omnia, quæ combustione, & petrificatione, vt vult Zabarela, intereunt. Putredo igitur est corruptio caloris. Sed cum per caloris corruptionem duo intelligere possimus, vel omnimodam corruptionem, vel mutationem caloris à suo statu naturali, ita vt ex naturale fiat præter naturam, queritur quomodo intelligat Arist. calorē in putredine corrumpi primo an secundo modo. Ad hoc ego cum Zabarela, & Arcangelo respondens dico nos dupliciter posse hunc calorem considerare, vel in se quatenus est calor, vel respectu mixti quatenus silicet est calor mixti: si secundo modo cōtempletur propriè & simpliciter est caloris destructio, quatenus mixtum suo calore priuatur. Si verò primo modo idest calor secundum se, vt calor consideretur, tunc non est propriè corruptio, nam cum hic calor naturalis corrumpatur à calore ambientis, vt infra dicemus, & calor à calore propriè corrumpi non possit; sic enim à suo contrario, nempè à frigido interimitur, cum propriè contrarium agat in contrarium ipsumq; corrumpat, non autem simile in suum simile: propterea non potest propriè corrumpi calor naturalis à calore ambientis, sed corrumpi dicitur, idest mixtum priuari suo calore naturali à calore alieno ipsum euocante, & illum ad se tanquam suum simile trahente. Quare hæc non est propriè caloris corruptio, sed eductio, & ab esse statùq; naturali, mutatio ad esse, & statum præternaturam, & ideo in quibusdam codicibus græcis non male legitur τὶς φθορά: non autem simpliciter φθορά, idest quædam corruptio, nō simpliciter corruptio. Sed quoniam hæc mutatio dupliciter fieri potest, vel quo ad intensionem, vel quo ad imminutionem, dubiũ est utro horum modorum fiat. Est Alberti sententia, quæ passim ab omnibus ferè sequitur, quod hæc mutatio fiat ad maius, & quo ad intensionem, cuius ea sanè ratio esse potuit, quia cum hæc corruptio caloris fiat à calore ambientis, & calor non diminuatur à calore, sed potius augeatur, & intendatur, quoniam simile non diminuitur à simili, sed potius adaugetur, igitur corruptio caloris à calore ambientis non est diminutio, sed intensio.

Pomponatij sententiā approbata.

Auer. sententia reprobata.

Prima definitionis particula explicatur.

Quomodo intelligat Arist. calorē in putredine corrumpi.

An calor in putredine corrumpatur uel quo ad intensionem, uel quo ad remissionem.

Alberti sententia.

Arcangeli sententia.

Altera vero est Arcangeli sententia quòd hæc mutatio caloris sit imminutio, & præter alias hac vtitur ratione, quòd apud Aristotelem putrefactio fit quando actiuæ desinunt imperare passiuis, & ipsæ passiuæ actiuis dominantur; hoc autem esse non potest nisi ob imminutionem caloris; quòd etiam Aristoteles manifestè significat, quando dicit, putredinem fieri, & à calore alieno, & à frigore proprio; ait enim fieri ob indigentiam calidi, sed vbi est indigentia calidi ibi est frigiditas, propterea quod omne priuatum calore est frigidum: Quare tantum abest, vt Aristoteles putet putredinem fieri per caloris accretionẽ in mixto, vt potius apertè dicat eam fieri per caloris imminutionem, quam etiam appellat frigus. Verum licet hæc Arcangeli ratio sit validissima, nec negari possit calorem naturalem à calore ambientis dissipari, ac imminui; nihilominus tamen vnà cum Zabarela possumus etiam Alberti sententiam sano modo intellectam hoc pacto tueri: Cum enim in principio putredinis externus calor agat in mixtum, necesse est vt illud reddatur calidius; prima nãque actio calidi transiens debet esse calefactio: præterea cum per talem externi caloris calefactionem internus calor à centro ad ipsius mixti circũferentiã euocetur, opus est illum maiorem fieri, idest apparere maiorem, quam antea, quia fit sensilior. Quapropter his duobus modis dici potest calor corrumpi per intensionem, & auctionem primò, quoniam cum ex calidi externi actione mixtum reddatur calidius ipsius etiam calor videtur intensior, ac maior fieri, nec tamen propterea tollitur, quin putredo (vt inquit Aristoteles) fiat à propria frigiditate, quia licet tunc mixtum habeat maiorem caliditatem, quam prius, non habet tamen naturalem, cum propter intensionem acquisitam per actionem ambientis non amplius sit illi mixto naturalis, propter amissionem debitæ proportionis ad passiuas, respectu naturæ illius mixti: Vnde mixtum dici potest frigidum respectu proprij gradus caloris naturalis, quem nõ habet, per hoc tamen non tollitur quin possit esse calidius, quam prius calore alieno, & aduentitio; experientia enim docet, res, quæ putrescunt, calidiores fieri. Præterea Aristoteles id confirmat in 25. sectione probl. probl. 20. vbi dicit necessarium esse id quod putrescit fieri calidissimum. Galenus quoq; secundo de temperamentis cap. 6. inquit illa, quæ putrescunt calidiora fieri adscititio calore, proprio autem frigidiora. Secundo dicitur calor corrumpi per auctionem non quidem realem, sed secundum quandam apparentiam, vti dicebamus, quia cum per actionem ambientis euocetur calor naturalis à centro ad circonferentiam, videtur fieri maior, non quidem re vera, sed quia magis apparet & sensilior est, quam antea: in illa namque elementorum commistione, & contrariarum qualitatum cumtemperatione, atq; amicitia, videtur quodammodo contraria contrariam abscondere, ita vt neutra distincta sentiatur; sed dum vna contraria ab altera seiungitur sensilior fit, & proinde videtur maior, præsertim quando exeundo transit ab internis ad externa. Hoc itaque modo intellecta Alberti, communisque sententia rationi, Aristoteli, atque experientiæ est consentanea, cum manifestum sit, putrescentia omnia in principio fieri calidiora, neque propterea tollitur, quin dici possint frigida ratione caloris naturalis, quo destituuntur: imminuitur igitur calor naturalis, & præternaturalis augetur.

Alberti sẽtẽtia tuetur.

Duobus modis calor dici potest corrumpi per auctionem. Primus modus.

Secundus modus.

Notandum.

Animaduertendum autem est, quod sub hac particula, nempe corruptione caloris, comprehẽdit etiam Aristoteles humidi a sicco separationem, tanquam putredinis essentiam; quod non sine maximo artificio ab ipso factum

 est,

est vt notat Zabarela: duo nanque respexisse videtur, vnum vt breuissima sit definitio, alterum vt tribus tantum terminis constaret, sicut etiam demonstratio; nam si quattuor in ea terminos accepisset suspicari aliquis potuisset hanc definitionem non esse demonstrationem solo terminorum situ differentem, quemadmodum in post: analit: iam ipse demonstrauerat; si enim & subiectum in hac definitione expressum fuisset, quod est corpus humidum; & essentia, quæ est separatio humidi à sicco; & causa, quæ est proprij caloris corruptio; & causa causæ, quæ est calor ambientis; quattuor termini in ea quidem fuissent positi, quod cum vitare vellet Aristoteles, & definitionem reddere breuiorem, vno termino duos complexus est, nempè separationem humidi à sicco, quæ putredinis essentia est, sub proprij caloris corruptione, hanc enim necessario insequitur separatio humidi à sicco, vt paulo antè Aristoteles declarauerat, cum dixit, putredinem esse humidi à sicco separationem, à corruptione proprij caloris, factam à calore ambientis: quod etiam post allatam definitionem exponit his verbis, *Exeunte enim proprio calido coeuaporat quod secundum naturam est humidum*. His enim monere nos voluit, corruptionem proprij caloris in definitione sumptam esse quatenus sub se continet separationem humidi à sicco. tres igitur partes in hac definitione ponuntur, corruptio proprij caloris, tanquam putredinis essentia, & tanquam effectus, in quo includitur etiam separatio humidi à sicco tanquam effectus alius posterior; & illum priorem necessario insequens: corpus humidum, tanquam putredinis subiectum: & denique calor externus, tanquam causa prima, & principalis. Quare dicendum est hanc esse perfectam huius accidentis definitionem, à demonstratione solo terminorum situ differentem, quales esse debent perfectæ omnium accidentium definitiones.

Duo in sua definitione rispexit Aristol.

Propriæ, & secundum naturam caliditatis. Per propriam, & naturalem caliditatem non est intelligendum idem, (vt optimè Mercenarius animaduertit) non enim decet tãtum philosophum in definitione potissimum synonimis vti, quod reprobauit in Topicis: & ideò in hoc defecit Zabarela cũ inter hæc, nullum discrimen consideret; bene verum est vnum, & idem esse calorem subiecto, nempe elementalem; discrimen tamen est in modo considerandi: quod vt facilius explicare possimus in memoriam reuocare oportet, quod generatio est transmutatio passiuarum qualitatum à calore dominante; tunc enim fit generatio, vt dicebat Aristoteles, quando calor & frigus dominantur humido, & sicco. At licet calor in generatione passiuis dominari debeat, non tamẽ sub æquali gradu in omnibus mixtis dominatur, sed sub alia, & alia proportione, & mensura, in alio enim gradu dominatur in osse, in alio verò in carne, & sic in alijs vt in lapidibus, metalis, plantis, & animalibus. Quo stante facile est discrimen hoc explicare; nam quatenus calor dominatur passiuis humiditati silicet, & siccitati dicitur naturalis, vt est sententia Aristotelis in 4. meteor. cap. de coctione in genere, vbi sic scribit. *Humiditas enim est quæ terminatur à naturali calore: quandiu autem in eo est ratio, & proportio supra humidum naturalis est*. Ex quibus verbis clarum est calorem dici naturalem quatenus supra humidum dominium habet, quod à calore terminari debet, cum autem non amplius humidum superat, nec terminare valet præternaturalis dicitur. Quatenus verò sub tali determinata mensura, & gradu in hoc vel illo mixto passiuis dominatur, dicitur huic vel illi mixto proprius: dicebar enim & optimè Alexãder quodlibet non agere in quodlibet, nec cuilibet vnum caloris gradum

Quid p propriam & secundum naturam caliditatem intelligẽdum fit. Zabarelę error.

Quid fit generatio.

Discrimen caloris pprij & naturalis. Cur calor dicatur naturalis.

Cur calor dicatur proprius.

dum conuenire, sed alium vni, vt colerico, alium alteri, vt phlegmatico. Vnde Auicena prima primi cap. de complexionibus dicit, quòd, quælibet mixtura habet proprium & innatum calorem illi conuenientem, & accõmodatũ. In putredine cum corrumpitur iste calor non tantum patitur, vt proprius, sed etiam, vt naturalis; vt proprius, quia non manet amplius sub ea mensura, quæ sit illi mixto conueniens, & proportionata; vt naturalis verò, quia non amplius dominatur humido sicut in generatione; sed potius è contra humidũ calori. Discrimen tamen est inter hos calores, quod cum afficitur calor vt proprius potest reuocari, & in pristinum restitui, secus uerò euenit, ubi afficitur tanquam naturalis, tunc enim restitui non potest, cum ad ipsius destructionem forma quoque aboleatur. Animaduertendum autem est pulcherrimum Aristotelis artificium, quod etiam Arcangelus Mercenarius considerauit, ille enim cum tradit definitionem putredinis in ipsa præmittit proprium naturali dicens, *putredo est corruptio propriæ, & secundum naturam caliditatis*. In definitione uerò concoctionis præmittit naturalem proprio dicens, *Concoctio est perfectio à calore naturali, & proprio*. Quod quidem non sine maxima ratione ab eo factum esse uidetur: nam cum in putredine priùs corrũpatur calor, ut proprius, deinde vt naturalis, ideò in eius definitione præmisit proprium naturali: quod autem in putredine priùs corrumpatur, vt proprius, deinde vt naturalis patet, quia priùs tollitur certus gradus caloris, qui gradus facit calorem esse illi mixto proprium. Hoc autem ablato cum non ampliùs dominetur passiuis, propter quod dominium, illum naturalem appellamus; propterea tunc secũdario corrumpitur, vt naturalis. In generationem autem & coctione è contra se habet, quia priùs est naturalis, deinde proprius: cum enim prius calor passiuis dominari debeat, deinde fieri proprius, ac proportionatus; propterea in coctionis definitione propriò naturalis præmittitur.

In putred. calor patitur vt proprius, & vt naturalis.

Aliud discrimẽ inter hos calores.

Arist. artificium in definitione putredinis & coctionis.

(*In*, multas habet significationes vt declaratur ab Aristotele in 4. physicorũ tractatu de loco; huic tamen duæ tantummodo conuenire possunt, aut enim dicit habitudinem loci ad locatũ, aut formæ ad materiam; sed cum prima habitudo illi accommodari non possit, quia calor non est corpus, propterea secunda solum conueniet, quæ est habitudo formæ ad materiam, cum humidũ locum materiæ, calor verò formæ obtineat.

In, in qua significatione hoc in loco accipiatur.

Vnoquoque humido. huius particulæ multæ sunt expositiones; Petrus enim Põponatius inquit, quòd, quodlibet mixtũ habet duplex humidum continuatiuum, & superfluum, vt homo pinguis habet multum humiditatis superfluæ, quæ in ægritudinibus consumitur, in qua quidem non fit propriè putredo, de qua hic loquitur Aristoteles, aliud est intrinsecum, & continuans partem mixti ad inuicem, cum quo propriè fit putredo; quia igitur hæ duæ humiditates in putredine corrumpuntur, propterea, vt ambas comprehenderet Aristoteles, dixit in vnoquoque humido. Secunda expositio est quorundam aliorũ, qui dicunt humidum esse in triplici differentia, aliud quidem natiuum, aliud alimentale, aliud excrementicium, atque hoc, vel vtile, vel inutile: vt igitur vnumquodque horum comprehenderet Aristoteles iurè dixit in vnoquoque humido, non quidem, quia in qualibet putredine omnia hæc humida corrũpantur; sed quoniam nullum humidi genus reperitur, quod non sit capax putredinis; tametsi aliud putredinis genus subire videatur humidum natiuum, aliud alimentale, aliud verò excrementitium. Tertia expositio est Zabarelę, qui dicit Aristotelem in definitione, ideò vniuersè dixisse, in vnoquoque hu-

Quid p unũquodque humidum intelligendũ sit. Pomponatij expositio.

Aliorum expositio.

Zabarelæ expositio.

mido, vt omne humidum complecteretur, quod sit vehiculum calori ad exeũdum, siue sit naturale, siue aduentitium; non enim voluit Aristoteles per hæc verba significare illud humidum, cuius separatio à sicco putredo est, sed conditionem subiecti putrescibilis, sine qua calor non educeretur, quia non datur hæc proprij caloris corruptio, nisi in corpore humido, idest habẽte aliquam humiditatem, siue propriam, siue aduentitiam: per vnumquodque igitur humidum significat tam naturalem quam aduentitiam humiditatem. Quarta expositio est Arcangeli, qui per vnumquodque humidum exponit humidum tã aereum, quam aqueum; nam sicut in generatione calor dominatur, & validus est, adeò vt possit terminare vnumquodque humidum tam aereum, quam aqueum, ita per oppositum in putredine fit diminutio, & impotentia caloris respectu vniuscuiusque humidi, ita ut amplius, nec humidum aereum, nec aqueum terminare possit. Nos verò quintam expositionem addentes dicimus, ideò Aristotelem dixisse *in vnoquoque humido*, vt comprehenderet humidum caloris, non modo vt proprij, sed etiam, vt naturalis, idest humidum vt ita dicam qualitatiuum, vt est pro simplici qualitate sumptum, sed etiam substantificum, nempè substantia in qua humiditas illa inhęret; si enim mixtum per putredinem debet in cinerem verti, operepretium est, vt non modo quacumque humida qualitate priuetur; sed etiam quacunque humiditate substãtifica illud continuante prorsus careat; cuius signum inde sumitur, quia mixtum, quod ante putredinem continuum erat, post ipsam dispergitur, atque in puluerem conuertitur.

Arcangeli expositio.

Auctoris expositio.

Addit inde Aristoteles *ab aliena caliditate*, & explicans quid per alienam caliditatem intelligat subdit *hæc autem est ambientis*. pro cuius particulæ intelligẽtia sciendum est quid sibi velit per caliditatem ambientis, deinde quomodo hęc sit causa putredinis. Quoad primum attinet per ambientem intelligere non debemus locum in quo continetur locatum, quia hic potius conseruat, illud verò corrumpit; sed per ambientem opportet intelligere vnum quodque infectum caliditate, siue à partibus superioribus ut à motu, & lumine, siue à quæcunque alia re calefaciente. Quod nam autem sit hoc dubium est apud philosophos; duas enim hac de re inuenio sententias vnam communem, quã sequitur etiam Zabarela, quòd per ambiens intelligendum sit vniuersè omne continens, à quo res putrefieri possit. Quam sententiam sequitur etiam Galenus 2. de diff. feb. cap. 9. vbi declarans quid apud Aristotelem sit calor ambientis ait, esse calorem externum in vnoquoque genere rerum, siue sit in terra, siue in aere, siue in aqua, seu in quocunque alio corpore, semper habet nomen ambientis. Alteram verò quorundam propriam, & præcipuè ipsius Arcangeli, qui putat perambiens intelligendum esse tantummodo aerem, & aquam, idquè confirmat ex eo, quòd Aristoteles partem istam pluribus signis probans, & quid per calorem ambientis intelligat exponens, semper hęc duo tantum nominat, aerem silicet, & aquam, vt ex horum mente sit colligendũ, per ambientem Aristotelem intelligere tantum aerem, & aquam. Quam sententiam à veritate alienam esse arbitror, quia licèt Aristoteles ibi hæc duo tantum proponat, hoc quidem nihil est, quoniam illa cxempli gratia adduxit tanquam signa manifesta; patet enim mixtorum putredinem frequentissimè fieri in aere, & aqua: alia verò silet, quoniam occulta sunt, nec adeò conspicua, attamen non est dicendum res etiam putrefieri à calore alterius ambientis præter aerem, & aquam, vt illa, quæ putrescunt in terra, & humores, qui in anima-

Quid per calorem ambientis intelligat Arist.

Quod nam sit ambiens de quo loquitur Arist. Cõis opinio.

Arcangeli sententiam.

Confutatio.

Quomodo ambientis caliditas sit causa putredinis.

animalium venis putrefieri, quotidiana experientia demonstrat. Hoc declarato sequitur, vt id, quod secundo loco propositum est explicemus, quomodo silicet ambientis caliditas sit causa putredinis. Ambiens itaque cum agit in mixtum, primum ipsius corpus rarefacit, quo rarefacto trahit ad se calorem à centro ad circunferentiam, quo attracto cum non amplius possit dominari passiuis, & continere humidum vnà cum sicco iunctum, propterea humidum diffluit, & à sicco separatur, quam separationem sequitur mixti putredo, ut satis superque explicatum fuit. ex quibus colligere possumus caliditatem ambientis esse putredinis causam per se, non ex accidenti, nam licèt proprium caliditatis sit calefacere per se, & primo, ex accidenti verò refrigerare, tamen per se etiam licèt non primò habet vim rarefaciendi, non autem ex accidēti; per se igitur & secundariò, attrahit calorem mixti, & facilè etiam per quandā similitudinem attrahit, cum simile ad se suum simile trahat: per se igitur, & secundariò concurrit, quod dictum est ad differentiam frigiditatis, quæ, vt opinor, nequaquam est causa per se ipsius putredinis; quamuis enim dicat Aristoteles in putredine adesse indigentiam calidi, & quod indiget calido id omne frigidum esse, & ex hoc concludat putredinem esse passionem frigiditatis, & caliditatis, frigiditatis quidem propriæ, caliditatis verò alienæ, per accidens tamen concurrit frigiditas tanquam causa priuatiua, caliditas verò tanquam causa per se, & positiua, & sic intelligendus est Aristotelis locus.

Ambientis caliditas est causa per se, & secūdaria putredinis.

De putredine secūdum partem.

Sed antequam ad Gal. definitionem explicandam descendamus, operepretium est prius de illa putredinis spetie verba facere, quæ ab Aristotele secundum partem nuncupatur, cum hac potissimum humores in animalis corpore putrescant, ex quorum putredine febres, de quibus locuturi sumus, nomen, & ortum ducant: hanc quidem propriè putredinem vocat Aristoteles cuius sanè modum, & naturam explicans, illam inquit fieri quotiescunque res ipsæ, quæ hac ratione putrescunt à sua natura recedunt. Considerandum est igitur nunquid hæc sit putredinis speties diuersa ab ea, quam superius declarauimus, vel eadem. Insuper propter quid secundum partem, & propriè putredo nuncupetur: demum quid per recessum à sua natura intelligat Aristoteles. Quantum igitur ad primum attinet quicquid dicant Argenterius, Erastus, Arcangelus, & alij, eos sequuti, ego communi Græcorum, Arabum, & Latinorū sententiæ ac consentioni inhærens puto, hanc non esse spetiem putredinis diuersam, ab ea cuius definitionem hactenus explicauimus, sed hanc sub illa contineri, cum non detur alius putredinis modus, quem illa definitio non cō plectatur, cum omnium consensu, quælibet putredo sit corruptio proprij caloris à calore ambientis, cuiusmodi sanè est tum illa, quæ in contextu tertio 4. meteor. dicitur esse interritus naturalis, & generationi mixti verè contrarius, tum illa, quæ in contextu quinto vocatur interritus secundum partem. Verùm licèt in hoc omnes conueniant, putredinem secundum partem non differre à putredine secundum totum, tamen in hac intelligēda, & explicanda omnes inuicem differunt, quorum sententias breuitatis causa intermittendo declarandum est, quam ego putem apud Aristotelem esse putredinem secūdum partem, & quomodo hanc ab illa, quæ secundum totum est distinguere videatur. Itaq; vna cum Zabarela puto putredinem secūdum totum esse summam, & perfectam putredinem, qua mixtum pœnitus in elementa dissoluitur, ita vt nihil eius reliquum appareat nisi puluis, & terra; hoc modo putrescunt animalia, & plantæ, & omnia mixta, quæ solida, & per excessum terrea sunt; euocato

Putredo secundum partem non est speties diuersa à putredine secundū totum.

Quæ sit Putredo secundum totum.

Quæ putrescant putredine secūdū totum.

cato

cato enim proprio calore, à calore ambientis humidum quoque existens educitur ad externa, ibique tandem consumitur, ita vt solum arrida terra superſit. Putredinem verò ſecundum partem eſſe imperfectam quandam putredinem, qua mixtum non omnino diſſoluitur in quattuor elementa, nec fit omnimoda ſeparatio humidi à ſicco; ſed ſecundum aliquam tantummodò ipſius partem. Hoc ſanè putredinis modo putreſcunt, quæ fluida, & magno exceſſu aquea ſunt; in his enim non fit illa perfecta, & integra putredo, vt exempli gratia in vino; cum enim in ipſo inſit plurimum humidi, & parum ſicci, nec propterea à calore totum educi poſſit, & à ſicco ſeparari, ſed tenuiores, & aquoſiores tantum ipſius partes educantur, quia facilior eſt ipſarum, quam craſſiorum eductio, vt in putreſcente vino videmus; propterea tunc non omnino diſſoluitur, ex illa actione, in elementa, quia multo maior in eò eſt humiditatis copia, quam vt educi tota poſſit, & à ſicco ſeiungi. Hanc igitur putredinem Ariſtoteles appellat interritum ſecundum partem, nam mixtum, quatenus eſt mixtum, tunc dicitur ſecundum totum, & perfectè corrumpi, quando pœnitus abiungitur humidum à ſicco: ſed quando hæc ſeparatio non perficitur, tunc mixtum, quatenus mixtum eſt ſecundum partem tantum interire, ac diſſolui dicitur, & vt inquit Ariſtoteles à ſua natura, & naturali conſtitutione recedere; vinum enim putrefactum non omnino interijt quatenus mixtum, quia non eſt in elementa diſſolutum, tametſi receſſit à ſua naturali temperiè modò magis, modò minus, hæc tamē eſt eadem putredinis natura, & idem modus, & ab eadem cauſa proueniens, à calore ſilicet ambientis; omnis enim putrefactio eſt eductio proprij caloris, vnà cum propriò humido à calore continētis, vt in vini putredine manifeſtum eſt; videmus enim tempore tantum æſtiuo vina putreſcere, non tempore hiberno, quo frigidus eſt aer, quod autē de vino exempli gratia diximus intelligatur etiam de omnibus alijs, in quibus non fit perfecta ſeparatio humidi à ſicco; ea enim ſemper dicenda eſt putredo ſecundum partem. Ex his clare patere arbitror hanc non differre à putredine ſecundum totum ſpetie; ſed tantum ſecundum magis & minus, quæ non variant ſpetiem, minus enim putridum fit, quod ſecundum partem, quam quod ſecundum totum putreſcit; minus autem putreſcere dicitur, quia non attingit terminum ad quem ipſius putrefactionis perfectę, quę eſt diſſolutio in elementa, & hæc eſt cauſa cur Ariſtoteles hanc imperfectam putredinem ſignificare voluerit per receſſum à propria natura; cum enim terminus à quò perfectè putredinis ſit ipſa mixti natura, terminus verò ad quem ſint naturæ elementorum, in quas fit mixti diſſolutio, quos terminos perfecta putredo attingit; in hac enim res à propria natura recedit, & in elementa diſſoluitur; imperfecta tamen hunc poſtremum non attingit; recedit enim quidem à ſua natura ſiue per qualitates ſibi contrarias, ſiue per amiſſionem formæ mixti, vt infrà declarabimus; non peruenit autem ad diſſolutionem in elementa: rectè igitur Ariſtoteles declarauit imperfectam putredinem per receſſum à ſua natura, & per interritum ſecundum partem; per hoc enim ſignificat illam ad hunc vltimum terminum, nempè ad diſſolutionem in elementa, non peruenire. Vnde ex his patet has non duas diuerſas putredinis ſpeties; ſed potiùs varios gradus exiſtere, propter quos aliam maiorem, aliam minorem putredinem appellamus. Huiuſmodi putredine ait Ariſtoteles elementa vno ignè excepto putreſcere, quatenus enim non ſimplicia, nec pura, ſed permixta ſunt, eatenus tria elementa putredini ſunt obnoxia; ignis verò non eſt putredinis

Quæ ſit putredo ſecundum partem:

Quę putreſcāt putredine ſecūdum partem.

Quando miſtum dicatur ſecundū totum, & quando ſecundū partem corrumpi.

Cur Ariſt. dixerit putredinem ſecundum partem fieri per receſſum à propria natura.

Qua putredine Elementa putreſcant.

dinis capax, tum quia nihil ſecum patitur comiſceri, cum omnia conſumat, & in ſuam naturam conuertat, tum quia calidiſſimus omnium eſt, nec datur aliquid ipſo calidius, quare interire quidem poteſt, & mutari à ſuo contrario, ideſt à frigido, in elementum frigidum, at non putrefieri, quia putrefactio eſt corruptio proprij caloris, à calore alieno proprium ſuperante; at calor ignis à nullo externo calore vinci poteſt, cum omnes longè excedat. Cætera verò elementa ſunt putredini obnoxia quatenus ſunt quodammodo permixta; Terra enim habet comixtum humorem aqueum, & calorem ingenitum à motu, & lumine aſtrorum; Aqua habet comixtas exhalationes ſiccas, terreas, & calorem etiam ab eodem motu, & lumine illi communicatum; Aer quoque habet comixtas exhalationes tum aqueas, tum terreas, & calorem naturalem calore igneo debiliorem, propter quę ſunt apta putredini materia, per interni caloris eductionem, & ſeparationem humidi à ſicco: Quamuis enim in his non ſit facta perfecta, & vera mixtio ita, vt illud calidum, & humidum, quæ in terra; & calidum, & ſiccum, quæ in aqua; & frigidum, & ſiccum, quæ in aere inexiſtunt, non poſſint appellari internæ, & naturales qualitates terræ, aquæ, & aeris, ſunt tamen (vt bene dicunt aliqui) illis intrinſecatæ adeò, & permixtæ cum ipſorum ſubſtantia, vt tota putredini obnoxia reddantur, cum enim à calore externo educitur calor ille intrinſecatus, vnà cum humido illo intrinſecato, videtur elementum quodammodo putrefieri, ita, vt hæc putrefactio proximè accedere videatur ad eam, quæ dicitur interritus ſecundum totum; totus enim illæ paruus calor, & totus illæ paruus humor educitur, ita, vt remaneat vel terra pura, vel aqua pura, vel aer purus, cum anteà eſſent quodammodo permixta. Quare hæc putredo vocari poteſt ſecundum totum quaten⁹ videtur eſſe quodammodo diſſolutio in ſimplicia, re vera tamen non eſt ſecundum accidentia tantum, quoniam illud, quod putreſcit dicitur vel terra, vel aqua, vel aer, & id, quod ex putredine remanet vocatur ſimiliter terra, vel aqua, vel aer, vnde non videtur ſubſtantia interijſſe; ſed ſolùm eſſe alterata, ideſt ex impura, & permixta factam eſſe puriorem, & ſimpliciorem. Talis eſt etiam humorum putredo in animalium corporibus exiſtens, ex qua febres oriuntur, quæ putridæ nuncupantur, quarum tractationem ſuſcepimus; humores enim, vt plurimum, ac ferè ſemper, hac ſecundum partem putredine in viuentibus animalibus putreſcunt, ſicuti vinum, & res liquidas putreſcere diximus; calfacti enim humores ab aliquo extraneo putreſcunt, quia proprius eorum calor, & cum eò humidum educitur; ſed cum totum extrahi non poſſit ob eorum fluxibilitatem, & maximam humiditatem, ſed tantum aliqua ipſius particula; propterea eorum putredo non niſi ſecundum partem appellari poteſt. Poteſt quidem aliquis humor ex ingenti putredine exareſcere, & vt aiunt incinerari, ſed id raro euenit, quia talem putredinem mors excipit; fieri enim non poſſe videtur, vt animalis vita eò vſque prorogetur, donec tota ſit abſoluta putredo; quod ſi hoc concederemus, fateamur oportet perfectã quoque, & ſecundum totum humorum putredinem eſſe, quod tamẽ non accidit, ſed putreſcunt tantum ſecundum partem, nec omnino abſoluitur diſſolutio in elementa; & hinc eſt quod ſæpè nos remedijs cœptam iam humorum putredinem compeſcimus, ac inhibemus, illoſque priſtinæ integritati reſtituimus quod aſſerit Galenus in arte medicinali cap. 89. vbi inquit concoctionem fieri vt humorum putredo ceſſet, & proinde eos alterari manente ſubſtantia. Animaduertendum eſt autem, quod huius putredinis, quæ imperfecta, ac ſecundum

Ignis non putreſcit.

Qua ratione tria elemẽta putreſcant.

Elementorũ putredo dici poteſt ſecundum totum, & ſecundum partem.

Qualis ſit humorum putredo.

Humorũ putredo cępta remedijs cõpeſcitur.

Putredinis imperfectæ

cundum partem ab Aristotele dicitur plures dantur gradus, aliqua enim ita leuis est, vt res alterentur solum secundum accidentia, forma verò substantialis non aboleatur, quædam etiam adeo magna existit, vt substantialis forma corrumpatur, nec tamen in elementa dissolutio mixti fiat; sed ipsius mutatio in aliam mixti spetiem: id autem conspicuum esse videtur in vino, quod quandoq; adeò parum putrescit, ut non desinat esse vinum, quod euenit, quia in ipso non est facta mutatio nisi in accidentibus, quam quidem putredinem facilè inhibere possumus, si animaduerso putredinis initio aliquo remedio calorem cohibemus ne euaporet. similiter cum sanguis, vel quilibet aliùs humor putrescere incipit, vel parum putruit, potest adhibitis remedijs reprimi illa putredo, ita vt humor ille pristinæ suæ naturæ, & integritati restituatur; quod quidem fieri non posset si humoris forma interijsset, nam secundum Aristotelis mentem illud, quod semel est corruptum nunquam potest idem numero reuerti. E contra verò potest eò vsq; grassari putredo, vt forma substãtialis aboleatur, & vinum non sit amplius vinum, nisi æquiuocè, & humores amplius proprium nomen, ad definitionem non retineant, sed in aliam mixti naturam degenerauerint. Vtro autem modo fiat hæc putredo semper vocatur putredo secundum partem, quia, siue abolita sit mixti. forma, siue seruata, dummodo non sit facta dissolutio in elementa, non potest perfecta putredo nuncupari, neque est interitus generationi mixti contrarius. Ex his patere arbitror in hac imperfecta, & secundum partem dicta putredine non esse necessarium vt forma substantialis intereat, vt putabat Erastus, neque vt seruetur quemadmodum Mercenarius, & quidam alij opinabantur, dicimus enim nos vtroque modo fieri posse, & quomodocunque fiat, dummodo non sequatur dissolutio in elementa, ab Aristotele vocari imperfectam, & secundum partem, quia non est perfecta, nec ad finem perducta putrefactio; est tamen etiam ipsa propriè putredo, cum fiat per eductionem caloris, & dissolutionem humidi à sicco à calore externo, imperfectè tamen, & secundum partem tantum, & hæc est causa (qnicquid dicant alij) cur hæc ab Aristotele propriè putredo vocetur, & res, quæ hoc modo putrescunt propriè putrescere dicantur. Hæc igitur, quantum pertinet ad putredinem, & ad putredinis definitionem iuxta mentẽ Aristotelis, dicta sint satis. Superest modo, vt ad Galeni definitionem explicandam descendamus.

In putredine secũdum partem non est necesse vt forma corrumpatur, neque vt seruetur.

Cur putredò secundũ partem, propriè putredo ab Arist. nuncupetur.

Galenus itaque 11. meth. cap. 8. putredinis definitionem explicans, inquit *Putredo est mutatio totius putrescentis corporis substantiæ ad corruptelam facta à calido externo*. Ante cuius definitionis explicationem sciendum est discrimen esse inter medicos, ac philosophos in modo considerandi ipsam putredinem, philosophi namq; putredinem contemplantur in vniuersum quatenus omnibus mixtis, vt mixta sunt, competit; & quatenus est finis naturalis corruptionis, idest quatenus conuenit animalibus & plantis post naturalem ipsorum corruptionem, seu mortem; medici vero eam tantummodo perpendunt, quæ fit in animalium viuẽtium corporibus antequam naturali corruptione intereãt, à qua quidem putredine sępè numero animalia violenter corrumpuntur priùs quam senio, atque adeò morte conficiantur. Vnde satis manifestè apparet, quæ sit differentia inter medicorum, & naturalium philosophorum putredinẽ, quæ enim ab Aristotele definitur, subsequitur animaliumĩ, & plantarum naturalem corruptionem, omnibusque mixtis, vt mixta sunt competit, quam verò considerant medici antè animalium corruptionem, tam naturalem, quam

Gal. definitio putredinis.

Quodnã sit discrimen inter Medicos & Philosophos in modo considerã di putredinẽ

Differentia inter medicorum & philosouhorum putredinem.

violentam ipſorum humores inuadentem definiunt. Ex his patet philoſophos

Quæ putredo a Medicis & quæ à philoſophis cõſideretur.

conſiderare in vniuerſum putredinem tam ſecundum totum, quam ſecũdum partem; medicos verò putredinem ſecundum partem tantum, & non quamcunq; ſecundum partem; ſed illam tantummodo, quæ in animalium viuentiũ corporibus, humoribuſq; inexiſtit. Verum licèt medici hanc tantummodo cõſiderent, cum tamen eiuſdẽ ſit naturæ cũ putredine ſecundum totum, & ab ea tantum ſecundum magis, & minus differat, vt ſatis ſuperq; declarauimus; ꝓpterea non eſt dicendũ putredinis definitionẽ à Gal. allatã imperfectę tantum putredini cõpetere, ſi.n. ea definitio naturã putredinis exprimit, vt re vera exprimere oſtendemus, debet etiam putredini perfectę ſine dubio accõmodari; illud tamẽ diſcrimen eſt inter Gal. & Ariſt. in afferendis hiſce definitionibus,

Diſcrimẽ inter Ariſt. & Gal. in afferẽda putredinis definitione.

quòd, quando Ariſt. ſuam affert, principaliter, & primò reſpicit putredinẽ perfectam, & ſecundum totum, ſecundario autem imperfectam, & ſecundum partem. E contra verò Gal. in ſua afferenda definitione præcipuè imperfectam, ſecundo verò loco perfectam conſiderauit, ꝙ verũ eſſe inde apparet, quia, vbi Gal. ſuam affert putredinis definitionẽ, potiſſimum loquitur de humorum putredioe, quam imperfectam, ac ſecundum partẽ dici, ſuperius explicauimus.

Hoc ita præexpoſito iam Galeni definitionẽ explicemus. Dixit igitur Gal. *putredinẽ eſſe mutationẽ ad corruptelã*. Circa quã definitionẽ illud primò ſe offert, conſiderandum, ꝙ inter hanc ipſam definitionẽ & illam quam attulit Ariſt. nullum aliud diſcrimẽ intercedere exiſtimauit Arcangelus Mercenerius, quã hoc

Differentia inter Ariſt. & Gal. definitionem putredinis iuxta Arcangeli opinionem. Arcangeli ſẽtentię confutatio.

ꝙ ſilicet Gal. definitio putredinẽ reſpicit pro illius termino acceptam, cum totius ſubſtantiæ corruptionẽ dicat, quæ verò ab Ariſt. traditur præuiam alterationẽ & terminum coniungit, cum dixerit corruptionẽ proprij caloris, quæ eſt via ducens ad ſubſtantiæ interitum, idem tamen ambo ſignificare uoluerunt. Cui quidem ſententiæ non aſſentior, nam ſi Gal. dixiſſet, putredinẽ eſſe totius ſubſtantiæ interitũ, vtiq; dicere poſſemus eum definiuiſſe putredinẽ pro ſolo termino non cõprehenſa via, ideſt præuia alteratione; ſed cum dixerit eſſe mutationem ad corruptionẽ apertè explicauit viam ad interitum, non interitum ipſum; vnde falſum eſt definitionẽ Gal. in hoc differre à definitione Ariſt. vt ille dicebat. Nonnulli verò dicunt has definitiones in hoc differre, quòd cũ Ariſtoteles dicat putredinem eſſe corruptionem reſpexit, mixtum putrefactum, &

Aliorum ſententia.

omnimodam putrefactionem; cum verò Gal. dicat eſſe viam ad corruptionẽ reſpexit mixtum ſemiputridum, & ipſam ſemiputredinem, quæ, vt ipſe 11. meth. cap. 9. docet indicat ad benignum reductionem. At hi quoq; toto aberant cęlo, cum dicunt Ariſtotelem mixtum putrefactum tantummodo reſpexiſ-

Confutatio.

ſe, ſi enim dixiſſet putredo eſt mixti corruptio vtique admitti poſſet iſta contẽplatio: at cum non mixti corruptionem dixerit; ſed corruptionem proprij caloris, quæ competit etiam mixto ſemiputrido, ideò ſemiputredinem etiam innuaſſe videtut: cum enim calor ſit qualitas, quæ ſuſcipit magis, & minus, educi poteſt à calore ambientis aliquis gradus caloris naturalis, quæ dicetur corruptio caloris, & ſi non totius, nec tamen erit adhuc corrupta ſubſtantia. Quapropter animaduertendum in hoc eſt (vt notat Zabarela) mirum

Ariſt. artificiũ in definitione putredinis.

Ariſtotelis artificium, qui licèt prius dixerit agendum eſſe de putredine, quæ eſt mixti interitus eiuſdem generationi contrarius, tamen in definitione non dixit eſſe mixti interitum, ſed proprij, & naturalis caloris, quoniam ſi dixiſſet eſſe mixti interitum imperfectam putredinem non comprehendiſſet, quæ non eſt mutatio formæ mixti, ideſt in elementa diſſolutio,

lutio, sed in solis accidentibus alteratio. Cum igitur vellet Aristoteles ea definitione omnem putredinem vniuerse complecti, tam perfectam, quam imperfectam non dixit esse substantiæ interitum, sed solum proprij caloris corruptionem, hęc enim est communis omniũ putredinũ conditio, vt proprius rei calor à calore ambientis euocetur siue totus, siue aliquis ipsius gradus, absq; etiam aliquando substantiæ detrimento. Insuper non est etiam cõcedendum id, quod de Galeno dixerunt, neq; tantus error Galeno tribuẽdus est, vt proponat naturam putredinis declarandam, postea verò soliùs imperfectæ putredinis definitionem adducat; diximus enim parum supra, quòd si hæc definitio naturam putredinis explicat, debet etiam putredini perfectæ commodari, cum eadem sit vtriusque putredinis, tam perfectæ, quam imperfectę natura; credẽdum potius igitur est tam Galenum, quam Aristotelem definitiones attulisse, quæ indifferenter vtrique putredini conuenire possunt. licèt in illis afferendis Aristoteles potius perfectam, Galenus verò potius imperfectam respexerit.

Gal. definitio vtriq; putredini conuenit.

Dicit igitur Gal. *putredo est mutatio ad corruptelam*, vt comprehenderet non tantum perfectam & secundum totum putredinem; sed etiam imperfectam, & secundum partem, & huius quidem, tam eam in qua accidentia tantum mutãtur, quam illam, in qua forma corrumpitur; in qualibet enim horum sit mutatio substantiæ ad interritum, quæ quidem particula locũ generis obtinet, quẽadmodum in definitione Arist. corruptio proprij caloris obtinebat; quod quidem genus licèt, vt Zabarela censet, videatur nimis amplum, & valdè cõmune, eò quod complectatur omnem præuiam alterationem ad quemlibet substantiæ interitum; tamen re vera non est, cum per ea, quæ a Gal. subiungũtur, specificetur, quæ nam sit mutatio, & ad quẽ interitum fiat; si enim simpliciter protulisset Galenus putredinem esse mutationem ad corruptelam, nec aliud subiunxisset, verum esset illud quod à Zabarela dicitur; sed cum subiungat postea totius substantiæ corporis putrescentis, quibus in verbis explicatur, quæ mutatio sit illa, & ad quam corruptionem fiat, vt mox declarabimus, propterea non est dicendum illud genus nimis amplum, & commune esse; & ideò cum hoc Zabarela fortasse non animaduertisset gratis Galenum carpere videtur.

Cur dixerit esse mutationem ad corruptelam.

Zabarelæ sẽtentia reicitur.

Præterea subiungit, *totius substantiæ corporis putrescentis*, dixit totius substãtię forsitam, vt ego opinor, quia cum medici (vt diximus) putredinẽ secundũ partem tantum considerent, aliquis suspicari potuisset Galenum illam tantũmodo definiuisse, propterea vt significaret se, non solum hanc, sed etiam, quæ secundum totum dicitur, complecti, dixit totius substantiæ, Addidit *putrescentis*, vt inquit Arcangelus, vt ostenderet putredinem non esse corruptionem totius substantiæ, vt viuens est, sed mixti, quod est substantia putrescens. Animaduertendum est autem quòd in hac particula Galenus tacitè exprimit etiam proprium putredinis subiectum, nimirum humidum ipsum, & præterea causam ipsius proximam, nempè corruptionem proprij, & naturalis caloris; id autem facilè cognosci poterit, si intellexerimus quid sibi voluerit Galenus per totam naturam putrescentis corporis, id autem ipse tertio aph. lucidissimè explicauit, vbi sic ait, *natura secundum suum proprium significatum est propria cuiusque rei temperatura quattuor elementorum*. quod si quis dicat Galenum dixisse totius substantiæ, non autem naturæ, ad hoc dicimus nullum esse discrimen inter naturam, & substantiam, vt facilè cognosci potest ex principio libri de

Cur dixerit totius substãtiæ.

Cur dixit putrescentis.

Notandum.

Quid intelligat Gal. per totam naturam corporis putrescẽtis.

natura humana, quo in loco probat Hipp. naturam humanam ad eam substātiam refferri ex qua constat homo; hęc igitur natura ab externo calore corrumpitur, quatenus temperatura dissoluitur separatis elementis, quemadmodum enim generatio fit illis ad temperamentum, & vnitatem deductis vi, & ope natiui caloris, ita à calore alieno illis dissipatis, ac dissolutis fit putredo, & interitus; hęc autem mixtura nunquam dissipari, nec dissolui poterit, nisi natiuus calor prius vincatur, qui est veluti naturalis nexus vnitum retinens ipsum humidum cum sicco: dicens igitur Gal. putredo est mutatio ad corruptelam totius substantiæ putrescentis, ꝑinde est ac si diceret, putredo est dissolutio tēperaturæ ipsius mixti, idest separatio humidi à sicco, & natiui caloris priuatio; vnde quamuis hęc ab Arist. verbis sint diuersa, eadem tamen est sententia. Quare apparet falsum esse quod etiam dicitur à Zabarela, Gal. silicet nullum proprium putredinis subiectum exposuisse nisi totam corporis substantiam, quod nimis amplũ & commune est: nam quemadmodum ipse dicit in illa definitionis Aristotelis particula, in proprij silicet caloris corruptione, contineri etiam separationem humidi à sicco, & id illi nos vltro concedimus, ita etiam nobis condonare potest, cum res ita se habeat, subiectũ illud in illa particula contineri, vt declarauimus.

Zabar. sentētia reprobatur.

Demum definitioni finem imponens, ait, *factam à calore externo*, cuius particulæ explicatio non aliunde est petenda, quam ab illis verbis, quæ in eodem cap. à Galeno subiunguntur; docet enim ibi duplicem esse calorem, alterum quidem naturalem, & proprium, alterum verò externum, & igneum, tandiùque res ipsas, animalia, & ipsorum humores incorrupta manere, & ab omni putredine libera, quandiu reguntur à natiuo calore: quotiescunq; verò præternaturalis fuit insigniter adauctus, tunc vtiq; primum quidem humores inuadēs, dein verò adipem & carnes, & reliquum corpus ea perdit, ac corrumpit; vnde à calore externo fit putrefactio. Hoc idem etiam declarat Gal. 2. de diff. feb. cap. 9. vbi commendans Aristotelem in eo, quòd rectè sensit putredinem fieri ab aliena caliditate, explicat quid per alienam caliditatem intellexerit, dicens, *vocat autem alienam, externam non insitam neque natiuam in quocunque genere rerum; nam hæc quoquere apta est, externa autem corrumpere quod est putrefacere*. Ex quibus patet Galenum per extraneum calorem idem intelligere, quòd Aristoteles per calorem ambientis. His hunc in modum explicatis manifestum esse arbitror definitionem hanc non conuenire combustioni, vt Zabarela putauit, quia licèt combustio sit mutatio substantiæ, à calore externo, non est tamen ea mutatio, quæ fit per dissolutionem temperaturæ, & mixtionis elementorum, quæ dissolui non potest, nisi natiuus calor prius euocetur, deinde humidum à sicco dissoluatur, qualem substantiæ mutationem Galenum in hac definitione intelligere ostendimus. Præterea licèt sit mutatio substantiæ à calore externo non est tamen mutatio substantiæ putrescentis, sed combustæ, quæ particula licèt non videatur esse essentialis differentia distinguens putredinem à combustione, tamen per hanc colligitur, quam substantiæ mutationem intelligat Galenus, illam silicet, quæ fit per separationem humidi à sicco propter euocationem caloris naturalis, quia non datur alia proprij caloris corruptio, quam sequatur separatio humidi à sicco, nisi sola putrefactio. Insuper cum dicat Galenus in eodem capite, in quo affert putredinis definitionem circa medium, succos primum à calore alieno corrũpi ob eorum

Zabar. sentētia confutatur.
Prima ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

humi-

humiditatem, ex hoc facilè conijcere possumus illum definitionem attulisse putredini tantum conuenientem, quoniam cum (vt idem Zabarela asserit) necessaria putredinis conditio sit, vt fiat in corpore humido, cum humidum debeat esse caloris vehiculum, vt facilius euocetur à calore externo; non sit autem combustionis conditio, cum possit res aliqua, vt terra simplex, nullatenus humida cōburri, & Gal. dicat humores corrumpi, propter eorum humiditatem, manifestum est eum loqui de corruptione, quæ fit per eductionem proprij caloris, & per dissolutionem humidi à sicco, quæ putrefactio dicitur, non autem combustio. Ex quo etiam loco confirmare possumus illud, quod supra dicebamus, in illa silicet definitionis particula, qua dicebatur, *putredo est mutatio totius substantiæ putrescentis*, contineri etiam proprium putredinis subiectum, nempè humidum ipsum; cum enim dicat totam succorū substantiam corrumpi propter eorum humiditatem, significat eam corrumpi ea corruptione, quæ fit in illo subiecto, hoc est in illorū humiditate, eò quod silicet humidū seiungitur à sicco, quòd fieri nequit nisi calor naturalis corrumpatur: dicens igitur Gal. succos corrumpi propter eorum humiditatem, & cum id dicat parum post definitionem allatam, manifestum est & humidi dissolutionem, & caloris euaporationem in illa particula contineri. Dicimus igitur hanc Galeni definitionem esse perfectam, & ipsi tantum putredini conuenire, nec ab ea quam attulit Aristoteles quicquam differre, & easdem partes, quæ in definitione Aristotelis includuntur in hac etiam omnes, si non explicitè, saltem implicitè contineri. Verum hic insurgit dubitatio, quia cum dixerint tàm Aristoteles, quā Galenus tunc generationem fieri, quando actiuæ qualitates dominātur passiuis, contra verò fieri corruptionem quando passiuæ dominantur actiuis, quomodo nunc dicant putredinem fieri à calore ambientis tanquam à causa efficiente, cum enim calor sit qualitas actiua, & ab ista fiat ipsa corruptio, seu putredo, ergo putredo fiet quando actiuæ dominantur passiuis, quod est contra Aristotelem, & Galenum. Ad hoc respondetur, quod duplex est calor seu qualitas actiua, vna quidē naturalis, & ipsius mixti propria, altera verò præternaturalis, & extranea; in generatione qualitas actiua naturalis, & propria dominatur passiuis, è contra verò in corruptione passiuis succumbit: at illa qualitas quæ in putredine concurrit tanquam causa efficiens non est qualitas actiua mixti propria, & naturalis; sed extranea ambientis caliditas, quæ est in causa putredinis, quoniam vi huius efficitur, vt in mixto qualitates actiuæ naturales à passiuis dominentur, ac vincantur; & ideò dicere non possumus in corruptione actiuas imperare passiuis, quoniam illæ actiuæ non sunt naturales, sed præternaturam.

Putredinis necessaria cō ditio.

Conclusio.

Dubitatio.

Solutio.

Duplex qualitas actiua.

Insuper ex his, quę de putrediue diximus persuasi quidam dixere omnem febrem esse putridam, eò quod in omni febre adest calor præternaturam dissipās mixti calorem, atq; ipsius humidum rarefaciens, atq; consumens, & ideò inquiunt Galenum, quodammodo veritate coactum, primo de diff. feb. cap. quinto dixisse, omnē genus febris esse putridum præter ephemeram, vnde sibi persuadebant isti, aduersus communem medicorum sententiam, hac auctoritate ducti demonstrare, omnem Hecticam esse putridam. Verum huic difficultati non est difficilè respondere si ea, quæ superius de differentia, quæ est inter calorē propriū, & naturalem diximus in memoriā reuocauerimus, diximus. n. calorē dici naturalē quatenus dominatā passiuis, dici verò propriū quaten⁹ in gradu rei, cuius est calor cōueniēs est accōmodatus; præterea diximus, qđ quādo

Quorundā sententia, qđ quelibet febris sic putrida.

Confutatio.

 calor

calor patitur vt proprius poteſt in integrum reſtitui, quia eſt ſola alteratio, quando verò patitur vt naturalis, non poteſt amplius redeintegrari, quoniam ipſius paſſio eſt abſoluta putredo. In putredine enim calor patitur non modo vt proprius; ſed etiam vt naturalis, vt abundè ſupra explicauimus. His hunc in modum declaratis facilè eſt obiectam difficultatem dilluere. Dicimus igitur quòd licèt in ephemera adſit calor rarefaciens humidum, & diſſipans calorem mixti, non tamen propterea eſt putrida, vt inquit Galenus, quia illa paſſio caloris non eſt tanta, vt patiatur quatenus naturalis, ideſt quòd omnino corrumpatur, ſed tantummodo patitur vt proprius, quia tollitur gradus tantummodo illi mixto proportionatus, vnde ſola fit illius alteratio, non autem omnimoda corruptio. Quando verò Galenus inquit Hecticam eſſe putridam, & inter putridas ipſam connumerat dicens omnem febrem eſſe putridam, præter ephemeras, hoc dicit, eò quod ephemera toto genere vacat putredine; nulla enim datur ephemera, quæ ſit putrida, cum ſpiritus in quibus hæc febris accenditur inſtar ignis putreſcere non poſſint, ob eorum ingentem caliditatē, at cum Hectica toto genere non careat putredine, cum detur Hectica aliqua putrida, vt Hectica peſtilens, propterea hanc etiam Galenus ſub genere putridarum comprehendit, non quia omnis Hectica ſit putrida; ſed quoniam vt diximus aliqua Hectica putrida reperitur. Cum igitur illi hoc non animaduerterent propterea fruſtra conabantur demonſtrare omnem Hecticā eſſe putridā.

Cur epheme ra non fit putrida.

Cur hectica inter putridas à Galeno connumeretur.

His hunc in modum explicatis deueniendum eſt ad febris putridę definitionem, quam in principio attulimus, cuius explicatio ex iam traditis de putredine faciliſſima reddetur, diximus igitur, *febrem putridam eſſe intemperiem febrilem cauſatam ab humoribus cordis primum calefactis à putrida fuligine,* dictum eſt, eſſe intemperiem febrilem, per quam intelligimus calidam tantummodo nō ſiccam intemperiem. Sed hic ſtatim occurrit dubitandum, an hoc verum ſit, ſed potius vnà cum calida, intemperiem etiam ſiccam intelligere debeamus, & quòd hoc ita ſe habeat tribus argumentis à caloris eſſentia, ab effectis, & à curatione deſumptis probatur hunc in modum, & primo per eſſentiam caloris, febris eſt calor igneus, vt inquit Gal. 1. Aph. com. 14. at in ignè non ſolum eſt calor; ſed etiam ſiccitas, ergo per intemperiem febrilem vtranque intelligere poſſumus. Secundò per effecta idem probatur ſic, effectus caloris eſt exſiccatio, ergo comprehendenda eſt etiam ſiccitas, quòd effectus caloris ſit exſiccatio patet ex Auicena, qui dicit calorem maiorem, quam oportet, addere ſiccitatem maiorē, quam oportet: quòd ſi quis dicat habere vim exſiccādi, ſed nondum exſiccaſſe, dicimus quòd ſi conceditur habere uim exſiccandi ergo exſiccauit, quia motum non amiſit ex Ariſtotele 5. phiſ. tex. 3. Poſtremò ex curatione idem ſic oſtenditur, contraria contrarijs curantur, vt eſt commune medicorum axioma, ſed febris curatur humidis, ergo exſiccat, quòd autē curetur humidis patet ex Hipp. 1. de ratione victus in morbis acutis 14. & pri. Aph. 16. His tamen non obſtantibus dicimus febris eſſentiam eſſe tantum calorem, neque apponendam eſſe ſiccitatem, quod vt verum eſſe appareat propoſita argumenta diſſoluenda veniunt. Ad primum igitur cum dicunt, febris habet eſſentiam calidam ergo ſiccam, conceditur niſi aduerſetur ſubiectum, quemadmodum exempli gratia, ſi in homine pituitoſo accenderetur febris, in illo quidem eſſet calor abſque ſiccitate; maxima enim pituitæ humiditas impedit, quo minus calor poſſit ſibi adiungere ſiccitatem, vnde ſolus abſque ſiccitate remanet; cum igitur aliquando febris abſque ſiccitate reperiatur, di-

An febris ſit intemperies calida tantō vel calida, & ſicca ſimul.

Prima ratio probans febrem eſſe intemperiem calidam & ſiccam.

2. Ratio.

3. Ratio.

Reſponſio ad primum.

cendum est siccitatem non esse de essentia febris; si enim esset, nunquam absque siccitate reperiretur. Ad secundum quando ex effectis caloris sic argumentantur, calor habet vim exsiccandi ergo exsiccauit. Concedimus febrem exsiccare, sed non adeò, vt faciat morbum; in multis enim febribus non parũ humiditatis reperitur, quæ impedit quominus siccitas illa ad tantam perueniat magnitudinem, vt morbum efficere possit. Ad postremum cum diceba-tur, febris curatur humidis ergo exsiccat, dicimus in curatione medicũ duos habere scopos, vnum vt curet id, quod factum est, alterum vt id, quod timet præcaueat vel conseruet; in curanda igitur febre medicus vtitur humidis, nõ vt curet præsentem siccitatem, sed vt futuram præcaueat, & arceat. Ad secundũ. Ad tertium.

Diximus febrem putridam *esse intemperiem partium solidarum vniuersi corporis*; quod quidem præter quam quod re ipsa patet, attestantur etiam veterum auctorum testimonia; nam Hipp. 1. de morbis agens de febre, quæ fit a bile, & pituita inquit, nunquam febrem fieri in corporibus nostris, nisi totum corpus incalescat. Aristoteles etiam prima sectione problematum, 20. explicatissimis verbis dixit, febrem esse calorem totius corporis excedentem. Gal. quoq; 6. epid. com. 1. tex. 29. de febris natura sermonem habens inquit, esse calorem præter naturam diffusum per vniuersum corpus, vel per plures partes, vel per nobiliores, quæ postrema verba Gal. idcirco addidit, vt potius sensum, quã rationem sequeretur; siquidem sępè contingit, vt febricitantes habeant extrema refrigerata, quod quidem non euenit, quia calor per vniuersum corp⁹ non propagetur, sed quia eius operatio aliqua ratione impeditur. Auicena quoque in definitione sua dixit, calorem febrilem per venas, & arterias in totum corpus diffundi, adeò, vt conspicuum sit apud omnes auctores constantissimum esse, febrem esse affectum vniuersi corporis, quod cum ex spiritibus, humoribus, & solidis sit conflatum necessarium est, vt in omni febre horum corporum calor sit viciatus; sed diuersis quidẽ modis, vt suo loco videbimus. Febrem esse intemperiẽ solidarũ vniuersi corporis probatur authoritate Hippoc. Aristotelis. Galeni. Auicenæ.

At cum febris sit intemperies, & hæc sit morbus, morbus verò lædat immediatè operationes, opus est, vt febris ei parti insit, quæ operationi deseruit, sed cum hæc nulla sit, præterquam pars solida, vt docuit Gal. 1. de locis affectis cap. 2. ac tertio Aph. 17. & 3. de simp. med. fac. cap. 18. ideò febris putrida erit intemperies partium solidarum vniuersi corporis. Consentit huic sententiæ Aristoteles, qui in lib. de sensu dixit morbum esse passionem corporis viuẽtis; sed cum in corpore neq; spiritus, neq; humores viuant, sed solidæ tantummodo partes, ergo in his solis, non in alijs venit collocanda febris. Sed aliquis dicere posset, si hoc verum sit, sequitur falsum esse, id, quod dicitur à Gal. cap. 1. primi de diff. febr. vbi docet tres esse febrium differentias à subiecto, nempè ab humoribus, spiritibus, & solidis desumptas; vnica enim tantum differẽtia daretur, quæ a solidis desumitur, & Hectica nuncupatur. Huic difficultati respondent quidam, partes solidas in omni febre esse calefactas; cum hoc tamen discrimine, quod in Hecticis sunt calefactæ per essentiam, in putridis verò, & ephemeris per consensum. Sed hæc solutio non mihi probatur, siquidẽ si affectus per consensum diu perseueret, necessariò conuertitur in affectum essentialem, vt primo de loc. affec. testatur Gal. quare si verum est illud, quod dicunt, sequitur saltem, vt omnis febris, quæ protrahitur, tandem Hectica fiat, quod cum falsum sit, à veritate etiam abhorret id, ex quo sequitur. Quapropter ego sic respondendum censeo, in omni febre partes solidas vniuersi corporis esse quidem calefactas; sed esse calefactum, potest esse duobus modis, Idem rõne probatur. Primo. Secundo. Instantia. Responsio quorundam. Confutatio. Responsio Auctoris. Calefactum esse dicitur duobus mo-

dis, vel in habitu, vel in habitudine. In ephemeris & putridis solidæ sunt calefactæ in habitudine: in Hecticis verò in habitu. Habitudo est duplex. Habitus q.d sit. Non dicitur febris nisi cor incalescat.

dis, vt docet Galenus in principio 8.meth.med.in habitu silicet, & in habitudine, quo stante dico, quòd in putridis, & ephemeris partes solidæ vniuersi corporis sunt calefactæ in habitudine, quæ quidem est in facto esse, & habet permanentiam vel momentaneam, vt in ephemeris, vel breuem, vt in putridis: in Hecticis verò partes solidæ sunt calefactæ in habitu, qui habitus est dispositio permanens vt dicit Gal.in lib.de bona habitudine,& in lib. de sanitate tuenda ad Trasibulum cap.12.

Dictum præterea fuit in nostra definitioue, *dependens ab humoribus cordis*. quoniam quantumcunq; corpora nostra calefiant, nunquam febrire dicuntur, nisi calorem præter naturam induerit cor, & ratio est, quia si vt audiuistis febris est intemperies calida,& proinde effectus vtriusq; caloris, nisi cor, à quo pendet calor aliarum partium, prius præter naturam sit affectum, febris esse minimè potest.

Et hoc est, quod docere nos intendebat Galenus, quando lib.de marasmo dixit, fieri nequaquàm posse, vt vlla intemperie, & præsertim calida, afficiatur totum corpus, nisi prius afficiatur cor: adeò vt ex his omnibus colligere possimus, subiectum ipsius febris adequatum, esse quidem totum corpus; sed principale & primum est cor ipsum, eò quod vera sit febris quando cor affectũ est præter naturam.

Declaratur alia particula definitionis intemperiem febrilẽ. Dubitatio. 1. 2. 3. 4.

Dictum pariter fuit in definitione febris putridæ *esse intemperiem febrilem*, per quam intelligimus intemperiem calidam omnium partium solidarum.

At probatur id esse falsum, adducẽdo principium febris, in quo partes extremæ frigent, at febris est etiam in principio, ergo tunc nõ est omniũ partium intemperies calida. Præterea dantur febres in quibus extrema sunt frigida, vt patet ex Hipp. 7.aph.aph.1.vbi inquit in morbis acutis frigus partiũ extremarum malum, quod etiam contingit in Lypirijs febribus, ergo non est calor in omnibus partibus solidis. Præterea est febris ępiala, quæ habet inęqualitatem frigiditatis, & caliditatis per vniuersum corpus, ergo febris non est in toto. Gal.7.meth.med.cap.8.videns hoc dubium nititur soluere, cuius solutio in hoc consistit, quòd febris ex sua natura accenditur in corde, & quaten⁹ in corde, sic etiam in vniuerso corpore; cum enim cor sit principium caloris, quemadmodum si in ipso est magnus calor naturalis, diffunditur per vniuersum corpus; sic etiam est de pręternaturali dicendum: cum sit ergo in corde, est in toto corpore, quòd si partes non retineant calorem, vt in Lypiria. & ępiala & in principio accessionis, id prouenire inquit ex aliquo impedimento, vt propter obstructionem, quæ prohibet, quò minus sit in toto, at hoc nõ est ex ipsius febris natura. Quare sic secundum Gal.respondebitis, quòd febris est in toto, nisi adsit impedimentum, sed ex natura febris est, quòd sit in toto corpore, & hoc satis sint de essentia & quiditate febrium putridarum.

Solutio.

De causis febrib. putridarum.

At cum nostrum institutum sit methodo med. exactissimè curandis putridis febribus accommodare, putridæq; febres causam habeant; ideò de causis febrium putridarum primum omni cum diligentia est agendum.

Tot ex Auic. sunt febrium putridarum causæ, vt impossibile sit eas omnes memoriæ mandare, nisi ad quædam capita reducantur, quòd à nobis iurè faciendum est.

Causæ oẽs febrium putridarũ ad duo capita reducuntur ab authore.

Febrium ergo putridarum causæ sunt duplices; vel enim hæ disponunt corpus ad putridam febrem, vel dispositum corpus in putridam impellunt, priores vel gignũt putridos humores, vel alia ex partem genitos humores probos

incul-

inculpatosq; putrefaciunt, putridorum humorum causæ sunt, aut internæ, aut externæ: internæ, vt causa proposita à Gal.8.meth.cap.7.vbi dicit corpora calida & humida maximè obnoxia esse febribus putridis; id pariter testatū reliquit Aris.4.meteo.vbi inquit, corpora putredini aptiora sunt q̄ humidiora, magis verò si humiditati coniunctum calorem habeant, hęc corpora etiam tempore sanitatis ingratum quendam odorem præseferunt; gignunt enim succos vt ita dicam semiputridos.

Externæ causæ sunt vel non necessariò, vel necessariò occurrentes, non necessariò occurrentes sunt, vt pharmaca electiuè soluentia, & præcipuè horum frequens vsus, vnde dicit Gal.2.de rat.vict.in morbis acutis 12.pharmaca hęc aliquid in se continere venenositatis, vt noceant visceribus, & veluti viscerum mineræ labefactentur, quibus labefactatis producuntur succi maximè corruptioni obnoxij.

Externę causę festinū putridarum. Pharmaca electiuæ soluentia aliqd venenositatis in se continent.

Necessariò occurrentes sunt vt aer potissimum calidus & humidus. Quomodo autem aer sit causa putredinis à nobis est inquirendum. Putamus quod aer ingrediatur corpora humana, vel attractus per arterias, vel per inspirationem, vel per cibum & medicamenta, aut alia quæ ore capiantur: hic autem aer aut spontè calidus est, atq; inquinamentis putridis permixtus, aut in corporibus nostris calidus, & impurus redditur; redditur autem calidus, & impurus vel conclusus, aut ob obstructiones, vel propter mixtionem rerum impurarum & putridarum; porrò aerem attrahi per cibum & medicamenta res est notissima ex Hipp.in lib.de flatibus, vbi probat homines vnà cum cibo attrahere aerē, quia statim vbi sumptus est cibus fiunt eructationes, quod quidem non contingit, quia flatus gignantur ex cibo, quoniam cibus eò tempore nōdum quidquam alteratus est, sed quia aer cum cibo attractus egredi nititur: Si autem sit impurus calidus & inclusus, nimium incalescit, & calefactus, primum humores dissoluit, dissolutos vel dissipat vel in cinerem conuertit: atque hoc est quod Aris. dicit 4.meteor.cap.2. oīa quæ putrescūt primum fieri humida, deinde sicca. Videmus igitur aerem esse quandoque causam efficientem putredinis, maximè quando est inclusus & immobilis: & hoc ostendit non solū Gal. sed etiam Arist.13. probl.prob.7. & 8.& 14. prob. prob.7. vbi quęrens rationē Aris. propter quam habitantes locis concauis citius senescunt inquit, propterea esse, quia in huiusmodi locis aer conclusus, & immotus manens, putrefacere citius corpora facit.

Viscerum minere labefactantur a pharmacis electiuis, Aer quō sit causa putredinis.

Sed hic occurrit maxima controuersia, quoniā Aris.22.sect.prob.prob.4.& 25.sect.prob.prob.17.quęrens rationem, propter quam fructus conseruantur in vtribus flatu plenis inquit, ideò esse quoniam oīa q̄ mouentur putrescunt, cumq; fructus in huiusmodi utribus contenti minimè moueantur, consequenter etiam minimè putrescunt. Ex quibus verbis apparet manifesta controuersia in Aristotile.

Controuersia.

Petrus Apponensis, vt remoueret hanc contradictionem dixit, duplicem esse motum, alium alterationis, alterum localem, & quæ mouentur localiter, hęc minimè putrescere, quæ autem mouenť motu alterationis, à putredine facilè tentari. Vnde quando Arist. dixit omnia mota putrescere, loquutus est de alteratione, secus autem contingit cum mouentur res motu locali.

Petri Apponensis. Solutio.

Excellentissimus Mercur. improbat hanc Petri Apponen. solutionem, quia cum Arist. scribit, omnia mota putrescere, subiungit, quæ continenť in vtrib° carere vacuo, & idcirco non moueri. Ex quibus verbis clarissimè colligitur eum

Mercurialis improbatio, & alia Solutio.

eum esse loquutum de motu locali, non de alteratione; & soluit hunc in modum, quòd potest aer tribus modis considerari, vel pęnitus immotus, vel pęnitus motus, vel partium motus, & partim immotus: Si consideremus ipsum pęnitus immotum, proculdubio res quas contrectat conseruat, & ratio est, quia continuo illo tactu fit similis rebus, quas tangit, & cum in hac similitudine perseueret, fit, vt res tactæ conseruentur, quia simile à simili conseruatur. aer pęnitus motus etiam ipse conseruat à putredine: sed ratione diuersa, quoniam vbi aer hoc pacto mouetur semper renouatur, renouatus aũt consumit omnia excrementa, & calorem natiuum rerum continuò reficit, & recreat, & hoc est quod dicit Arist. 14. sect. prob. prob. 7. omnes qui habitant in locis apertis & eleuatis tardius senescere, quoniam his in locis aer continuò renouatur à ventis, ita vt neq; ipse putredine contaminetur, neq; aliàs res putrescere faciat. Cęterum aer partim motus, & partim immotus, est auctor putredinis; siquidem motus aer incalescit, calefactus calorem natiuum rerũ hebetat, & consequenter putredinem inducit; cum autem ex hoc motu non renouetur fit, vt neque etiam hoc suo motu pusillo impedire queat putredinem, & hoc est quod scribit Arist. de vtribus flatu plenis, in quibus, cum prorsus maneat aer immotus, conseruat à putredine: In locis concauis mouetur quidem aliquantisper aer, sed non mouetur motu libero, quia non renouatur, & consequenter putredini occasionem prębet.

Hæc excellentissimi Merc. solutio est doctissima, & ingeniosissima vti tanti viri moris est. Vidus vidius in fine 2. cap. 3. lib. de feb. sic ait, Quòd si vinum in vtre non pleno agitatum magis putrescit, quamqđ in vtre pleno non demouetur, id non tribuendum est proximè motui, sed vaporibus excitatis, qui includuntur in vtre, & instar calidi aeris circunfusi vim habent calefaciendi.

Author ponit aliam solutionē quæ est Vicomercati.

Ego verò puto aliam etiam solutionem afferri posse, nempè Vicom. quam ipse 4. meteor. tex. suo 14. affert vbi hanc difficultatē proponit & soluit, cuius solutio mihi maximè arridet, quæ talis est. Quòd Arist. in problematibus non loquitur de omnibus, quæ motu mouentur, sed de his quæ in vtribus inflatis, & vasis opertis continentur, cum enim illa mouentur putrent. Quæ solutio sic videtur intelligenda, quòd ea, quæ in vtribus continentur, cum mouentur putrent, quando scilicèt aer est impurus, & quando potest recipere ab extrinseco alterationē, quæ facit putrescere, si verò contenta in vtribus sint conglutinata, & aer sit purus, nec ab extrinseco possit recipere, alterationem aliquã, sic non possunt putrescere.

Controuersia.

Non quod loquatur Arist. de motu locali, quasi quod vasa non possint moueri de loco ad locum, possunt enim ab aliquo moueri, nec motus localis facit putrescere, vt est videre in aquis discurrentibus, & locis apertis, & cacuminibus eleuatis, sed intelligitur quòd in vtribus contenta, & ita constricta, & aer sit purus, nec possint recipere extrinsecus alterationem, non putrescunt.

Hinc patet solutio eius quod afferebatur in dubitatione, quòd aer inclusus & immotus facit putrescere corpora, quando est impurus, vel quando potest ab extrinseco recipere alterationem, quæ est auctor putredinis, idem verò cõseruat quando est purus & non potest recipere ab extrinseco alterationem.

Cibus est causa generās putridos humores. Cibi ratione quot modis possint contingere vitia

Inter necessariò occurrentes causas generãtes putridos humores pręcipuè est cibus de quo loquitũ Auic. in hoc cap. atque etiam Gal. 1. de diff. feb. cap. 3. & id ratione vitij in substantia, quantitate, qualitate, tempore, ordine, & præparatione, quæ omnia declaro.

Cibus

Cibus peccat ratione ſubſtantiæ, quia ſit prauus vel ex propria natura, vel ex accidenti: ex propria natura vt braſſica, vrtica, & agreſtia à Gal. Auic. què propoſita. Ex accidenti vt frumentum, quod ſua natura optimum quidem eſt, verumtamen prauam aquirit qualitatem, vel quia diutius æquò fuerit retentum, vel quia fuerit ſeruatum in loco humido, vel quia etiam à primo ortu rubigine fuerit correptũ, ex eſu horũ iborũ facile eſt, vt gignantur humores putredini obnoxij. Cibus pariter peccat ratione quãtitatis aut cõtinuæ, aut diſeretæ: continuæ, vt quando quis vtitur cibis copioſis, qui deinde non poſsũt reggi à natura, & præſertim ſi ſint cibi pauci nutrimenti, & multi excrementi, vt olera. Cibus ratione quantitatis diſcretæ peccat, vt quando homines ingerunt plura cibaria & diuerſa, pluribus vicibus, impoſſibile enim tunc eſt hos non incidere in febrem, alioſq; morbos. peccat etiam rationẽ qualitatis & primæ, & ſecundæ, primæ quidem, vt quando cibi ſunt humidiores, vt lac, ſecundæ vt qñ cibi ſunt ingrati vel odoris, vel ſaporis, hi enim facilè putreſcunt. peccat etiam ex parte temporis, vt quando ſumitur cibus horis intempeſtiuis. Vitium etiam eſt in cibo ratione ordinis, vt quando quis ſumit cibos primum difficilis deinde facilis coctionis, & eos qui potiſſimum ſua natura facilè putreſcũt. poſtremo vitium eſt in cibo ratione præparationis etiam cõtingit duobus modis, quorum vnus eſt quando non benè dentibus conteruntur, ſecundus verò vt quando condiuntur cibaria lactè & fit pulmentum: hæ igitur ſunt cauſæ diſponentes corpus ad putridam febrem, quatenus gignunt humores vel putridos, vel putredini maximè obnoxios.

Cibus quomodo peccet ratione ſubſtantiæ.

Cibus peccat rõne quãtitatis.

Cibus peccat rõne temporis.

Cibus peccat rõne præparationis.

Erant deinde cauſæ diſponentes corpus ad putridam febrem ſuccos genitos putrefacientes, licèt hi ſint inculpati, atque ex Gal. lib. de inæquali intẽp. cap. 7. & 11. meth. cap. 4. pariter primo de diff. feb. cap. 3. & alibi paſſim huiuſmodi ſunt cauſæ obſtruentes: vnde aduertendum quòd non poteſt fieri putrida febris citra obſtructionem: Quòd ſi Gal. aſſerat lib. de Ther. ad Piſ. cap. 15. & lib. de ineq. intemp. cap. 8. & alibi, dari putredinem citra obſtructionem, is tamen nunquam dicit dare feb. putridam citra obſtructionem prohibitamque tranſpirationem.

Cauſæ diſponentes corp^9 ad putridam febrem.

Dubitatio.

Huius difficultatis ſolutio in hoc conſiſtit, quòd poteſt putreſcere materia citra prohibitam tranſpirationem, ſed hæc materia putrida nũquam cauſabit putridam febrem, niſi occurrat prohibita tranſpiratio, & obſtructio, niſi dicamus quòd poteſt aer putridus generare febrem peſtilentem putridam abſque obſtructione, ratio eſt quoniam in febre peſtilenti putreſcunt humores cordis, fieriq; poteſt vt ratione aeris peſtilentis per inſpirationem attracti inficiãtur humores cordis: quare tunc non eſt neceſſaria obſtructio, prohibitaque tranſpiratio, ſed Idea febris putridæ non peſtilentis in hoc conſiſtit, vt cordis humores non putreſcant, ſed ponantur in calefacto eſſe à putrida fuligine; vnde dicit Gal. primo de diff. feb. cap. 5. in febre ardente in putredine magnorum vaſorum cordis aſcendere ad cor veluti fumum; ſi ergo fumus locum habet in febre ardente, continente, multo magis locum habebit in reliquis febribus. Quare putrida hæc fuligo non petet cor niſi adſit prohibita tranſpiratio & obſtructio, vnde corpora tranſpirabilia non incidunt in febrem. Conſtitutum igitur ſit tales cauſas, quæ putrefaciunt humores bonos, eſſe cauſas inducentes prohibitam tranſpirationem, obſtructionemque.

Solutio.

Obſtructionis cauſa ex Gal. loco citato eſt materia copioſa, potiſſimum verò viſcida craſſeq; quando oportet loqui de cauſis harum materiarum, de quibus agit

Obſtructionis cauſę.

agit Auic. in hoc cap. Causæ hæ sunt duplices, vel enim generant materias, vel genitas materias detinent; priores sunt & internæ, & externæ, internæ, vt intẽperies frigida, & ex Gal. lib. de inæq. intemp. cap. 7. est intẽperies inæqualis quando verbi gratia ventriculus est frigidus, iecur verò est calidum, calidum enim iecur allicit chilum crudum, vt facile sit gigni materias crassas, atq; viscidas, & proinde obstructiones: idem dicendum est de ætate senili, in hac .n. vigent obstructiones, & materiæ viscidæ & crassæ.

Externę causę.

Externæ autem causæ sunt vel necessario, vel non necessario occurrentes, non necessario occurrentes vt abusus medicamentorum frigidorum, necessario occurrentes sunt vt aer frigidior: vnde hieme multiplicantur pituita crassique humores; pariter etiam cibus frigidus, & crassus vt castaneæ, fabæ, panis non fermentatus, caseus, & alia id genus, quæ omnia facilè est, vt corrumpantur, vt si cibaria condiantur frigidis, ratione frigiditatis gignuntur succi viscidi, & crassi etiam, idem dicendum de potu frigido.

Alia ex parte erant causæ genitos humores detinentes, & sunt illæ in quibus est vis adstrictoria.

Ideò proponebat Gal. 1. de diff. feb. 3. corpora densi habitus, aluum naturaliter constipantia. Quare dicit Gal. naturaliter constipata? Aluus constipata dupliciter potest considerari. Aliqui habent aluum naturaliter constipatam, Aliqui verò eam habent lubricam, sed his de repentè fit stiptica, vtraque alui stipticitas potest esse causa febris, sed differenter tamen, nam si aluus intelligatur stiptica naturaliter, hæc est causa, quæ cogit genitos humores ita vt non exeant, vnde est causa disponens corpus ad putridam febrem, si verò accipiatur aluus stiptica non naturaliter, sed quæ repentè fit stiptica, hęc erit causa non disponens corpus ad putridam febrem, sed ipsum dispositum impellens in putridam febrem: iurè ergo dicit Gal. aluus stiptica naturaliter. Prætera potest esse etiam causa aer constipatus, & intemperatus adstringensque potest etiam esse cibus adstringens, vt mespila, granata, & huiusmodi; item cibaria condita adstringentibus, quibus tamẽ homo vtatur in pauca copia, si enim homo is vteretur in multa copia, hæc tunc essent causa impellens, non autem disponens.

Quo alui stipticitas fit causa febris.

Causæ verò dispositum corpus impellentes, quæ si rectè loqui velimus potius vocari debent occasiones, desumuntur ex quatuor fontibus nempè ex assumendis, ex faciendis, ex foris incidentibus, & ex euacuandis.

Causę dispositum corpus in febrẽ impellentes ex quatuor fontibus dessumuntur.

Ex assumendis.

Ex assumendis, vt quando quis maxima ciborum copia vtitur, & potissimũ calidioribus, vt vino, arhomatis; tunc enim facilè est, vt iam dispositum corpus incidat in febrem: vnde videbitis multos comedisse vsque ad saturitatẽ, & vltra etiam, ex quibus aliqui febricitabunt, aliqui non, qui febricitabunt erunt illi, qui sunt dispositi, qui enim dispositi non erunt, non febricitabunt, nec ephemera, nec putrida febre, & hæc est causa impellens.

Ex faciẽdis.

Idem dicendum est de faciendis, verbi gratia, si quis post cibum valido vtatur exercitio, hic si erit dispositus incidet in febrem.

Ex foris incidentibus.

Similiter dicendum est de foris incidentibus, vt si quis vtatur balneo à cibo, facilè est hunc febricitare, immo hoc nihil est potentius; ex centum enim febricitantibus, plusquam nonaginta ab hac vna causa, de qua statim sum dicturus, in febrem incidunt, & hæc est quando homines post exercitationẽ vel calẽtes, vel sudãtes, vel proximè ad sudandũ, exponũt se aeri frigido, hęc est potissima causa inter causas impellentes corpus ad putridam febrem.

Præterea

Præterea ad hoc faciunt etiam ommissiones cautelæ ex Auic. vt quando quis solitus est gestare aliquid in regione ventriculi, tunc si hoc ommittat facile est, ut incidat in febrem.

Quoad excreta, quando non fit euacuatio solita, & repentè aluus cohibetur, tunc si corpus est dispositum necessariò incidit in febrem. Ex excretis.

Hæ sunt igitur causæ impellentes, ex quibus colligit Auic. febres putridas inter se differre ratione materiæ hoc modo, quatenus materia hæc est vel excrementitia, uel alimentalis, putrida.n. febris magis fit à materia uel alimentali, uel excrementitia. hæc distinctio colligitur ex Auic. in tractatu de humoribus, & ob id eam supponit doctrinam: Colligitur etiam id ex Gal. in lib. de inæquali intemperiè cap. ultimo, ubi proponens inflammationem, cancrum, erisipelam, carbunculum, herpetem, ædemam, fagedenam, aliosquè tumores, dicit hæc fieri ex succo uel melancholico, uel bilioso, uel pituitoso, deinde dicit fieri etiam ex sanguine vel calido, tenui, & bulliente, uel frigido, uel crasso. Sed dubium est quid sibi uellit Galenus per sanguinem crassum, tenuem, frigidum, bullientem; si quis enim dicat Gal. per sanguinem frigidum intelligere pituitam, tunc dico, ipsum superfluum fuisse, quia primò proponens succũ pituitosum intelligit etiam pituitam: quare nos dicimus Galenum per succũ pituitosum, melancholicum, & biliosum intelligere materias excrementitias, quæ non uertuntur in substantiam partis. Febris putrida fit uel a materia alimentali vel excrementitia. Dubitatio. Solutio.

Per sanguine uerò calidum, intelligere succum uerè sanguineum, prout distinguitur ab alijs succis alimentalibus; per sanguinem tenuem biliosum intelligere bilem alimentalem; per sanguinem frigidum, pituitam alimentalẽ; per sanguinem tandem crassum, melancholiam alimentalem.

Sed animaduertatis, quòd materia excrementitia est uel humorosa, uel ichorosa, de materia humorosa res satis superquè patet; quoad materiam ichorosam dicit Gal. primo prorhet. primo 4. reperiri serum atrę bilis in excrementis aquosis, in lotio videlicet, ut significaret ichorem non esse serositatem, seu excrementum illud sincerum, quod est ueluti uehiculum alimenti; ichor enim est quid diuersum à lotio, & hoc colligi potest ex Gal. 6. epid. 2. 37. nam cum dixit ibi Hipp. sanguinem ichoroidem esse modo bonum, modo malum. dicit Gal. omnem ichorem esse malum & præter naturam. Verum, quoniam differentia est inter ichores, vt ex his aliquis sit prauior, aliquis minus prauus, dicit Gal. medicos consueuisse interdum minus malum uocare bonum, & unũ horum fuisse Hipp. qui considerat ichorem sanguinis esse mitiorem ichore bilis: cum igitur omnis ichor sit malus & præter naturam, non habet, quod sit uehiculum sanguinis, uehiculum enim sanguinis est lotium, & ex hoc colligatis ichorem esse multiplicem, prout multi sunt humores, ichor enim correspondet humori: quare massa sanguinea pro aggregato quatuor humorum põt habere, si q̃d introducatur, vnicã massam ichorosam, quæ proportione respondeat humorosæ. Hinc corpori sanguineo à prædominio, si quæ causa præter naturam occurrat, cuius ratione fiant ichores, ex his putrescentibus fit febris sanguinea, quæ dicitur sinocha cum putredine. Materia excrementitia est duplex. s. vel humorosa vel ichorosa. Ichor & serositas differũt. Ichor oĩs est malus & præter naturam. Ichor multiplex.

Quòd si massa sit biliosa, tunc si prodeant ichores, ex his fiet febris ardens, de qua Hipp. & Gal. 4. de rat. uict. primo.

Quòd si massa sit aut pituitosa aut melancholica, ex his fient etiam uarij ichores, ex quibus fient febres ardentes spuriæ.

At si capiatur ichor pro determinato ichore, hic est aut sanguinis, aut pituita, aut bilis, aut melancholia ex quibus uariæ fiunt febres.

Idem dicendum est de excrementitijs humoribus: idest de pituita, bile, melancholica; vnde fiunt febres pituitosæ, biliosæ, & melancholicæ.

Non expectetis vt diuidam pituitam excrementitiam in naturalem & præter naturam, omnes enim humores diligenter proponam suis locis.

Animaduertatis autem dicere Galenum 11. meth. 2. diuidendas etiam febres esse prout febris uel causam habet, uel non habet, prout materia putrescit vel in toto, uel in parte, prout febris est uel cum phlegmone, uel sine phlegmone, & dicere differentias esse considerandas: Auic. verò considerare differentias desumptas ex materia & loco.

Causa fuit, eò quod Gal. ibi profitetur meth. medendi, & in genere considerat febrem, & ideo oportuit eum considerare differentias, non modo principales, sed etiam non principales, idest eas, quæ desumuntur à febre, ut est iuncta cum inflammatione, uel ut est sine inflammatione; sed quoniam aliter progreditur in febre putrida cum inflammatione, aliter in febre putrida absq; inflammatione: ideo Gal. tales considerat differentias, quas postponit Auic. propterea quòd cum ipsas insinuasset in capit. primo huius lib. non erat quod easdem hic rursus repeteret.

Febriũ differentia materia desũptæ.

Auic. cognoscit differentias feb. putridarũ desumendas esse ex materia putrescente, & loco ubi materia putrescit. Quo ad materiam, hanc diximus esse uel excrementitiam, uel alimentalem. de excrementitia satis diximus; loquamur ergo de alimentali.

De materia alimentali.

Materia alimentalis potest dupliciter considerari, vel scilicet pro tota massa, uel pro succo à reliquis distincto; unde dicimus in massa alimentali quatuor esse succos, sanguinem scilicet, bilem, pituitam, & melancholiam, quæ veritas desumi potest ex Hipp. primo de natura humana 18. ubi dicit in corpore necesse esse, ut reperiant quatuor humores. i. sanguis, pituita, & utraq; bilis, nec est quòd quis dicat Hipp. per reliquos tres succos, intelligere succos excrementitios, ita vt succus tantum sanguineus sit alimentalis.

Respõdetur tacitę obiectioni.

Hoc nequaquam secundum Hipp. est statuẽdũ; in principio. n. lib. de natura humana 19. ait totum corpus optima frui sanitate, qñ hi quatuor succi exactissimè inuicem sunt commixti. Vnde si sermo fiat de succis excrementitijs, dubio procul si succi hi miscerentur cum sanguine, corpus malè potius, quàm benè se haberet: hinc fit, ut in hicteritia corpus langueat, quoniam cum sanguine miscetur bilis excrementitia; secus uerò statuẽdũ est si misceatur bilis alimentalis cum sanguine; loquitur ergo Hipp. de succis alimentalibus, qui iurè quatuor esse debent, quia & corporis nostri partes inuicem dissentiunt, quædam enim sunt calidæ, & humidæ; quædam verò sunt frigidæ & siccæ; & in summa diuersam habent temperaturam, quare ex diuersis etiam succis ipsæ ali debent: cum igitur dentur hi quatuor succi alimentales, si capiantur simul pro aggregato ex 4. succis, & hoc aggregatum putrescat, tunc necessariò fit, non febris putrida, sed febris pestilens. Quare à nostro proposito excluditur putredo in massa humorosa, quoniam nos loquimur de febre putrida non pestilenti.

Si autem succi hi capiantur inuicem distinctè, & putrescant, tunc putrescente sanguineo succo fit febris sanguinea, pituitoso uerò pituitosa; bilioso

verò

verò biliosa, melancolico denique melancolica.

Sed animaduertatis sanguinem sub forma vel propria, vel aliena posse putrescere, si sub forma propria putrescat, fit febris sanguinea, quæ dicitur quodãmodo & biliosa & melancholica; quodammodo biliosa, si sanguinis portio tenuior putrescat, quoniam non degenerat in flauam bilem, sed in aliquã materiam, quæ est in confinio flauæ bilis: si verò sanguis putrescat secundum portionem crassam fit febris sangninea, quodammodo melancholica. Quod si sanguis putrescat, non sub forma propria, sed sub aliena, non fit febris sanguinea, sed vel biliosa, vel melancholica; nã cum nõ putrescit sanguis sub forma propria, tunc is degenerat in excrementum secundum partem tenuem in bilem, secũdum verò crassam in melancholiam, non autem in aliquid, quod sit in confinio vel bilis, vel melancholiæ, & ideò fit febris non quodammodo vel biliosa, vel melancholica, sed verè biliosa, vel melancholica. Sanguis dupliciter putrescere põt.

Quod si consideremus succum alimentalem pituitosum, hunc siue sub propria, siue sub aliena forma putrescentem, fit febris verè semper pituitosa.

Si autem putrescat succus biliosus sub forma propria, fit febris biliosa, si verò sub aliena, fit febris atrabilaris, seu quartana, nam si succus alimentalis degeneret in flauam bilem excremẽtitiam, febris erit biliosa; Biliosa etiã erit febris, si is degeneret in bilem prassinam, eruginosam, ceruleamq; sed si degeneret in atram bilem, febris est melancholica atrabilaris. Febrium differentiæ à loco desũptæ.

Postremò si consideremus succum melãcholicum, hoc siue sub propria, siue sub aliena putrescente forma semper fit febris melancholica.

Quod si consideremus differentias febrium putridarum ratione loci, locus potest dupliciter cõsiderari, vno modo prout in loco materia exactè putrescit, altero modo prout in ipso materia non exactè putrescit, sed aliquid vestigij putredinis assequi videtur, tñ ex loco primo modo oriuntur illæ febriũ differẽtię, secundum quas dicimus febres esse vel continuas, vel intermittentes; continuæ sunt, si materia intra venas putrescat, intermittentes sunt si materia putrescat extra venas.

Intermittentes vlterius non diuiduntur; at continuæ possunt subdiuidi prout materia putrescit in venis vel magnis, & cordi proximis, vel in paruis & à corde remotis; si putrescat materia in venis magnis cordi propinquis, quę sũt inter alas & inguina ex Galeno 2. de cris. 6. fiunt feb. continuę continentes, conclusæ interdum ab Auic. synochæ verò à Gal. dictæ. Si materia putrescat in venis paruis à corde distantibus, fiunt febres continuæ proportionatæ; continuæ quidem dictæ, quoniam materia putrescit in venis, proportionatæ verò, quia cum materia protruditur à venis proximis ad remotas, tunc fit febris proportione respondens intermittenti. Feb. cõtinuæ sunt in dupli ci differẽtia.

Continuæ autem differunt à continentibus; in continentibus.n. est vna tantum accessio, in continuis verò proportionatis plures sunt accessiones. Deinde considerandus est locus vbi materia non exactè putrescit, sed suscipit aliquod vestigium putredinis, quod vocat Auic. semitam putrefactionis quasi viam ad putredinem, atque vt colligitur ex Gal. 2. meth. cap. 4. locus hic est vel intra, vel extra venas, si intra venas, totum occupatur, idest ferè omnes venæ, & possumus cum Gal. totum vocare; si occupetur pars aliqua potest esse modo vna tantum, modo duæ, modo tres partes, in quibus, tanquam in foco, adest initium putredinis; quò fit, vt si vnus sit locus, vna erit febris, si In quo differant cõtinuæ feb. à continentibus.

autem duo, duæ febres, si verò plures, plures etiam fient febres: vnde aliqui interdum detinentur octo tertianis, & hoc, quoniam varia sunt loca in quib⁹ putrescit materia.

Sed potest etiam esse locus extra venas, quando materia capit initium alicuius putredinis, vt in capite, vnde fit febris illa cerebralis, atq; in uentriculo & circa precordia, & fit febris proposita à Fernel. quam tamen insinuauit etiã Gal. 2. meth. cap. 4. & 6. epid. v. 91. Ex traditis habetis omnes differentias febrium putridarum.

An oẽs feb. putridæ oriã tur à bile. Feb. putridas fieri à bile probatur 1.

Sed hic occurrunt nonnullæ difficultates contra ea quæ dicta fuere, & primum quoniam videtur statuere Gal. 2. de diff. feb. cap. 2. omnes feb. putridas procedere ex bile; diuidit enim feb. biliosas non modo in biliosas, sed & in pituitosas, & melancholicas, in tertianas, quotidianas, & quartanas.

Secundo.

Secundò probatur ex Anax. referente Arist. 4. de part. animal. cap. 2. vbi dicit, omnes morbos acutos oriri ex bile, & propterea viuacissima esse illa animalia, quæ carent bile, vt ceruus, camellus, & delphinus; hanc etiam sententiam habuit auctor lib. 2. de natura humana in fine, vbi scriptũ est, omnes morbos acutos, & præsertim febriles, oriri à bile. Insuper ratione cõprobatur, quoniam omnes febres, si non fiant à bile, necessario habent bilem coniunctam, & ratio colligitur ex Hip. 2. & 3. lib. de morb. bilis est veluti sulphur, quo accenduntur reliqui humores vt putrescant.

Solutio ad primum. Bilis est duplex generica, & specifica.

Pro solutione primæ dubitationis. Dicimus Gal. ibi per bilem non intelligere materiam specificam distinctam à pituita & melancholia, sed bilem genericam, prout in se claudit & flauam bilem & pituitam & melancholiã, secundũ quem modum loquitur Hip. 7. Aph. 42. vbi vult febres, quæ non fiunt ex bile balneo curari, vt ex hoc ibi in cõmento inferat Gal. feb. ex bile non curari balneo; febris ergo ex nõ bile curatur balneo, febris verò ex bile non curatur balneo; curanť. n. ope balnei, dicit Gal. ephemera & hectica; hæ autẽ non fiunt ex bile, quia non fiunt ex humoribus, putridæ verò non curanť balneo, immò nocet balneum in febrib. putridis, putridæ verò fiunt ex bile, sed non tantum putrida biliosa redditur intensior ratione balnei, sed & pituitosa & melãcholica, quando omnes febres prodeunt ex bile, si hoc communi modo capiatur bilis, sed si rectius perpendantur verba Gal. is non videtur febres diuidere ex bile in feb. biliosas, pituitosas, & melãcholicas; proponit enim primum genus febrium ex bile, secundum ex pituita, tertium ex melancholia.

Ad secundũ.

Ad secundam dubitationem respondetur, quòd hæc sententia simpliciter prolata est falsissima, quoniam experiẽtia quotidiana probatur, & vrinis, & egestionibus & vomitu solam bilem putrescere.

An humores putrescant in venis. Alex. sententia est non putrescere in venis humores.

Dubitať tertiò q̃a dicit Alex. nõ putrescere humores in venis, vt ob id falsũ sit dari putridas febres; si putrescunt, dicit Alex. lib. 12. cap. 2. humores in venis (is enim non negat putrescere humores extra venas) gignuntur animalia; hæc autem cum generantur ex putredine, deberent potissimum in venis generari, eo quòd magis ibi viget calor, videmus enim gigni animalia vbi materia putrescit in intestinis, in quibus non est calor ita vehemens, vt in venis. Dicendum igitur humores non putrescere in venis.

Sẽtentia Iuberti q̃ in venis humores nõ putrescãt confirmatur.

Hanc sententiam sequuti sunt nonnulli recentiores, & maximè Iubertus secund. lib. paradox. medicinalium, vbi multis rationibus conatus est probari in venis non fieri putredinem, & inter alias rationes tribus validioribus

vſus eſt. Prima ratio Iub. eſt, Omnis putredo fit cum fœtore, in uenis nullus eſt fœtor, ergo in uenis nulla eſt putredo. Secunda ratio eſt, cuncta conſeruantur in locis propriis, ſed uenæ ſunt loca propria ſanguinis & humorum, ergo non poſſunt putreſcere humores in uenis. Maior probatur ex Ar. 4. phyſ. in tractatu de loco, minor eſt manifeſta. Tertia ratio Iub. eſt accepta à Gal. qui 6. epid. com. primo t. 28. vbi ponens diff. inter feb. peſtilentes, & alias febres inquit, differre peſtilentes ab aliis feb. putredine, ſi differunt putredine, inquit, Iub. ſequitur alias feb. non habere originem ab humoribus in uenis putrefactis.

Sententia Alex. eſt falſiſſima, & multa dogmata medica ſubuertit, nam niſi putreſcerent humores in venis ratione continuitatis feb. nulla eſſet, quia caracter feb. continuarum eſt, ut efficiatur ex putredine in venis. Quare ſoluamus rationem Alex. hunc in modum. Quòd materia putreſcens non eodem modo putreſcit, aliqua enim ſenſim, ac ſenſim putreſcit, unde antequam deducatur ad incinerationem, requiritur plurimum temporis, aliqua verò egent breui tempore ad putreſcendum; ſi materia paulatim putreſcat & tardè, tunc ex ea poſſunt gigni uermes, & hoc experientia comprobatur in pituita uiſcida, ex qua, priuſquam verſa ſit in cinerem, poſſibile eſt gigni uermes: at ſi humores putreſcant in uenis quam celerrimè ad incinerationem uertuntur, areſcuntquè & uſque adeò feſtinanter, ut non poſſint gigni uermes. Refellitur Alex. ſentẽtia. Solutio rationis Alex.

Reſpondetur ad primam rationem Iub. quando dicit omnem putredinem fieri cum fœtore, negatur hæc maior, quia tantum abeſt, quòd omnis putredo fiat cum fœtore, quinimo aliquæ putredines fiunt cum maximo odore, ut in generatione muſci. Ad primam Iuberti.

Ad ſecundam, quòd cuncta conſeruantur in locis proprijs &c. Reſpondetur quòd licèt res conſeruetur in locis proprijs, poteſt etiam in locis proprijs putreſcere à cauſis aliundè prouenientibus, ut ſi uinum conſeruetur ferè ſemper in proprijs dolijs, quandoque tamen corrumpitur, & putreſcit in ipſis alijs de cauſis. Ad ſecundã.

Ad tertiam reſpondetur, negando conſequentiam, quia etſi dicat Galen. quòd febres peſtilẽtes differant ab aliis febribus putredine, non ſequitur alias putridas non fieri à putredine, ſed diſtinguendum, quòd differunt putredine; quia putridæ peſtilentes fiunt ab inſigni putredine, ut patet ex Gal. 3. de præſag. ex pulſib. 3. & 9. de ſimplic. med. facult. cap. de terra ſamia. Ad tertiam.

Dubitatur inſuper ex Alex. qui dicit in feb. intermittentibus materiam putreſcere in uenis, contra Gal. ut cum tranſmittitur materia à uenis ad extra uenas, tranſmittatur putredo, cuius ſignum euidentiſſimum eſt illud, quòd capitur ex lotio, lotium enim indicat putredinem, & hoc non modo admittit Alex. ſed & Gal. nono meth. 4. vbi diſtinguit Synoch. cum putred. à Synocho ſine putredine, ſed lotium indicat affectum in uenis, non extra uenas, ergo in feb. intermittentibus materia putreſcit in uenis. An in intermittentibus materia putreſcat in venis uel extra uenas. Alex. ſentẽtia.

Confirmatur Alex. ſententia, quòd in ſolis uenis fiat putredo duabus rationibus. Prima ratio eſt, quòd uenæ ſint loca caua, calida, & humida, & putredini accommodata. Secunda ratio eſt, quòd uidemus ſanguinem extra vaſa potius congelari, quàm putreſcere; igitur dicendum eſt ſolum in venis fieri putredinem humorum. Quod in ſolis venis fiat putredo probatur ex Alex. Prima ratio. Secunda ratio.

Alex. improbat.

Ad Alex. pro veritate, ita dicimus, in feb. intermittentibus materiam putrescere extra venas, non in venis; vnde facilè ét fit, vt in principio intermittentiũ, cum transmittitur materia à venis ad extra venas, appareat rigor, & frigus; nondum enim, nec putredo est, nec frigus. Quare materia putrescit extra, non autem intra venas. Aduertendum tamen, quòd licet materia non putrescat in venis, ea tamen acquirit aliquam vmbram, & aliquod initium putredinis, quòd quidem indicatur à lotio; fit enim aliqua mutatio in lotio, quæ mutatio non obseruatur in ephemera, & ob id Auic. loquens de feb. intermittenti dicit, *& inflammatur in materia secunda secundum semitam putrefactionis*, per materiam secundam, hic intelligit causam antecedentem; *secundum semitam putrefactionis*, idest secundum viam ad putredinem.

Auicenæ locus explicatur.

Solutio 1. argumenti Alex.

Ad primam ex illis duabus rationibus respondetur, quòd & si venę sint loca caua, calida, & humida, & putredini accommodata, sunt tamen etiam alia loca in corpore humano, quæ sunt & caua, & calida, & humida, & putredini accommodata.

Solut. 2. arg. Alex.

Respondetur ad secundum, ꝙ etsi sanguis extra corpus congeletur, certum est tamen intra corpus sanguinem à venis excretum putrescere, vt apparet in inflammationibus, & multis aliis accidentibus.

In febribus intermittentibus an materia trasmittatur a venis ad extra.

Oportet deinde cogitare in feb. intermittentibus an materia transmittatur à venis extra venas.

Communis medicorum schola asserit hoc esse perpetuum in feb. intermittentibus, vt materia transmittatur à venis extra venas, quòd tamen falsum est; aduersatur enim Gal. 2. de diff. feb. vlt. vbi habet fieri accessiones per fluxionem materiæ, fluxio autem fieri potest, vel per transmissionem, vel per attractionem, breuitatis gratia de fluxione tantum per transmissionem agamus.

Dicit Galenus transmissionem fieri hoc modo, vt pars generans superfluã materiam genitam extra expellat ad alias partes; licet enim pars gignens sit debilis inquantum gignit, ea tamen ratione qua genitam materiam extra propellit ad alias partes, est robustior parte recipiente, si ergo pars transmittens est robustior, & cum nos supponamus adesse materiam excrementitiam prauam nondum putrefactam, sed incipientem putrescere & recipiatur in venis meseraicis in regione ventriculi circa lienem, ego vellem scire quomodo materia hæc propulsa à venis extra venas possit causare feb. intermittentẽ; oportet enim vt propellatur primò ad iecur ad venas iecoris, deinde ab illis venis in centro existentibus ad venas ad circunferentiam, & tandem ad extra venas; si lien & ventriculus est debilis, si iecur est robustum, quomodo recipiet hanc materiam? Non est possibile hoc, & ob id Fernelius in hoc doctissimè statuit falsum esse, quod in omni intermittente transmittatur materia à venis extra venas, sed febrem intermittentem fieri hoc modo, vt materia putrescat circa ventriculum, circa mesenterium in ijs partibus vicinis circa septum transuersum, in quibus partibus, dicit Fern. reperiuntur quædam membranæ sensu exquisito præditæ, & cum hæ partes ratione putridæ materiæ afficiantur, trahunt in consensum totum corpus, quò fit vt homines vel frigeant, vel horreant, vel rigore afficiantur, pro acrimoniæ vbertate sensuquè etiam exquisito partis; sicuti si quis etiam patiatur vlcus in aliqua parte corporis & illud pungatur, totum corpus repentè afficietur horrore, horror hic fit ne à materia transmissa à venis extra venas? nequaquam; & ob id dixit Fernel. in curatione maximè respiciendum esse ad partes propositas. Dicerem tamen

Fernelij opinio.

ego, Fern. non ex toto, sed aliqua ex parte errasse; fieri enim potest vt excitetur febris intermittens, quæ fuit proposita à Fernel. sed hoc non est perpetuum, & in hoc errauit: nam vt propriis ipsius fundamentis vincamus, si febris intermittens semper ita fieret, vt dicit ipse, necesse esset, ut in omni febre intermittente febricitans insignem experiret angustiam, doloremquè in partibus propositis, præditis membranis illis exquisitè sentientibus, interdum quidem fit hoc, sed quandoque tamen febricitans non conqueritur de dolore illarum partium, interdum materia ibi putrescens redditur calida, acris, & mordax, vertiturquè in vaporem ac fuliginem, vnde partes dissoluuntur distenduntur fitquè vnitatis solutio, quare necessariò fit dolor, vnde si quis etiam patiatur vlcus & pungatur, proculdubio fiet horror, hic tamen sæuissimum percipiet dolorem in loco vlcerato qui pungetur, quare à simili deberet etiam pati insignem dolorem in supradictis partibus, & ideo in hoc errauit Fernelius, quare pro veritate, dico ego, interdum materiam putrescere in supradictis locis, sicut dicit Fernelius, & hæc veritas posita fuit à Gal. *6.* epid. 5. 31. vbi ait fieri febres putridas affecto uentriculo, quando cibi corrumpuntur, fiuntquè febres variæ, pro uaria ratione putredinis hæ febres sunt intermittentes, quia materia non putrescit in uenis, nec transmittitur materia, interdumquè experientia comprobatur, febres intermittentes lenienti tantum medicamento curari, ratione enim talis medicamenti eradicatur materia illa excrementitia, quę ibi putrescit, ut non redeat amplius febris, & hoc est uerum.

Opinio Fernelij partim laudatur partim inreprobat.

Autoris opinio.

Vt distinctè ac tutò curarentur febres intermittentes, necesse fuit declarare quot modis ipsæ producantur, & eas diximus tripliciter oboriri.

Febres intermittentes tripliciter producũtur.

1. modus. Primò, quando materia putrescit circa uentriculum, & uicinas partes, in qua febre non transmittitur materia à uenis extra uenas, nec ab aliis uiis ad totum corpus, sicuti etiam statuit Fernel. & Gal. etiam *6.* epid. 5. 35.

2. modus. Secundò, quando materia transmittitur à uenis ad extra uenas, & in hac febre oẽs sunt concordes pręter Fernel. qui hoc negans uerum, plurima adducit argumenta, quæ, quoniam ex dictis & dicẽdis facile corruunt, ideo omitto.

3. modus. Tertiò, quando materia in ambitu totius putrescit, quando defertur ad totum corpus, non tamen per uenas; sed per alias vias; non enim fieri potest, ut pars debilis propellat materiam ad robustam, & hic modus propositus fuit à Galeno, licèt implicitè, secundò de diff. feb. primò, ubi ait in feb. intermittentibus materiam deferri ad totum corpus; In communi & in genere ibi loquitur Gal. & nihil dicit de uenis.

Sed euidenter ueritatem hanc proponi t Gal. 2. de cris. *6.* ubi ait in feb. intermittentibus deferri materiam, uel per uenas, uel per totum corpus, dicit uel per uenas, ergo non semper defertur per uenas, sed citra uenarum ductus potest deferri materia per totum corpus.

Superest modo, ut antequam accedamus ad signa, nunc rectè intelligatis naturam feb. putridarum, & totum hoc cap. Auic. atque etiam ueritatem Gal. licèt obscuram in secundò de differ. feb. cap. primò & ultimò; quòd ut fiat discurrendum nobis est circa accessionum inuasiones: & ut distinctè procedamus discurremus primum circa accessiones, deinde circa reditum accessionũ.

De accessionibus & reditu accessionum.

Quantum ad inuasiones accessionum feb. duo sunt explicanda, primum cur inuadant accessiones: secundum cur uariè inuadant.

Quo ad primum Gal. 2. de diff. feb. ultimò dicit, aduertendum esse, an sermo

fiat

fiat de inuasione accessionis in febre, quæ vnam tantum habet accessionem, an uerò de inuasione accessionis febris habentis plures accessiones.

Si sermo fiat de febre una tantum habente accessionem, Gal. dicit in hac non reperiri partem ullam determinatam affectam, peccat enim materia in magnis vasis in toto corpore & præcipuè in uenis existentibus inter alas & inguina, ut his partibus in cura sit indifferenter occurrendum.

At si sermo sit de febre plures habente accessiones, aduertendum, dicit Gal. causas inuasionis referendas esse ad partes transmittentes, suscipientes, generantes, & attrahentes.

Explicatio verborũ Galeni.

Quid modo per hæc verba velit Gal. nostrum est explicare, quando ex his pendeat curandi ratio, in febre igitur considerandum, an accessio fiat cum fluxione, an verò citra fluxionem; an demum vtroque concurrente, idest partim cum fluxione, & partim sine fluxione.

Si consideremus inuasionem accessionis, prout producitur cum fluxione, hæc fieri potest dupliciter, per attractionem videlicet, ac transmissionem.

Calor attrahit tribus re causis. Prima.

Si per attractionem, ex Gal. fit hæc ratione vel doloris, uel caloris, calor attrahit tribus de causis. Prima est quia causat vacuum dissipando humores, sed cum natura non possit ferre vacuum, est in causa, ut grauia petant superiora leuia inferiora, quando ut non detur hoc portentum in natura ad replendum vacuum ad partem calentem mittit humores. Secunda causa cur calor attrahat ea est propter rarefactionem partiũ quam calor introducit, quia rarefactæ partes, cum debiles euadunt, veluti inuitãt partes proximas ad deponenda excrementa in sese. Tertia causa est, quia calor introducit intemperiem calidam, quæ intemperies imbecillitat partẽ, qua imbecillitata etiam sine rarefactione ratione debilitatis fit susceptrix excrementorum aliarum partium.

Secunda.

Tertia.

Dolor an attrahat.

Dolor an attrahat videndum. Galenus in lib. de curandi ratione per sanguinis missionem cap. 7. dixit dolorem esse causam attractionis. Hæc sententia, ita suscepta est penè ab omnibus; ut sit in ore omnium doloré attrahere. Sed contra, dolor est pura passio, purus affectus corporis, à passione quomodo imaginare possumus proficisci actionem? Quare non est idem simpliciter dolorem attrahere, quia dolor qui est passio faceret & ageret, quid igitur dicendũ est? Mea est sententia dolorem esse causam, ut partes omnes circumuicinæ parti dolenti in motu ponantur, ita ut in motu positæ dimittant deinceps humores & excrementa in partem dolentem, atque hanc sententiam significatam habere potestis à Gal. 13. meth. cap. 3. Possum pariter dicere quòd dolor est perceptio rei molestæ: Vnde concurrunt causa agens, & causa patiens, causa agens est res molesta, causa patiens est pars sentiens, cum illa agens, sit quæcumque esse velit, imbecillitat partem, qua imbecillitata de facili recipit: Vel dicamus, dolor attrahit, quia ratione doloris concurrunt spiritus ad partem, qui cum sint calidi calefaciendo attenuant humores, & calefaciunt vias: His igitur de causis & dolor & calor attrahunt.

Argumentũ quod dolor nõ attrahat. Solutio.

Si accessionum inuasio fit per transmissioné cócurrunt materia, membrum mandans recipiés & viæ.

Si per transmissionem tunc concurrit materia, membrum transmittens, membrum suscipiens, & uiæ paratæ.

Quòad materiam hæc concurrit quatenus peccat ratione, aut quantitatis, aut qualitatis, ratione enim quantitatis aggrauatur expultrix, ratione verò qualitatis irritatur expultrix.

Causæ autẽ materiæ peccantis aut in quanto, aut in quali sunt tum internæ, tum externæ, internæ, ut imbecillitas viscerum, externæ, ut prauitas victus.

Si con-

Si considerem⁹ trāsmittens membrum, hoc necessariò debet esse robustum; alioqui enim non transmitteret, secus autem est si ipsum consideremus vt generans; atq; in febribus multa esse solent membra transmittentia, nempè ventriculus, iecur, & lien, interdum etiam caput, vt in febre catharali, quæ, nisi diligenter occurratur capiti, nunquam curabitur, atque partes hæ sunt considerandę non modo vt transmittentes, sed etiam vt generantes. Membrum mandans.

Quò ad membrum suscipiens, hoc potest esse debile, per debilitatem intelligo eam, quam cōferre oportet cum dispositione partis mandantis, mandans enim est robustius suscipienti. Membrum recipiens.

Quod si consideremus vias, ex Gal. loco citato viæ debent esse paratæ, idest apertæ & laxæ; tunc.n. materia non detinetur intra corpus, sed extra expelleretur, in febre enim oportet vt materia expellatur per locos reclusos quidem, sed exiles, non autem amplos, hoc modo ex Gal. fit accessionum inuasio per fluxionem.

Si fiat citra fluxionem tantum, fit tunc, quando materia genita in corpore non potest extra protrudi, sed in parte etiam putrescit materia, & hoc fit ratione imbecillitatis partis expellere non potentis, idest ratione ductuum obstructorum; hi autem obstruuntur ratione materiæ, vel multæ, vel viscidæ, vel crassæ. Accessionum inuasio quomodo fiat citra fluxionē.

Postremò fit inuasio & cum fluxione, & citra fluxionem; cum fluxione fit, vti supra diximus, citra verò fluxionem fit, quia cum progrediuntur accessiones, partes suscipientes, præter imbecillitatem natiuam, afficiuntur etiam imbecillitate adscititia, cui in curatione est prouidēdum, vt mirum non sit, si quādoque febres maximè perdurent, nam sicuti dolia optima, vbi vino vitioso replentur, ab hoc vitiantur, vt optimum vinum in ipsa dolia immissum, fiat prauum, ita partes suscipientes ex Gal. vitiosas materias, ob natiuam imbecillitatem, ob præsentiam materiæ mortificæ potissimum putrescentis, nouam quandam imbecillitatem, idest adscititiam, contrahunt, cuius ratione fit, vt ipsæ nō modo promptius suscipiant superfluitates, sed etiam proprium non possint regulare alimētum; vnde superfluitates adhuc augētur, & promouetur accessio, quæ fit etiam propter materiam, quæ non fluit. Inuasio & cū fluxione & citra fluxionē quomodo fiat.

Secundùm explicandum est cur accessiones variè inuadant, idest aliquando cum rigore, quędam cum horrore, nōnullę cum frigore, aliquę cum inęqualitate, quædam verò prorsus sine his: Circa quæ, & præcipuè circa rigorem ita diligenter discurrit Auic. vt is proprium cap. fecerit de rigore, hoc autem collocauit in sermone de signis: ne igitur idē sępius repetere cogamur, ibi quęsitum hoc soluemus, cum loquemur de signis. Accessiones cur vario modo inuadant.

Quare oportet considerare reditum accessionum, & in reditu hoc perpendere & principium, & finem.

Quoad principium explicanda veniunt quatuor problemata, quorum primum est, cur accessiones redeant: secundum cur aliquæ frequentius, aliquę minus frequēter: tertium cur statutis diebus: quartum cur modo eadem hora, modo diuersis horis.

Quoad finem consideranda veniunt hæc duo problemata, cur aliquæ citò, aliquæ rarò desinant.

Quoad primum problema, quod est cur accessiones redeant, facilè est satisfacere, dicendo cum Gal. loco citato, causis inuasionis permanētibus accessionem redire, ijs verò extirpatis impossibile esse, vt redeant accessiones. Cur accessiones reuertantur.

Ad

Cur aliquæ accessiones frequentius aliquæ min⁹ frequenter reuertatur.

Plato iniquè redarguit à Galeno.

Declaratur locus Platonis obscutissimus.

Ad secũdum problema, quod est cur aliquæ accessiones frequentius, aliquæ minus frequenter reuertantur. Plato in Thimęo adhoc respiciens dicit, febres continuas fieri ex igne, pituitosas ex aere, biliosas ex aqua, melancholicas ex terra. Vnde Plato iniquè redarguitur à Gal. 8. de plac. Hipp. & Pl. 6. Plato. n. non respexit ad qualitates materierum à quibus fit febris, sed ad motum, & ob id cognoscens febres continuas esse in continuo motu, has assimilauit igni elemento maximè mobili; pituitosas verò quotidiè & sæpius alijs febribus affligere ęgrum, has assimilauit aeri, non vt significaret ipsas fieri ab humido & calido, sed à materia faciente accesiones frequentiores, & se citius mouente ad promouendum accesionẽ. Tertio loco collocauit biliosam, & hanc comparauit aquæ, quæ non ita mouetur, vt aer, magis tamen quam terra. Quarto loco collocauit, quartanã febrem omnium tardissimam, quam comparauit terræ elementorum omnium pigerrimo ad motum. ita intelligendus est Plato, non autem vt dicit Gal. loco præallegato.

Hæc autem diuersitas fit in febre, quoniam illa febris habet accesiones frequentius inuadentes, in qua citius noua regeneratur materia: citius noua regeneratur materia, in qua sunt potentiores causæ ad producendam nouam materiam, quæ quidem causæ in febre potissimum pituitosa vigent, minus autem in biliosa, adhuc etiam minus in melancholica.

Causæ frequentiæ accessionum.

Causæ frequentię accesionum desumendæ sunt ex quantitate, & qualitate materiæ, vnde si consideratur pituitosa materia, hæc multò citius regeneratur in ea copia, vt nouam posit promouere accesionem, quam aut bilis aut melãcholia; pituita enim gignitur in vẽtriculo, fitq; exparte frigida & humida viscidaq; cibi, quæ præter id quod copiosa est, nõ ita etiam facilè dissipatur à calore ventriculi, quò fit vt ipsa citò regeneretur. Si autem consideretur bilis, hęc non potest tam citò regenerari; producitur enim ex parte tenuiore non chyli, sed chimi, idest ex succo, qui non in ventriculo, sed in iocinore reperitur, chylus enim genitus in ventriculo à iecore vertitur in chymum: prætereà in hanc agit calor intensior, intensior enim est calor in iecore quam in ventriculo; quare antequam producatur bilis in tanta copia vt posit noua excitari accesio, requiritur longum tempus. Si consideremus melancholiã hæc longiore adhuc tempore regeneratur, producitur enim ex parte chimi crassiore hoc modo, quando fit coctio in ventriculo ciborum, portiones eorum crassæ degenerant in excrementa fœcalia, & per aluum descendunt, vnde restat portio tenuis, idest chylus: ex parte cuius crassiore gignitur melãcholia in iocinore, quę portio est minima quare antequam regeneretur melancholia in tãta quantitate, vt noua fiat accesio, opus est longo tempore.

Humorum qualitates.

Quòd si consideremus qualitatem harum materierum, pituita est frigida, humida, viscida, crassa, bilis autem est calida, sicca, tenuis, melancholia verò est frigida, sicca, crassa: vnde si inuicem conferamus has materias, copia pituitæ vsque adeò potest, vt licèt pituita sit frigida, & humida, crassa, viscida, citius tamen ipsa excitet expultricem ad expellendum, & sit in causa nouæ accesionis, quam bilis: licèt enim bilis sit magis mordax, calida, sicca, tenuis, plus tamen potest pituitæ copia, oportet enim vt qualitati adnexa sit etiam debita quantitas.

Tardissimus verò omnium est periodus melancholiæ ratione tũ qualitatis, tum quantitatis, vt per se patet: vnde dicit Auicena, reddens rationẽ propositi problematis, pituitam esse causam frequentioris paroxismi, quia est copiosa

minus

minus autem frequentis bilem, quia est tenuis.

Quòd si consideremus etiam inquinamentum in febribus putridis, hoc etiã facilè demonstrat ex pituita frequentiores produci periodos, ex Gal. 2. de diff. feb. cap. 4. circa finem. Vnde vt intelligatis quomodo inquinamentum sit causa nouę accessionis, confugiendum est ad Gal. 2. de præsag. ex pul. cap. 4. immo 3. de præsag. ex pul. cap. 7. vbi per inquinamentum intelligit id, quod relinquitur ex putrescente materia, idest cinerulentum: cinerulentum est igitur illud inquinamentum, quod est satis copiosum in febre putrida, quia non ita resoluitur in ipsis accessionibus. Vnde integritas huius febris pituitosæ non est exquisitè munda, vt deueniat ad exquisitam infebricitationem, ratione huius inquinamenti: hæc igitur est causa (dicit Galenus) vt noua citius accessio redeat in febre pituitosa, & ex Gal. 2. de diff. feb. 4. immo cum locum habeat inquinamentum, reliquæ febres erunt veluti distinctæ eorum in his materia dissipatur: hinc est quod harum febrium accessiones non sunt ita frequentes, & potissimum quartana, quando valdè crassum sit illud, ex quo fit quartana, vt nõ ita facile possit accendi, licet sit exiguum illud, vt dicit Gal. 2. de diff. feb. 5.

Inquinamentum, consideratur in febribus putridus vt est causa noua accessioni.

Inquinamentum quid sit secundũ Gal.

Ad tertium problema de causa periodicationis nos breuiter cum Gal. 2. de diff. feb. vlt. dicimus, huius nullam esse causam, quàm naturã & proprietatem humoris; reddens enim Gal. causam, ob quam febris, quæ habet accessiones de tertio in tertium, habeat deinde accessiones de quarto in quartum, dicit, quoniam biliosus humor vertitur in melancholiam, humor enim naturam mutat periodicationis; igitur causa referẽda est in naturam humoris: idem sentit Auic. tractatu quarto cap. 13. vbi dicit fieri humorum mutationem, quando humor mutatur in naturam alterius humoris: idem asserit Auerroes 4. colliget cap. 27. 29. pariter Alexander Aphrodisiensis 2. probl. problemate 10. & se subscribunt etiam Excellentissimi viri Fernelius, & Paternus.

Periodicationis causa.

Sed aduertẽdum, quòd humor seruare debet, non modo propriam naturã, sed & debitam quantitatem: vnde non mirum si febris melancholica interdũ habeat periodos de quinto in quintum, immo etiam vltra, quinimmo, & pituitosa febris habet aliquando accessiones de tertio in tertium, quando non est in debita copia: vbi igitur seruatur debita quantitas, hęc est natura febrium, vt pituitosa quotidiè, biliosa de tertio in tertium, melancholica de quarto in quartum inuadat.

Humòr seruare debet non modo ꝓpriã naturam sed debitam quantitatem si febris debet seruare propriam naturam.

Quartane cur habeant periodos de quinto in 5.

Pituitose febr. aliquãdo de tertio in tertium.

Quò ad quartum problema de inordinatione paroxismorum, pro veritate dicimus, sermonem de inordinatione paroxismorum posse dupliciter considerari vel enim consideramus ordinem; vel ordinis carentiã, in febribus eiusdem speciei, vel in feb. diuersarum specierum.

Quantum ad primum, in quo consideramus carentiam ordinis in febre eiusdem speciei, verbi gratia biliosæ, vt aliquis est correptus febre biliosa atque alternis diebus corripitur. Vnde aliquis semper incipit corripi tali febre eadem hora; in aliquo autem talis febris anticipat, in aliquo verò eadem postponit, huius inordinationis causa desumit̃ ex materia, ex membris corporis, ex victu. Quoad materiam, in materia consideramus quantitatem, & qualitatem, non modo primam, sed & secundam: vnde si materia regeneretur in eadem & qualitate & quantitate, verbi gratia ęquè calida, æquè tenuis, febris eundem etiam ordinem seruabit, at si mutetur materia, mutabitur & period⁹, vnde si exempli gratia materia citius in maiori copia calidior ac tenuior regeneretur, dubio procul præoccupabit periodus, si oppositum contingat in ma-

Periodi febrium cur inordinate ꝓueniant.

teria

teria periodus postponet. Idem etiam dicendum de membro, considerabim⁹ in membro transmittente sensum & imbecillitatem, in suscipiente verò tantum imbecillitatem: si hæc eodem modo perseuerabunt, eundem etiam ordinē seruabit febris, sin minus variabitur febris ordo.

Quoad victum, si seruabitur eadem viuendi ratio, seruabitur & idem ordo, sin minus ordo mutabitur.

Si verò consideremus inordinationem, prout febris silicet habens antea accessiones de tertio in tertium, in pręsentia ipsas habeat de quarto in quartum, vel quotidie, huius causa proponitur à Gal. 2. de diff. feb. 5. si humor seruet naturam propriam, non fiet mutatio; at si id, non fiat non aderit idem ordo: huius aūt inordinationis interna causa ex Gal. est humor, qui transmittitur ad ambitum totius, dicamus pro nūc à venis extra venas: hoc autem potest euenire dupliciter, vno modo, vt humor mutetur in alium humorem, tuncquè ratione huius mutationis mutantur & periodi alio modo, vt si humor biliosus, qui antea transmittebatur, non transmittatur amplius, sed pro eò transmittitur pituita, quod fieri potest, quando medici in febre biliosa imprudenter vtuntur frigidis auxilijs, & vsque adeò debilem reddunt ventriculum, vt non amplius regeneretur bilis, sicut antea, sed potius multiplicetur pituita. Vnde tunc fiet hæc inordinatio; immo fit potius mutatio febris in aliam febrē; vnde possunt esse ēt externæ causæ, quæ sunt desumendæ ex victu, ex medicamentis, vt si laborans febre biliosa vtatur, & medicamentis, & cibis calidioribus, non est mirum si fiant accessiones de quarto in quartum, si febris biliosa mutetur in quartanā.

Accessiones, quadam cur sunt longiores quędam breuiores.

Postremò ad problemata quantū sit ratione finis, quæ sunt accessiones, quędam sint longiores, quædā uerò breuiores, docuimus ex Gal. 2. de diff. feb. cap. vltimo, quòd causæ sunt petendæ ex materia, ex corpore febricitanti, & ex virtute: ex materia, quanto paucior, calidior, tenuior erit tanto etiam breuior erit accessio & periodus, si materia opposito modo se habeat, longior erit accessio: ex corpore, si corpus sit compagis rarioris, breuior erit accessio, si corpus contra se habeat, longior erit accessio: ex virtute, quò robustior erit virtus, eò breuior erit accessio, quò autem debilior est virtus, eò longior erit accessio.

Dubitatio.

Sed hic quis iurè dubitare posset dicens, Gal. fuisse diminutum assignando causas huius problematis, vbi tantum tres ponit desumptas ex materia, ex corpore, & ex virtute, quia sunt plures aliæ causæ, quas ponit Auic. quæ sunt materia, motus, & quies, sensus etiam acuties, atq; hebetudo.

Solutio.

Pro solutione autem dicimus, quòd Auic. tanquam Gal. interpres, quæ breuius dicit Gal. ea fusius debuit ipse explicare: quare si consideremus motum, & quietem, hæc referuntur ad proposita à Gal. dicit .n. Gal. materiam calidam tenuemq; esse in causa breuioris accessionis, contra verò materiam frigidā, crassam, viscidamq; esse in causa longioris accessionis, modo nonne notum est materiam calidam ac tenuem facilè moueri, egerrimè verò moueri materiam frigidam, crassam, & viscidam? pariter si consideremus acutiem sensuum, hoc refertur ad virtutem; robusta .n. virtus non est sensus obtusi, nec pigra ad expellendum, sed citò expellit.

Quibus propositis, addebat Auic. aduertendum esse, cum aliquis adest febre correptus, vt inquiramus num præcesserit causa externa, an non, si .n. non præcesserit, dicendum est hanc febrem esse putridam, quòd accepit à Galeno primo de diff. febrium 7. vbi habet putridæ febris proprium esse, sed non inse-

parabile

parabile, quòd non fiat ex causa præincipiente.

Aliquæ enim febres etiam fiunt ex causa primitiua; ergo non solis putridis conuenit.

Intelligatis quidem hoc modo Galenũ ibi loqui de febribus putridis exquisitis, respectu ephemerarum exquisitarum, & hecticarum exquisitarum: nam si consideremus ephemeras, q̃ fiunt ex obstructione, hæ nonne fiunt ex causa antecedente? nonne fieri etiam possunt sine causa primitiua, cui dubium? non ne fit hectica ex vlcere pulmonis? quomodo igitur competit hoc tantum putridis? Gal. explicat

Vos itaque non ita inferatis, hæc febris oritur ex causa antecedente, ergo est putrida, eò quod potest esse ephemera, atque etiam hectica, non ita exquisita, & ob hoc dicit Auicena, respiciendum esse pulsum, qui est inęqualis; Galenus, quoque primò de diff. feb. 7. dicit, in febre putrida pulsum esse inęqualem, esseque proprium, non inseparabile; quod dictum videtur esse suspectum; nam si id est proprium, non inseparabile, ergo conuenit soli putridæ, non autem omni: vtrumque tamen videtur esse falsum, quoniam Gal. per inæqualitatem, intelligit inæqualitatem collectiuam: declaro ex Gal. 2. de præsag. ex pulsibus 4. datur inæqualitas collectiua, datur etiam inæqualitas in vno pulsu; inæqualitas collectiua est ea, quæ attenditur penes plures pulsus; verbi gratia quando vnus pulsus est frequentior, alius verò minus frequens: vnde quia confertur vnus pulsus cum alio, dicitur inæqualitas collectiua; dicitur autem inæqualitas in vno pulsu, quando in vno pulsu consideratur & diastole & systole, ita vt systole non correspondeat dyastole eiusdem pulsus: Galenus igitur intellexit inæqualitatem collectiuam in pluribus pulsibus, voluitquè hanc fieri, & apparere in principio, & augumento accessionum, quando natura aggrauatur à materia fit contractio caloris, in principio, & augumento adest insignis copia fumi aggrauantis virtutem; & ideo suspectum videtur dictum Galeni. Quare is ibidem, silicet primò de differ. feb. cap. 7. ait, pulsum inæqualem obseruari etiam quando os ventriculi afficitur prauis humoribus: qua propter id non competit soli febri putridæ.

Pulsum inæqualem esse signũ propriũ non inseparabile febrium putridarũ dicit Galenus. Dubitatio. Solutio. Inæqualitas duplex.

Quomodo ergo est proprium? dicimus esse proprium, si conferatur febris cum febre: non enim conferri debet cum alijs morbis. Præterea suspectum esse videtur, quia si hoc fit ratione materiæ putridæ aggrauantis virtutẽ, nonne putrida materia locum habet in omni febre putrida? Quare non debet esse separabile: immo inseparabile vt omni competat.

Dicimus ita dixisse Galenum, vt dicit etiam Auicena, qui excipit putridam febrem intermittentem, & dicit in hac interdum non apparere hanc inæqualitatem ob leuem materiam; adeò enim leuis, & pauca potest esse materia, vt virtutem non aggrauet: Vnde dicit Galenus adesse in pulsu adflictationem.

Quid intelligat Galenus per adflictationem declarat primò de differ. feb. cap. 7. vbi inquit se nil alliud intelligere, nisi quando in principio paroxismorum pulsus fit admodum paruus, & inæqualis; atque vult talem pulsum reperiri in putrida febre, vt proprium, sed tamen separabile; quoniam dantur febres aliquæ, in quibus illæ non apparet.

Adflictatio in pulsu q̃d sit.

Vult tamen etiam esse proprium, & inseparabile, vt maior sit velocitas in systole, quam in dyastole: proprium quidem, quia cõuenit tantum putridæ febri, inseparabile verò, quia omni putridæ febri competit: animaduertendũ

Putridarũ febriũ propriũ, & inseparabile est maior velocitas in systole quam dyastole.

D tamen

tamen non semper competere, ideſt in quocunque febris tempore.

Auic. diligẽter agit de ſignis febrium putridicarũ.

Auicena diligenter loquitur de ſignis febriũ putridarum; dico diligenter, eò quod priuſquam deſcendat ad earum curationem, primò agit de ſignis diſtinguentibus febres putridas ab ephemeris, & hecticis: ſecundò de ſignis indicantibus, an febres putridæ ſint continuæ, an intermittentes: tertiò de ſignis indicantibus differentias, quæ deſumuntur à materia: quartò de ſignis prognoſticis: poſtremò, pro recta cognitione eorum, quæ dicta ſunt, conſtituit caput de rigore; & hic eſt progreſſus Auicenæ.

Signum propriũ & inſeparabile putridarũ, eſt maior velocitas in ſyſtole q̃ in dyaſtole, & redditur ratio.

Primum ergo loquens Auicena de ſignis diſtinguentibus febres putridas a reliquis, vult proprium, & inſeparabile indicium febrium putridarum, eſſe maiorem velocitatem in ſyſtole, quam dyaſtole, quod etiam proponit, Gal. primò de differentijs feb. 7. ratio huius eſt, quoniam meritò materiæ putreſcẽtis illud fit, vt maior ſit neceſſitas fuligines expellendi, quam aerem refrigerantem alliciendi.

Dubitatio.

Sed difficultas eſt, quoniam dicit Galenus loco citato proprium, & inſeparabile ephemerarum eſſe, vt celeritas ſyſtoles non ſit maior celeritate dyaſtoles; ſi eſt inſeparabile, ergo competit omni ephemerę, ſi eſt proprium ergo ſoli ephemeræ conuenit; ergo non conuenit hecticis: ſi ergo non competit hecticæ, quomodo dictum eſt eſſe proprium putridarum febrium, quòd velocior ſit ſyſtole, dyaſtole?

Solutio.

Dicatis, quando Galenus ibi ait proprium, & inſeparabile eſſe ephemerarum, vt velocior non ſit ſyſtole, quam dyaſtole, ipſum conferre ephemeras, non cum putridis, & hecticis ſimul, ſed cum putridis tantum. Quod hoc ſit verum patet, quoniam in principio capitis dicit, proponendas eſſe notas, q; bus ephemeræ diſtinguntur à putridis. Quare hoc eſt proprium, & inſeparabile febrium putridarum, quòd maior ſit velocitas in ſyſtole quam in dyaſtole, licet non in quocunque tempore febris.

Quantum ad pulſum attinet ſciendum, quòd, ex Gal. 1. de diff. febr. cap. 7. indicatur febris putrida, quando frequentia pulſus eſt maior ſecundum exteriorem quietem, quam ſecundum interiorem. Ratio patet, quoniam exterior quies, eſt quies ſyſtole: nam cum febris putridæ pulſus ſit celerior ſecundum ſyſtolem, rationi conſonum eſt, vt ſit etiam frequentior ſecundum quietem ſyſtoles, ratione materiæ putreſcentis. Præterea ex Gal. 1. ad Glauc. cap. 5. indicatur febris putrida ex perſeuerantia inæqualitatis febrilis, quæ inæqualitas apparet etiam in interuallo tertianæ intermittentis, & in hoc diſtinguitur tertiana ab ephemera; ex Gal. enim. 1. ad Glauc. cap. 2. propriũ eſt ephemerarũ, quòd inæqualitas febrilis vndiq; ceſſet. Per inæqualitatem intelligimus eam, in qua pulſus eſt velocior ſecundum dyaſtolem, quoniam maior eſt neceſſitas refrigerandi, quam expellendi fulligines, ratio huius eſt, quoniam in ephemera, ceſſante febre, remanet pulſus talis, qualis eſt in ſanis, ęqualis videlicet; in ſpiritibus. n. accenditur calor, qui communicatus cordi illicò euaneſcit; cum primum. n. remouetur calor a ſpiritibus, is remouetur etiam à ſolidis cordis: Quare perſeuerare nequaquam poteſt inęqualitas illa febrilis. At in febribus putridis, cum calor accenſus ſit in humoribus, cor magis patitur ſecundum ſolida, quam in ephemeris; & ideò in integritate, cum remaneat aliquid caloris febrilis, remanet etiam inęqualitas communis cuilibet febri, vt eſt illa, in qua pulſus eſt velocior ſecundum dyaſtolem, quam ſecundum ſyſtolem.

Febris putrida indicatur ex inæqualitate febrili.

Inæqualitas febrilis quid ſit.

Auic.

Auic. deinde capit signa à respiratione, quæ proportione respondet inspirationi: indicatur ergo febris putrida ex eo, quòd respiratio est maior inspiratione, sicuti etiam diximus de maiori velocitate systoles; eadem enim est ratio respirationis, & systoles.

Auic. capit signa a respiratione in feb. putridis.

Capit deinde signa à calore, vultque putridas indicari potissimum à mordaci: Dico potissimum, quoniam fuit sententia Galeni primò de differentia febr. cap. 7. febres putridas indicari ex calore inæquali, ac mordaci; differentia tamen est, quoniam caloris inæqualitas indicium est proprium, non tamen inseparabile: caloris verò mordacitas est vitium, & proprium, & inseparabile.

Signa putridarũ febriũ a calore desũpta.

Calor febrilis inæqualis conspicitur, eò quod propellitur materia de loco ad locum, idest à venis magnis ad paruas, & à venis extra venas, in quo motu calor, modò ad materiam recurrit, modo retrocedit ad cor; in quo accessu, & recessu necessario percipitur caloris inæqualitas; non enim is potest eodem modo persistere. Hoc autem est proprium febrium putridarum, quia hæ solum sunt febres materiales, sed tamen non est inseparabile, quoniam dantur febres putridæ, in quibus nullo modo mouetur materia, quales sunt continentes, at caloris mordacitas est propria, & inseparabilis febrium putridarum.

At dubitatur, vtrum caloris mordacitas appareat etiã in reliquis febribus; vbi enim febris, ibi etiam calor mordax.

Dubitatio.

Animaduertendum autem est calorem febrilem posse esse fumosum, fuliginosum, & flammeum, ex Galeno 3. de præsag. expul. 5. vbi vult in putredine humorum idem contingere, quòd etiam contingit in lignis quando comburuntur: vbi enim comburuntur ligna primum apparet fumus, deinde fuligo, tandem flamma, quando illa in carbones ignitos conuertuntur: vnde adest calor fumosus ratione fumi; calor fuliginosus ratione fuliginis; calor flammeus, quando iam adest carbo ignitus. Pariter Galenus primò Aph. commen. 14. dicit. *Sed & effluxus, qui e toto corpore fiunt, caloris quidem aduentitij sunt fumæi, fuliginosi, aridi, & acres.*

Solutio: Calor febrilis põt esse fumosis fuliginosis, & flammeus.

In omnibus febribus adest calor mordax, sed flammeus, cuius vi etiam fit, vt in pulsu dyastole sit velocior, quam systole: calor autem hic fumosus, & fuliginosus non reperitur in ephemeris, nec in hecticis, sed in putridis tantum; & ideò iurè dictum fuit esse proprium, & inseparabile febrium putridarum, quia competit soli, & omni febri putridæ. Vnde explanans Gal. mordacitatem hanc fumosam, & fulliginosam, ad differentiam caloris flammei, dicit primò de differentia febr. cap. 7. calorem in putrida febre ita mordere, ut feriat sensum tactus, perinde ac fumus mordet oculos.

Signum propriũ, & inseparabile feb. putrud. est Diastole frequentior systole.

Præterea distinguit Auicenas febres putridas à reliquis ex inuasione, quãdo ait, *putridas febres vt plurimum antecedere almeliletu*, idest quòd ante inuasionem febris percipiuntur lassitudines quædam spontaneæ, ossitationes pariter, & pandiculationes antecedunt. Vnde si his superueniat febris ipsa, necessariò erit putrida, eò quod hæc indicant materiam, quæ non habet locum in reliquis febribus: dicit autem Auicenas: *vt plurimum*, eò quod interdum tam repentè inuadit febris, vt hæc non præcedant.

Distinguit Auic. putridas febres ab alijs ex inuasione.

Proponit deinde Auic. indicium, quod sumitur ex terminatione febris, seu ex euentu terminationis, si accessio febrilis desinat cum copioso sudore,

Signũ aliud putridarũ febriũ summit ex terminatione febris.

febris hęc erit putrida, & ob id occurrendum erit præsidijs accommodatis, antequam alia accedat accessio, & ideò necesse est hoc cognoscere.

Signũ aliud desumit putridarum febriũ ex Aug. Auctor explicat nonnulla verba auicenę difficilia.

Indicatur etiam inquit Auicena febris putrida *ex augumento, ex augumento inquam non mixto, non proportionato, non simili, & prolixo*; Quæ quidem verba non sunt ita perceptu facilia. Dicatis igitur quoad *non mixtum*, hoc voluisse significare Auicenas, cum mixtum augumentum sit illud, quod non multum differre videtur à principio, contra autem impermixtum augumentum erit, quando summum erit discrimen inter principium & augumentum: vnde in febre putrida cum in principio transmittatur materia, calor naturalis summo cum impetu retrocedit, maximè autem expanditur in augumento, vt propterea augumentum nequaquam sit mixtum cum principio, cum in principio fiat contractio caloris, in augumento autem expansio, quod non obseruatur in ephemera.

Præterea augumentum non est proportionatum, & improportio inde pendet, quoniam in principio non putrescit materia, quæ putrescit in augumento, quod non apparet in ephemera.

Præterea augumentum non est simile, eò quod in Ephem. calor est semper flammeus, nempè in principio, augumento, statu, & declinatione, secus dicendum est de febre putrida; in hac enim in principio calor est fumosus, & præcipuè circa secundam partem principij; in augumento verò est potius fuliginosus, atque etiam in statu, & potissimum in vltima parte status; in declinatione verò est præcipuè flammeus, ergo non simile.

Præterea augumentum solet esse prolixum, sicuti breue est in ephemeris; spiritus enim facilè accenduntur, & ideò febris dicitur Ephemera, quia celerrimè ad statum deuenit; quod non est dicendum de febre putrida; in hac. n. augumentum aliquando solet esse prolixum.

Signum putridarum a forma febriũ

Præterea proponit Auic. signum desumptum à forma febris, idest principio vsque ad finem, vt si febris obseruabitur cum rigore desinere, cum copioso sudore, & symptomata non protinus desinant, & in integritate remaneat inæqualitas febrilis, quis non cognoscet hanc fore putridam febrem?

Signũ desũptũ a nigredine linguæ.

Ponit deinde Auicenas aliud signum putridarum, desumptum à nigredine linguæ, & inquit, quòd nunquam reperitur in diaria & hectica hoc signum, quod forsan desumpsit ex Aristotele 34. probl. sect. 3. & 4. vbi inquit, linguam in febribus iurè spectari debere, quia corpus est spongiosum, & propterea susceptibile peregrinarum qualitatum: ad hæc superposita est lingua pulmonibus, in quibus, cum fiat febris, facilè vapores sublati in fauces recipiũtur à lingua.

Dubitatio.

Sed dubitatur, an hoc sit signum proprium, vt soli putridæ conueniat; & videtur quòd non, quia Gal. 6. Epid. commen. 5. tex. 14. scribit linguæ nigrenem interdum fieri ob solum melãcholicum humorem, existentem in ventriculo; vnde experientia patet, sæpissimè contingere, nigredinem linguæ fieri absque febre putrida.

Solutio. Theophrasti opinio quod corpora denigrantur quinquemodis.

Respondetur supponendo ex Aristotele lib. de coloribus & 38. prob. sect. 8. 9. & 10. & ex Theophr. in lib. de igne, quòd quinque modis corpora denigrantur, quorum primus est per combustionem, secundus per putrefactionẽ, tertius ꝑ exsiccationẽ, quartus ꝑ fuligines, quintus ꝑ fumũ. His sic stãtibus dicimus, ꝙ linguæ nigredo in feb. putridis est illa, quę proficiscitur vel à combustione,

stiore, vel à putrefactione; quæ autem fit à fumo, & fuliginibus, non est propria febrium putridarum & de hac intelligẽdus est Gal. lib. 6. Epid. cõmen. 5. tex. 14. quòd scilicet à fumo & fuliginibus humoris melancholici existentis in ventriculo lingua denigratur.

Postremò sumit Auic. signum à lotio, quod Gal. primò de differentijs feb. 7. vult maximum esse inditium febrium putridarum, atque consistit in hoc, vt in prima die non appareant coctionis signa, quæ apparent in ephemeris; febris enim putrida est materialis, vnde non incipit à materia cocta, sed à cruda.

Signum à lotio.

Lotiũ in feb. putrid cur sit crudũ in prima die.

His Auic. addit inditia distinguentia febres continuas ab intermittentib⁹. Atque vt Auic. cum Gal. primò de diff. feb. cap. 7. breuiter explicemus, distinguntur febres continuæ ab intermittentibus ex duobus, nempè ex modo inuasionis, & ex diuturnitate febris. Ex modo inuasionis, si febris incipiat cum rigore, ipsa erit intermittens, & hoc desumpsit Gal. ex Hipp. 4. Aphor. Aph. 63. vbi ait. *Quibus in febribus rigores quotidie fiunt, febris quotidie soluitur.* rigor igitur indicat febrem intermittentem. Sed notandum, per rigorem esse intelligendum rigorem non exiguum; exiguus enim rigor potest reperiri etiam in febribus continuis: at si in febribus continuis quandoque appareat rigor, multo magis potest aliquando apparere horror, in quo minor fit agitatio: propterea vult Hipp. 3. Epid. 3. 75. in phrenitide interdum apparere horrores, sed aduertendum fuisse sententiam Gal. 2. de diff. feb. cap. 8. in febrib⁹ continuis non fieri rigorem, quantum in ipsis est. Hoc proposui vt sciatis cur fiat rigor in febribus continuis; non enim fit rigor in illis quatenus continuæ sunt: Continua enim febris est, quæ fit ex materia putrescente in venis, quæ nec rigorem, nec horrorem causare potest: sed fit hoc modo; cum in febribus continuis propellitur materia à venis magnis ad paruas, immò ad remotissimas, tunc non est impossibile, vt transmitatur extra venas aliqua materiæ portio, q̃ causet rigorẽ, non tamen feb. continuã; fieri nãq; potest vt ea efficiat, feb. & si fortè efficiet, hæc erit iuncta cum cõtinua; non. n. fit à materia in venis putrescente. Quare rigor ex loco citato non competit continuis quatenus continuæ sunt, sed fit ex aliqua materiæ portiuncula à venis extra venas propulsa; sed p̃terea, qm̃ fieri põt, vt detur febris cum exiguo vel horrore, vel rigore, vel etiam sine his, idque fieri etiam potest, vt hæc sit & continua & intermittens; ideò distinguere oportet ratione, tum curationis, tum etiam prognostici. Vos itaque distinguetis ex diuturnitate febris; si enim febris producitur vltra viginti quatuor horas, nec desinat ad infebricitationẽ, dicatis hanc esse continuam, si autem deueniat ad integritatem, dicatis ipsam esse intermittentem.

Signa distinguentia feb. continuas ab intermittentibus ex Galeno & Auicena.

Per rigorem quid intelligendum.

Rigor quomodo fiat.

Verum quando febris est continua, potest esse continua per subingressum paroxismorum, & etiam verè continua; continua per subingressum paroxismorum ex sui natura est intermittens, quia fit à materia extra venas putrescẽte: verè aũt continua fit à materia, q̃ putrescit intra venas. Obseruanda igitur est inuasio febris, si. n. feb. incipiat, vel cũ rigore, vel cũ horrore, vel cum frigore, & hæc diù durent, dicatis hanc esse continuam per subingressum paroxismorum, hæc enim fit à copia materiæ, cum verò horror, rigor, & frigus sunt longa, indicant materiam copiosam, quæ non dissipatur antè aduẽtum nouæ accessionis; Quare febris non potest desinere priusquam ei noua superueniat accessio. Si hæc sint breuia, dicatis hanc febrem esse continuam

Febris continua duplex.

verè, & ratio demonſtrat; nam ſi vel rigor eſt paruus & breuis, neceſſe eſt fateri, materiam eſſe paucam, quæ dubio procul diſſoluetur antè aduentum nouę acceſſionis, & ideò febris deſinet ad infebricitationem; at ſi non deueniat ad infebricitationem, ſignum eſt febrem eſſe continuam, quatenus portio aliqua materiæ tranſmiſſa eſt à venis extra venas, ſed portio materiæ faciens febrem eſt in venis, febriſq; hæc continua, poteſt eſſe & continens, & proportionata; vos has cognoſcetis ex traditis à Galeno 2. de diff. feb. cap. 2. item ex 2. de criſib. 6. Nam ſi febris erit continua, in qua materia putreſcat in vaſis magnis, tunc nullam obſeruabitis acceſſionem, eò quod nulla fit tranſmiſſio materiæ extra venas. At ſi obſeruabitis febricitantes quandoq; magis, quandoque minus affligi, febremq; modo intendi modo remitti, dicatis hanc eſſe continuam, ſed proportionatam, materia enim non putreſcit in magnis vaſis; & febres hæ proportionatæ quandoque magis accedunt ad continentes, & tunc ſunt vehementiores, & proinde periculoſiores, quandoque verò magis accedunt ad intermittentes, tuncq; non ſunt adeò vehementes, & proinde nec tam periculoſæ. facilè igitur diſtinguetis has febres, eò quod, licèt in omnibus obſeruaueritis modo intenſionem, modo remiſſionem, ad differentiam continentium, illæ tamen, quæ magis accedent ad continentes carebunt omnino rigore, & horrore, quæ quidem apparebunt in proportionatis, quæ magis accedent ad intermittentes, eò quod in ipſis poterit aliqua materiæ portio tranſmitti à venis ad extra venas. Quamuis Auic. loquatur de ſignis indicantibus differentias febrium putridarum, quæ deſumuntur à materia putreſcente, nos tamen de his ſignis inferius agemus: ratio autem huius eſt, quoniam vbi agrediemur tractatum febris verbi gratiæ biliosæ, tunc omni cum diligentia de ſignis hanc febrem indicantibus agemus, & ita non cogemur idem ſępius repetere.

Auctor ſe excuſat cur nõ agat đ ſignis differentiarũ febrium putridarum, & reddit cauſã.

De ſignis ꝓgnoſticis. Cap. 4. f. 2

Accedamus itaq; ad ſigna prognoſtica de quib. agit Auic. & vt facilè intelligatis ea, quæ ab ipſo proponuntur, & vt ſciatis etiam rectè prognoſticari, diſcurremus aliquantiſper circa hæc ſigna, non recedentes tamen à Galeno, qui in lib. de totius morbi temporibus cap. 5. ait prognoſticum in hoc conſiſtere, vt nos præſciamus, an victoria futura ſit ex parte morbi, an ex parte naturæ; ſed vt victoriam hanc cognoſcamꝰ inquit Gal. 3. de criſ. 5. & 6. oportet ꝑpendere vim morbi, vim naturæ, atque longitudinem, & breuitatem futuri ſtatus, vnde eodem prorſus modo inquit Gal. eſt progrediendum, quo progredi ſolemus, quando videmus baiulum aliquem onus aliquod geſtantẽ; tunc enim debita conſideratione poſſumus præſcire, an is poſſit tale onus ferre, vſque ad determinatum locum, ſi diligenter inquiramus, quæ ſit vis oneris, quæ ſit vis baiuli, & an iter ſit longum, an breue, idem etiam eſt dicendum de morbo. Vnde ſubdit Galenus 3. prog. com. 35. diligenter animaduertendum eſſe, an ſint plura, an pauciora ex parte morbi, an ex parte naturæ, ſiquidem ex Gal. 4. de ratione victus in morb. acutis 62. & 65. cum plura erunt & valentiora ex aliqua parte, ex hac etiam pendere victoriam præfari poterimus: ſi valentiora fuerint ex parte morbi, ęger dubio procul non ſanabitur: at ſi valentiora fuerint ex parte naturæ, tunc quidem priſtinæ ſanitati reſtituet̃. Quare diligenter admodum conſiderandæ ſunt res præter naturam, res ſecũdum naturam, atque longitudo, & breuitas futuri ſtatus. Quo ad res pręter naturam, & primò quoad naturam, ſeu cauſam morbi, ſi materia mitis ſit, ac benigna, benè ſperandum, ſi verò ſit praua, res eſt periculoſa. Quare febris

Cauſa preeſt conſiderãda in præſagio.

proce-

procedens à flaua bile non est ita periculosa, vti febris, quæ fit à bile, vel vitellina, vel prassina, vel eruginosa, vel denique à prauiori materia. Quo ad febrem, febris putrida quantum sit ex sui natura, nec salubris, nec lęthalis est, sed modo salubris, mòdo lęthalis, immò non tantum salubris quandoque, sed etiam vtilis, ex Hipp. 6. aph. aph. 29. veluti quando superuenit conuulsioni; dissipat. n. materiam conuulsionem facientem. Sed considerare oportet differentias potissimum; febres enim putridæ intermittentes non sunt periculosæ, & præsertim quartanæ, & tertianæ; nam dicit Hipp. 4. Aph. Aph. 43. *febres quæcunque non intermittentes, tertia quaque die fortiores fiunt, magis periculosæ, quocunque autem modo intermiserint, periculum abesse significatur.* Quo ad symptomata, si verbi gratia delirium fuerit assiduum, si homo egerrimè moueatur, si respiratio sit difficilis, si fętida ēt, si pulsus sit languidus, si deiectiones sint colliquatiuæ, si lotiū sit turbulētū, vel fœtidū, si lingua sit arida, nigraq;, atq; aderit facies hippocratica, tunc mortem pronunciare poterimus: si aūt aliqua colligant ex Hipp. & Gal. in primis sciendū fuisse sentētiā Hipp. 1. Epid. sect. 2. 34. tex. prauum esse inditium vbi ęger omnem cibū fastidit, qm̄ tunc indiciū est insignis læsionis oris ventriculi. Præterea fuit sententia Hipp. primo Epid. com. 3. tex. 18. prauissimum esse signum stillicidium atri sanguinis, atque admodum exitiale, secus verò si fiat fluxus sanguinis rubri; inditium enim est materiam esse prauam, naturamq; esse valdè debilem, atq; vbi praua est materia, virtusq; est imbecilla, tunc necesse est ęgrum mori. Præterea vult etiā Hipp. 4. Aph. Aph. 37. sudores frigidos cum febre acuta mortē indicare. Quòd si febris non sit acuta, & sudores sint frigidi, hi indicant longitudinem febris; cum enim sudores sunt frigidi, tunc materia est rebellis, quæ non potest nisi longo temporis spatio vinci; in morbo igitur acuto necessario succumbit virtus. Præterea fuit sententia Gal. primò de Cris. 7. si appareat fluxus sanguinis ex naribus, si prorumpant sudores, si emergant tumores, & hæc fiant tempestiuè, hoc est bonum; at si intempestiuè appareant, tunc malè est sperādum, quoniam motus hic symptomaticus est, indicans materiam prauam, naturamq; debilem esse,

Morbus est considerād*.

Differentiæ morborū veniunt cōsiderandæ.

Simptomata maximè consideranda in præsagio.

Vnde parum digrediēdum est circa tumores, & præcipuè circa parotides; fieri enim potest, vt hi tumores resoluantur, interdum verò suppurentur, si ergo hi resoluantur, & non suppurentur, non ob id est desperādum, ex Hipp. primo Epid. com. 2. tex. 81. vbi dicit fieri posse, vt ressoluantur parotides, & homo sanitati restituatur, si in die decretoria per alias vias excernatur materia morbifica. At si aliter contingat, tunc non ita benè est sperandum; sed fieri etiam potest, vt parotides suppurentur, & homo moriatur, ideò non debetis prognosticari semper salutem ex partis suppuratione, quia errabitis; & hoc etiam docuit Hipp. primo Epid. com. 2. tex. 84. ratio est, quia fieri potest, vt materia in parte concoquatur ex Gal. ibi, vnde tumor suppuratur in parte, in toto autem materia permanet cruda, quæ potest esse in causa mortis. Præterea ex Gal. primo de Cris. 12. & ex Hipp. primo Epid. com. 6. tex. 6. maximū desumitur inditium ex lotio, vt si lotium sit prauum, malè est sperandum, si verò sit bonum benè sperandum, quod nam autem lotium sit bonum vel malum, proponit Gal. primò de Cris. 12. ita distinctè, vt non sit opus hic eum proponere. Præterea vult Hipp. 6. epid. com. 1. tex. 24. quemadmodum valēt oculi, ita & corpus valere, quare ex oculis maximum sumitur inditium, & hoc signum nunquam fortasse vos fallet, oculos igitur ęgri diligenter obseruetis,

De Tumoribus & præcipuè Parotidibus.

nam

nam si oculi sint concaui, & florido colore destituti, & similes oculis hominũ lugentium, tunc licèt prædicere hunc esse moriturum; nullus enim horum ferè euadit. Sed animaduertatis, interrogandum esse ęgrum, an vlla præcesserit externa causa, vt męror; fieri enim potest, quòd tales euaserint oculi; propter causam aliquam externam, si nil præcesserit, & tales obseruabitis oculos, pulsumquè non satis robustum percipietis, tunc nunquam errabitis, si mortem prænuncietis. Quantum sit ratione rerum præter naturam, oportet etiam considerare vires cum materia. Quo ad vires si corpus sit robustũ, & facilè substineat morbos, benè est sperandum, si verò sit debile malè sperandum est. Vnde addere oportet etiam his, an eo tempore homines moriãtur, & vocatur Archigenis coniectura, aliquo enim tempore ex decem hominibus octo moriuntur. Si verò morbus originem duxerit ex interna causa est satis malum; vbi enim nulla præcessit euidens causa, tunc morbus radices habet intrinsecas. His etiam addatis longitudinem, & breuitatem futuri status; quo enim longior futurus erit status, eò etiam deterius erit. Ex his ergo colligatis vos, posse aliquando sine dubio aliquo prognosticari, aliquando verò vos esse in ancipiti, quando certi eritis de futuro enentu felici, hoc namque non est impossibile, tunc oportet curationem diligentissimè aggredi, & certam prognosticari salutem: si verò certi eritis de futura morte, tunc ægri sunt à vobis relinquendi solis prognosticis ex Gal. 2. aphor. 29. at si nec de salute certi sitis, debetis ingenuè progredi & euentum morbi cum aliqua dubitatione prædicere, & deinde agredi curationem, hoc fuit præceptum Hipp. 6. epid. com. 6. tex. primo, vbi proponit casum cuiusdam ægri, cui secuit venam in cubito, & dedit pharmacum, & reliqua, & tamen illæ obijt: ideò Gal. non recedens ab Hipp. in com. 8. 6. Epid. dicit nostrum esse tentare omnia quę possumus, licèt res non benè succedat, quod est intelligendum quando prognosticum est incertum.

Vires considerandæ in presagio.

Archigenis coniectura.

Longitudo & breuitas futuri status considerãda in presagio.

Gal. locus explicatur.

De Rigore.

Postremò Auic. discurrit circa rigorem, horrorem, & reliqua. Gal. lib. de rigore cap. 6. per rigorem intelligit rigorẽ morbosum, qui fit à causa interna. nos autem instituamus descriptionem rigoris hunc in modum. *Rigor est concussio totius corporis, expultricis, cum tristi sensu, dependente à materia mordaci, atque impetente.* Pro huius definitionis intelligentia, declarandum primò est quo modo fiat rigor; secundò ponderandę veniunt omnes particulæ positæ in definitione: Rigor igitur fit cum transmittitur materia, cum impetu, quæ mordax sit, ab ambitu totius corporis, ad partes illas sensitiuas, vnde cum in partibus tristis introducitur sensus, dolorq; ratione mordacitatis, expultrix ad expellendum insurgit, & tanto cum impetu, vt totum concutiatur corpus. Dictum est igitur *rigor est concussio* quia in ipso totum corpus concutitur, quæ quidem particula ponitur loco generis, quoniam sub se continet etiam horrorem, in quo pariter vniuersum corpus concutitur. Dictum est *totius corporis*, ad differentiam horroris, in quo fit concussio cutis tantum, corpore immoto existente, in rigore verò totũ corpus concutitur. Diximus *expultricis*, q̃a Gal. 2. de causis symptom. cap. 1. vult rigorem esse motum solius expultricis, & naturæ, ad differentiam illorum motuum, qui sunt vel solius morbi motus, vt conuulsio, & palpitatio; vel motus naturæ, & morbi, veluti tremor; nam horror, qui est motus solius cutis, & rigor, qui est motus totius corporis, sunt motus expultricis, & naturæ. Gal. 2. de causis sympt. quinto dicit, quòd ille est celer, densus, numerosus; est celer, quia fit cum violentia; densus,

Rigoris definitio.

Rigor quomodo fiat.

quoniam

q̄m est freques; numerosus eò quod plures numero fiunt motus, *cum tristi sensu* quia adest dolor, vnde non modo sensus frigiditatis in rigore adest, sed etiã doloris; vnde dicit Auic. in rigore esse frigus impurũ, in frigore esse frigus purum, & per frigus impurum intelligit frigus cum tristi sensatione, non cũ frigore simpliciter. *dependentem à materia mordaci*, hæc particula colligitur ex Galeno in libro de rigore cap. 6. & 7. & secundo de sympt. causis. cap. 5. & 10. me thod. cap. 10. oportet igitur vt in rigore concurrat materia mordax, aliter. n. non irritaretur expultrix, quæ materia potest esse & calida, & frigida. Sed hic insurgit controuersia eò quia Gal. lib. de rigore inquit, rigorem fieri à materia calida & frigida, secundo verò de causis sympt. cap. 5. dicit rigorem fieri à materia calida tantum. Respondet quòd Gal. lib. de sympt. caus. loquitur de vehementissimo, & exquisitissimo rigore: lib. verò de rigore loquitur de quocunque rigore, idest de rigore in genere. *Et impetente*, quòd opus sit materiam esse impetentem, probatur ex Gal. locis præallegatis, probatur pariter & ratione; nã in hicteritia, quia materia citra impetum confluit ad partes, nõ adest rigor, licèt sit materia mordax: in rigore igitur necessarius est impetus materiæ, cuius vi soluiter continuum, & proinde fit dolor. Ex quibus omnibus colligitur quomodo rigor differat ab inæqualitate, frigore, & horrore, q̃ solum apparent in accessionum principijs.

Controuersia in Gal.

Solutio.

Inęqualitas ex Gal. 2. de caus. symptom. cap. 5. est quando homines percipiunt noxam quandam in toto corpore, quam tamen nesciunt verbis exprimere. Differt autem inęqualitas à rigore, quia in rigore est concussio totius corporis cũ tristi sensu, in inęqualitate verò nõ persentitur tristis sensus neq; concussio. Frigus autem est, quando adest sensus frigiditatis absque dolore, & concussione, & vt inquit Auic. est frigus purum. Differt à rigore, quia in eo, & si adsit frigus, est tamen etiam concussio & dolor. Horror autem est, quando adest quidem sensus frigiditatis, & cum concussione, sed solius cutis, non autem totius corporis, vt in rigore, & in hoc differunt. Sed Gal. 2. de differ. feb. cap. 5. & lib. de rigore cap. 6. inquit frigus differre à reliquis tribus, quia fit à materia tantum miti, nempè à pituita dulci; sed inęqualitas, horror, & rigor fiunt à materia mordaci, & differunt tantum hæc tria secundum magis & minus, nam quò validiores sunt causæ, eò etiã magis causatur rigor, quam uel horror, vel inæqualitas. Si causæ non sint ita potentes fiet horror, si adhuc sint minus potentes causabitur inęqualitas. Causæ hæ sunt petendæ ex Gal. loco citato ex mat[illegible], ex virtute, & ex sensu partium externarum: ex materia, quanto enim illa calidior tenuiorque erit, maioriquè cum impetu mouebitur, eò etiam maior fiet rigor, sed non modo simpliciter rigor, sed rigor intensior, vnde respiciens Gal. rigorem vehementissimum 2. de caus. symptom. cap. 5. dicit rigorem fieri non posse à materia frigida, quæ licèt possit attenuari & agitari, non tamen tantum quantum materia calida, sicque tollitur controuersia supra dicta. Ex virtute; si enim virtus sit debilior rigor erit intensior, si verò illa erit validior, hic erit remissior, ratio est ex Gal. quia virtus robusta omnia contemnit, debilis verò facilè patitur & succumbit. Ex sensu partium externarum; quanto enim exquisitior erit partium sensus, eò etiam intensior erit rigor.

Inęqualitas quæ sit.

Differentia inter inæqualitatem & rigorem.

Frigus q̃uo differt a rigore.

Horror quid

Frigus q̃uo differat ab horrore, rigore & inæqualitate.

Causæ rigoris, horroris, frigoris, & inæqualitatis vnde sint petendæ.

At hic oritur cõtrouersia inter Gal. & Auic. Gal. enim locis præallegatis dicit, quòd rigor est intensior si virtus sit debilior: Auic. verò cap. de rigore dicit totum oppositum, scilicet, quod rigor est intensior si virtus sit robustior.

Cõtrouersia inter Gal. & Auic.

Soluemus

Solutio. Soluemus hanc controuersiam, si dixerimus virtutem posse dupliciter considerari, vel vt patitur, vel vt agit; virtus vt patitur, si valida sit omnia contẽnit, debilis verò omnia ęgerrimè sustinet, ideò virtutem hoc modo considerans Gal. dicit, ratione debilis virtutis promoueri rigorem vehementiorem. Virtus autem vt agit, quò robustior fuerit, tanto etiam cum maiori impetu excitabitur ad expellẽdum: quod fiet quando partes erunt prędite sensu exquisito: vnde Gal. proposuit sensum exquisitum: At Auic. nihil dicit de sensu exquisito: quoniam per vehementiam virtutis intelligit sensum exquisitum; cum enim sensus est exquisitus, tunc expultrix validissimè insurgit ad expellendum, quare nulla est contradictio inter Galenum, & Auic.. Si igitur concurrunt validissimę causæ propositæ fiet rigor, & quidem intensissimus: si verò causæ cadant non nihil ab illa vehementia, fiet quidem rigor, sed non multum intensus, qui ex Gal. primo Epid. com. 2. tex. 25. est valdè proximus horrori, si autem illæ adhuc magis decidant fiet horror, si demum multo adhuc magis fiet inæqualitas.

Inæqualitas, pōt dupliciter considerari. His ita propositis, nunc facilè est hæc applicare febribus; & primum quãtum attinet ad inæqualitatem, hæc potest dupliciter considerari, vno modo prout inæqualitati succedunt reliqua, vnde in quibus febribus erit horror, in his erit inæqualitas: altero modo prout inæqualitas sola inuadit, nec ei superueniunt reliqua, & hæc reperitur in febribus putridis continuis proportionatis, in quibus materia maxima ex parte putrescit in venis, minima verò extra venas propellitur, & hæc minima portio materiæ potest causare inæqualitatem, & frigus. Quòd spectat ad frigus, animaduertẽdum illud esse duplex

Frigus duplex. priuatiuum scilicet, & positiuum, per frigus priuatiuum intelligo, quando exteriores partes, ob reuocationem caloris, spiritusq; ad interiora, refrigerantur; hocq; frigus priuatiuum est duplex vel enim est sincerum, vel habet sibi adiunctum rigorem; in rigore enim interdum est sensus frigiditatis positiuè, quoniam is fit à materia frigida; si enim fiat à materia calida, in ipso est sensus frigiditatis priuatiuè. In præsentia nos loquimur de frigore priuatiuo syncero, quod quidem reperitur in febribus putridis maximè periculosis, & potissimum in lypirijs. Frigus verò positiuum reperitur in plerisq; febribus, veluti in febre pituitosa intermittente proueniente ex dulci pituita, deinde in febre etiam continua pituitosa, præterea, & in quartana, in primis videlicet accessionibus, eò quod tunc nondum attenuata est materia, vt possit causare horrorem, aut rigorem, sed frigus tantum.

Frigus quō competat febribus pituitosis. Sed difficultas est quomodo frigus competat febribus pituitosis. Hoc explicat Gal. 2. de diff. feb. cap. 8. vbi vult in hemitriteo fieri horrorem; nam cum febris hęc sit composita ex tertiana intermittente, & quotidiana continua, ratione tertianæ intermittentis fit rigor, ratione verò quotidianæ continuæ debet fieri frigus; cum igitur in hac febre hæc duo symptomata misceantur, propterea fit quoddam medium inter rigorem & frigus, nempè horror. Ad rem igitur accedentes dicimus, quòd ratione febris continuæ pituitosæ fieri potest frigus, qm̃ non impossibile est, quòd aliqua portio materiæ transmittat̃ extra venas, etiam præcipuè in hemitriteo, eò quod in hac febre bilis est veluti vehiculum pituitæ. Horror autem obseruatur in hęmitriteo, in tertiana notha, ac etiam in quotidiana notha, ob mixtam materiam. Rigor verò reperiri potest in febribus & pituitosis, & biliosis, & melancholicis; in pituitosis, quando fiunt ex pituita non dulci, sed vitrea, vt colligitur ex Gal. 2. de diff.

feb.

feb.cap.6.talisq; rigor est cum sensu frigiditatis, si febricitans quiescat exiguus, aut nullus est rigor; quò enim magis ipse mouebitur, eò etiam intẽsior fiet rigor. In febribus biliosis est rigor cum sensu punctionis, & hic obseruatur in febribus intermittentibus, sermo nunc fit de rigore, qui solet inuadere in principio accessionum, non autem de rigore, qui solet euenire in terminatione febris, de quo loquitur Hipp.4.Aph.Aph.58. vbi vult totam febrem sol ui ex rigore. In quartanis etiam est rigor sed in progressis, eò quod tunc materia attenuatur, talisque rigor est cum sensu frigiditatis, atque etiam cũ dolore, perinde ac si ęgris frangerentur ossa, eò quod periostia lęduntur: vnde ex his nos poterimus deuenire in cognitionem febrium.

Rigor duplex.

Rigor quãdo contingat in quartanis & cur.

Propterea dicit Auic. *febres intermittentes vt plurimum inuadere cum propositis*; dicit *vt plurimũ*, vt significaret hoc non esse perpetuum, vt verbi gratia si fiãt febres intermittentes, quoniam materia putrescat circa ventriculum, tunc, quoniam materia non transmittitur, ideò non fiunt rigor, horror, &c. sed tamen vt plurimum continget, quòd materia trãsmittatur à venis extra venas, & hoc aliquando videtur, qñ sudor copiosus apparet in declinatione, tamen ęgri nihil pęnitus in principio sentiunt, & hoc euenit, quia materia est benigna, & potissimum, non cum impetu, sed sensim, & sensim propellitur extra venas, sed hoc tamen est rarissimum, vt dicit Auic.

His explicatis Auic. descendit ad curationem, & loquitur de curatione febrium putridarum in generali; vt indicationes sumat à febre, à causa, & à symptomate; in hoc autem capite cum eius institutum esset, tum ratione causæ, tum etiam ratione aliqua ex parte febris discurrere circa tria auxilia medica, nempè circa chirurgiam, atque pharmaciam, de quib. agit in præsenti capite, & circa dietam, de qua agit in sequenti capite, vt more optimi dogmatici, de his loqueretur, prius proponit indicationes, vt harum ope deducat nos, & in inuentionem auxiliorum, & in horum inuentorum rectam administrationem. Hauriemus igitur nos, iuxta sententiam tum Gal., tum Auic. indicationes cõsiderando febres putridas in genere, de quibus sæpè agit Galenus.10.meth.cap.2.& potissimum 11.meth.cap.7.8.9.10.&11. dicimus igitur desumendas esse indicationes ex tribus, vt potè principaliter indicantibus, nempè à febre, à causa febris, & a virtute.

De curatione febriũ putridarum in genere. Cap. 7.

Indicationes secundũ Gal. & Auic. ex quinq; sunt desumendę.

Sed obijcere potest aliquis, Gal. ex his tribus desumere indicationes curatiuas in febribus putridis, vt patet ex supra allatis auctoritatibus, ac 10.meth. med.cap.1. Auic. autem de tertio non meminit silicet de viribus. Respondetur, quòd tertius scopus verè est cõmunissimus non in febribus tantum, sed in omni morborum genere, atque in omni medici actione animaduertẽdus, de tuendis silicet viribus: hic autem scopos febrium, vt febres sunt putridæ, inquirit Auic. eo tamen supositò, sine quo, nec febris curari potest, nec Medicus quid piam moliri. In præsentia colligatis febres putridas, & consentire, & dissentire a reliquis febribus. Conueniunt febres putridæ cum reliquis, eò quod indicationes sumuntur à febre, sed et febris putrida conuenit cum hectica, quoniam & in hectica sumitur indicatio à virtute, sicut in putrida, non tamen sumitur indicatio à virtute in Ephem. Discrepat febris putrida ab omnibus alijs, quoniam in putrida sumitur indicatio à causa tãtum; est enim febris materialis; atque addit Gal.11.Meth.cap.7. si fuerit febris putrida, quę producatur ex parte aliqua principaliter affecta, tunc sunt hauriendæ indicationes, non modo à febre, causa, & viribus, sed etiam à parte, vt ex toto expleatur

Dubitatio.

Solutio.

Febres putridę in quibus consentiant cum alijs febribus.

pleatur methodus febrium putridarum. Sed nos nunc nihil dicemus de parte affecta, quoniam loquimur de febribus principalibus, & de febribus putridis in genere; sufficiat igitur nobis haurire indicationes à febre, à causa, & à viribus. Quo ad febrem, vt cum Gal. hauriamus indicationes ab ipsa, & à causa, considerare oportet an febris hæc sit in facto esse, vel in fieri; si enim sit in facto esse, oritur indicatio refrigerandi, si verò sit in fieri tunc consideratur, vt producitur à materia; quare indicationes sunt desumendæ à materia, quæ ad differentiam aliarum indicationum erunt omnes præseruatiuæ. Indicatio sumpta à febre est curatiua, desumitur enim à febre, vt est in facto esse; quæ verò sumitur à febre, vt est in fieri, & proinde à causa, est præseruatiua.

Indicationes curatiuę ĩ febrib. purridis desumptæ à febre q̃ sint.

Materia verò potest dupliciter considerari, vno modo vt est corrupta, putrefactauè, altero modo vt imminet periculum ne putrescat: quo ad materiam putrefactam hæc indicat auxilium eradicans; vnde hoc respiciens Gal. dicit, materiam putridam omnino eradicandam esse. Quo ad materiam cui imminet periculum putredinis, hæc potest esse duplex, semiputrida silicet, vel nihil pęnitus putrida. Primò modo indicat auxilium refrigerans & aliquantulum dimouens, quod colligitur ex Gal. loco citato 11. meth. cuius rei talem etiam possumus reddere rationem: indicationes sumuntur ex natura indicantis, sed quæ nam est natura huius materiæ, quæ est in via ad putredinem? Hæc materia semiputrida, est affecta aliqua ex parte calore externo, & transpirare nõ potest, nimisquè quiescit, quæ autem perflantur à putredine liberantur; vnde ratione caloris externi afficientis materiam, oritur indicatio refrigerandi, ratione verò materiæ nimium quiescentis oritur indicatio dimouendi; indicatur igitur auxilium refrigerans, dimouensquè. Quo ad materiam nondum putrescentem, hæc vel actu obstruit, vel potest obstruere; si actu obstruit, tũc vel est copiosa, vel crassa, vel viscida, si sit copiosa indicat auxilium minuens, si crassa attenuans, si viscida detergens.

Indicationes a causa. Materia pu-trefacta indicat auxilium eradicans. Materia imminẽs ne putrescat est duplex. Materia semiputrida indicat auxilium refrigerans & aliquantulum dimouens.

Materiã nondum putrescens q̃ actu obstruit, si copiosa minuẽda, si crassa attenuanda, si viscida detergenda.

Si verò materia potest obstruere, hæc nihil est aliud quam materia cõfluẽs, vnde ex Gal. compescere & moderare succos fluentes oportet; quare oritur indicatio minorandi, & leniendi, Minorandi quidem si materia sit in venis, leniendi verò si materia sit in primis vijs, & ab hac obstructione per resolutionẽ inuenta exordienda est curatio, vt dicit Gal. quod enim est vltimum in mente, est primum in actione.

Materia si p̃t obstruere, si in venis sit indicat minorãdam, si in primis venis leniendam.

Quo ad vires ab his, vt dicit Gal. oritur indicatio sustinendi, & custodiendi, vt concoquant succos, & putredinem superent. Sed à viribus indicatio sumĩtur dupliciter, nempè principaliter, vel non principaliter. Principaliter eò modo quo iã diximus, non principaliter verò, q̃n sumitur indicatio à sympt. à symptomate enim desumitur indicatio vitalis: Gal. 11. meth. cap. 11. declarat quomodo desumendæ sunt indicationes à symptomate dicens, si fiat syncopis propter os ventriculi affectum, & labantur vires, tunc cogimur dare panem cum vino, ergo sumitur indicatio à symptomate, vt custodiantur vires, eò quod lęduntur ratione symptomatis.

Indicatio curatiua putridarũ feb. ex viribus.

Hinc colligatis in omni febre putrida esse secandam venam vbi virtus est robusta, vbi adest ætas media inter extremas ætates, vbi adest plenitudo, & vbi adest, uel iminet vehemens febris, quæ quidem quatuor ita sunt ad sectionem venę necessaria, vt horum vno tantum deficiente nequaquam sit secanda. Fundamentum huius est; eò quod hoc loco adest indicatum, idest venæ

Vena est secanda in omni putrida q̃n adsunt quatuor conditiones.

sectio,

sectio, adest etiam indicans .i. quatuor illa proposita; vnde si nos consideremus indicatum, quod est venæ sectio, per hoc intelligimus auxilium euacuans sanguinem, & hoc auxilium ad differentiam cucurbitularum scarificatarum, & hyrudinum euacuantium sanguinem per hemorrhoides est validũ; cucurbitulæ.n.& hyrudines sunt leuia auxilia. Aduertendum tamen sectionem venę esse auxiliũ validũ euacuans sanguinē, cuius materia desumitur ex faciendis, quæ dicitur etiam venæ sectio, quando silicet chirurgus secat venã, quare venæ sectio qñq; capitur pro auxilio, vt accipit Gal. 4. meth. cap. 6. & ibi passim; interdum capitur pro auxilij materia, in præsentia nos capimus sectionē venæ pro indicato; Materia.n. auxilij non indicat, sed est materia indicati, qđ quidem indicatũ est auxilinm specificum, & proinde supponit genericũ, hoc autem genericum est auxilium euacuans, minus genericum est auxilium euacuans sanguinem, adhuc minus genericũ est auxilium euacuans sanguinē velociter, & cũ impetu: & proinde concludatis oē hoc esse auxilium pseruatiuũ.

Sectio vene est auxilium validum euacuans sãguinem.

Declarato indicato, explicandum nunc est, quæ sint indicantia: hæc itaq; sunt quatuor, nempè morbus vehemens, plenitudo, virtus robusta, & ætas florens. Quo ad plenitudinem attinet, per hanc intelligo plenitudinem morbosam, & noxiam; hæc autem nil aliud est, quam *copia massæ sanguineæ corpori aduersa*. diximus, *copia*, vt significaremus peccatum esse in quanto, ad differentiã cacochimiæ, in qua necessario peccatum est in quali, vt per copiam significaremus etiam, non modo peccatum esse in quanto simpliciter, sed etiã in quanto excedente. est autem copia *massæ sanguineæ*, & per *massam sanguineam*, intelligo aggregatum ex quatuor succis alimentalibus: vnde errãt illi, qui credunt plenitudinem esse copiam sanguinis capti pro quarto succo distincto à reliqs succis. Postremò diximus *corpori aduersaria*, eo quod plenitudo hæc corpori aduersetur, & per hoc exprimitur natura huius plenitudinis, distincta à plenitudine corpori non noxia, sed naturali.

Quot sint indicantia venę sectionē. Quid sit Plenitudo.

Quid intelligendum per massam sanguineam.

His ita constitutis oportet species plenitudinis inquirere; nam vt diuersæ erunt species, ita etiam diuersæ erunt indicationes: species autem inquiruntur in virtute differentiarum; differentiæ.n. sunt, quæ constituunt speties: speties autem essentiales desumuntur ex rei natura, ex definitione, & à definitionis particulis. In definitione autē proposita erant quatuor, nēpè copia, massa sanguinea, corpus, & contrarietas, quatenus est cõtraria corpori: quare ex his quatuor tantũ desumendæ sunt differentiæ. Quo ad copiam; ex hac oriũtur differentiæ illæ, secundum quas dicimus plenitudinem esse in ea copia, vt sit plenitudo vel quo ad vasa, vel quo ad vires. Per plenitudinem quo ad vasa, intelligimus plenitudinē illã, in qua tanta est massæ sanguineæ copia, vt extēdantur vasa, ita vt massam hanc non possint continere. Per plenitudinē quoad vires, intelligimus plenitudinē, in qua est quidem massæ sanguineæ copia, nō tamen tanta, vt repleantur vasa, sed dicitur plenitudo ratione virtutis, quia virtus aggrauatur, adeò vt nō possit perferre tantam sanguinis copiam. Vnde Gal. lib. de plenitudine vult plenitudinē quo ad vasa, esse vitium vasorũ; plenitudinē quo ad vires, esse vitiũ facultatis, & pertinere potissimum ad potentiam sensus tactus, quò fit, vt, si contingat vigere plenitudinem quo ad vires in parte sentiente, ipsa percipiatur: ex his colligiē impossibile esse asserere (pace multorũ dictum sit) dari plenitudinē mixtã .i. ex plenitudine quo ad vasa, & ex plenitudine quo ad vires: fundamentũ huius est, & meo quidē iudicio demonstratiuum, si plenitudo quo ad vires est, qñ vasa non sunt repleta, & pleni

De speciebus plenitudinis.

Plenitudo duplex, ratione copiæ. Quid plenitudo quo ad vasa. Quid Plenitudo quo ad vires.

Impossibile est dari plenitudinē mistã ex plenitudine quo ad vasa & quo ad vires.

tudo quo ad vasa est, qn̄ vasa sunt repleta, quomodo potest stare simul vasa esse, & repleta, & non repleta.

Sed vt reddatur clarior doctrina de plenitudine, liceat dubitare. Dubiū est hoc, fieri potest, vt corpus sit athleticum, ita vt habitus sit athleticus, in quo locum habeat plenitudo quo ad vasa, corpus hoc corripiatur synocho cū putredine, tunc aggrauabitur virtus; quare non modo erit plenitudo quo ad vasa, sed etiam quo ad vires: & hoc isti possent colligere ex Gal. 9. meth. cap. 2. vbi vult, in plenitudine quo ad vasa, qn̄q; etiā aggrauari virtutē. Quare si plenitudo quo ad vires est, qn̄ virtus aggrauatur à materia, ergo ipsa est iuncta cū plenitudine quo ad vasa. Pro solutione & pro veritate dicimus, in vnaquaq; plenitudine, non modo adesse peccatum in quanto, sed etiā fieri posse, vt adiungatur peccatū in quali, quod probo ex Gal. Primū igitur qn̄tū ad plenitudinē quo ad vasa, dicit Gal. 9. meth. 5. se velle loqui de plenitudine quo ad vasa, atque ait in tali plenitudine sanguinem maximè augeri, vt nisi accidat in quali peccatum, malâq; aquirat sanguis qualitatem, magis ac magis augeatur plenitudo cum roborē virium. Quod si contingat vt sanguis secundum qualitatē afficiatur, tunc nō augetur amplius plenitudo, sed virtus aggrauatur: ecce ibi dicere Gal. se loqui de plenitudine quo ad vasa, & in hac vult esse peccatum aliqn̄ in quanto, aliqn̄ in quali & in quāto simul, sicuti accidit etiā corpori athletico, si corripiatur synocho cum putredine; in corpore. n. athletico erat plenitudo quo ad vasa, in qua aderat peccatum, & in quanto, & in quali; & in hoc errarūt isti, qn̄ crediderūt peccatū in quali necessariū esse ad cōstituēdū plenitudinē quo ad vires, & nō posse esse vitiū hoc ī plenitudine quo ad vasa.

Dubitatio.

Solutio.

In plenitudine quo ad vasa est vitium aliquando in quanto aliquādo ī quali & quanto simul.

Secūdò probo in plenitudine quo ad vires peccatū esse interdum in quāto tātū, interdum verò & in quanto, & in quali simul. Peccatum esse in quanto tātū, colligitur ex Gal. 2. Aph. com. 17. vbi loquitur de plenitudine ad vires, & dicit hanc inter initia esse optimā; optimā tamen diu permanere nō posse. Quare inter initia plenitudinis cum est optima peccatum est in quanto tantū. Succedit verò peccatum in quali, quod quidem ex Gal. lococitato dupliciter contingit, per alterationem videlicet, vel per putredinem.

In plenitudine quo ad vasa accidit vitiū in quali dupliciter.

Per alterationem quidem vel ad calidum, vel ad frigidum. Per putredinē verò dupliciter, vel scilicet quia putredo sit leuis, vt possit, etiam materia naturæ bonitatem consequi, vel quia insignis sit putredo, vel non possit materia amplius regi; si fiat primum, dicitur plenitudo quo ad vires, si fiat secundum, degenerat à natura plenitudinis, etiam dicitur ibi à Gal. corruptio, seu cacochymia, & ideò excluditur ab indicante, de quo nunc loquimur. Ex his igitur constitutū sit dari duplicem plenitudinem, nempè quo ad vasa, & quo ad vires; ex qua differentia concepta facilè colligi potest, in plenitudine quo ad vasa posse esse peccatum in quanto tantum, & ita posse durare, sed non necessario esse vitium in quali; contra verò in plenitudine quo ad vires necessarium est, vt succedat praua qualitas. Quare plenitudo quo ad vasa minatur suffocationem caloris natiui, disruptionem vasorum, atque etia putredinem: plenitudo autem quo ad vires minatur putredinem.

Præterea desumendæ sunt differentiæ ex massa sanguinea: hęc autem potest dupliciter considerari, uel ut sincera, uel ut mixta est: quo ad sincerā, hęc ex Gal. lib. de plenitudine augetur uel æqualiter, uel inęqualiter: unde si licet fingere nomina, dicendum est dari plenitudinem æqualem, & plenitudinem inæqualem sinceram. Si consideremus æqualem plenitudinem, hæc est illa, in qua

Plenitudinis species desumpiæ ex massa sanguinea.

Quæ sit plenitudo ęqualis sincera.

in qua ex Galeno loco citato quatuor succi æqualiter augentur seruata veteri proportione. Per hæc verba voluit Gal. significare, quòd, cum semper in massa sanguinis, vtcumq; se habeat corpus, primum redundet succus sanguineus, secundò pituitosus, tertiò biliosus, quartò melancholicus, fieri tamen potest interdum, vt aliqua corpora sint magis melancholica, aliqua verò magis biliosa, & propterea in hac plenitudine æquali fit augmentum æqualiter omnium succorum seruata veteri proportione, exempli gratia si corpora fuerint vel biliosa, vel melancholica; si fuerint biliosa magis augebitur bilis quã melancholia, si fuerint melancholica plus augebitur melancholia quã bilis.

Quæ sit plenitudo inæqualis sincera.

Plenitudo inęqualis est, qñ inæqualiter succi augentur, i. qñ plus augetur vnus, quam alter succus, hæc aũt est duplex; vel. n. succus, qui augetur, est sanguineus, & dicitur plenitudo inęqualis sanguinea, vel est aliquid sanguinis ex tribus succis, & dicitur plenitudo humorosa. Sed aduertendum, differentiam esse maximã inter plenitudinẽ sanguineã & plenitudinẽ humorosam; in plenitudine. n. sanguinea augeẽ nõ modo succus sanguineus simpliciter, sed põt ẽt augeri ad summum, quod nequaquã dicendum est de reliquis succis; dicit .n. Gal. cum augẽtur reliqui succi, in his fieri excessum exiguũ, nam si excessus esset insignis adeò afficeretur succus sanguineus, vt non adesset amplius plenitudo, sed potius cacochymia, vnde hinc colligatis non augeri sanguinẽ in plenitudine humorosa, sed alium succum; hoc rectè intelligatis, qm̃ in hoc sumus discordes à plerisq;. Quando est plenitudo inæqualis humorosa, in qua augetur succus distinctus à succo sanguineo, dicit Gal. succũ non posse multum augeri, non adesse insignem excessum, nam si insignis esset excessus fieret cacochymia; si ergo non insigniter augetur humor, ergo nec etiam sanguis, nam si augeretur sanguis, sicut etiam augetur succus, non fieret cacochymia, sed persisteret plenitudo, quod aduersatur Galeno. Rectè diximus plenitudinem esse *copiam massæ sanguineæ*, qm̃ potest esse plenitudo in qua non augetur sanguis captus pro quarto succo; ideoq; non est, ꝙ dicatis plenitudinẽ esse copiã sanguinis pro quarto succo sumpti, qm̃ daẽ plenitudo in qua nõ augeẽ iste sanguis, hæc igitur est natura plenitudinis & æqualis & inæqualis sinceræ.

Quæ sit plenitudo permixta.

Si verò consideremus massam sangineam, vt est permixta, consideramus hanc, prout cum quatuor succis alimentalibus permixta est ẽt massa excremẽtitia, quò fit vt sit plenitudo notha; vnde ratione materiæ alimentalis fit plenitudo; ratione verò materiæ excrementitiæ fit cacochymia: quare hæc est ea plenitudo, q̃ dicitur notha, eò ꝙ secũ iunctã habet cacochymiã. Vnde vt sciatis q̃ sit cacochymiæ natura, dicimus, ꝙ per cacochymiã intelligere oportet succos excrementitios, qui non possunt conuerti in substantiã partis; atq; ex Gal. 2. Aph. com. 17. fieri potest, vt tales succi producanẽ vel per alterationẽ, vel per putredinẽ: per alterationẽ, vt per immodicã vel caliditatẽ, vel frigiditatẽ, & tunc fit cacochymia. Per putredinẽ, vt qñ succi alimentales putrescũt, ita vt non possint amplius ad benignũ reuocari, sed degenerant in materiã excrementitiam; & hęc dicĩ quidẽ etiã ipsa cacochymia, sed nomẽ ẽt sibi vendicat corruptionis; hanc. n. quandoq; corruptionẽ vocat Gal.. Hinc colligatis discrimen esse inter plenitudinẽ exquisitã, & plenitudinẽ notham. Vnde notã dũ ex Gal. lib. de plenitudine ꝙ si contingat sanguinẽ alterari citra mixtionẽ aliorum succorũ, tunc esse intemperiẽ cum plenitudine: inquit. n. Gal. ꝙ si sanguis alteretur ex cibarijs, & ex potionibus citra mixtionem aliorum succorũ, tũc erit intemperies cum plenitudine. Quod dictũ videtur admodũ difficile;

Quid per cacochimiã intelligendũ.

Succi excrementitij, qui faciunt cacochymiã quõo generentur.

Gal. locus explicatur.

nã si aliquis vtatur exempli gratia vino vinoso calefaciente, vnde fit, vt ratione vini calefaciẽtis fiat potius intemperies cũ plenitudine, q̃ intemperies cũ cacochymia? non ne vinũ calidius erit in causa, q̃ gignatur bilis bilis autem miscetur cum sanguine ipsumq; alterabit: quare erit intemperies cũ cacochymia. Aduertendũ, sermonẽ fieri posse de sanguine probo inculpatoq; iam generato, & etiã de sanguine tali, qui põt generari; si loquamur de sanguine genito, si q̃s vtatˀ vinis vinosis, tũc excitabiẽ intẽperies cũ plenitudine, eò q̃ alterabiẽ sanguis citra mixtionẽ aliorũ succorũ. Quod si illæ ꝑseueret ĩ vsu talis vini, dubio procul gigneẽ bilis, q̃ mixta sãguini faciet intẽperiẽ cũ cacochymia. Vnde diuersitatẽ hãc explicans Gal. dicit fieri alterationẽ intẽperiẽuè cũ plenitudine citra cacochymiã ex recẽti aqua, ex causa refrigerãte recenti. Quid intelligit Gal. per causam hanc? nil aliud, nisi causam priuatiuã, quę cum sit recens huius vsus, cum non sit assiduus, est in causa, vt alteretur sanguis citra ꝑmixtionem aliorum humorum. Sed si causa non sit recens, verbi gratia si homo perseueret in vsu calidorum, & frigidorum, tunc gignentur succi, qui alterabunt sanguinem, & erũt in causa intemperiei sanguinis cum cacochymia: Atque Galenus plenitudinem hanc notham tangit, quarto de tuenda valet. cap. 4. vbi voluit ratione portionis alimentalis secandam esse venam, ratione verò portionis excrementitiæ esse purgandum: atq; ibi monuit etiam differẽtiam esse inter permixtionem succi alimentalis, & permixtionem succi excrementitij; ita vt interdum magis vigeat portio alimentalis, & hæc, dicitur plenitudo notha, interdum verò excedat portio excrementitia, & hæc dicitur cacochymia notha; excedit. n. limites plenitudinis, nec ipsius naturam amplius retinet, sed ita degenerat à plenitudine, vt vocetur cacochymia notha. Atque vt colligiẽ ex Gal. in lib. de plen. & in lib. de venę sectæ cap. 4. plenitudo occupare põt totũ corpus, vel partẽ corporis tñ, si occupat totũ, diciẽ plenitudo cõmunis, si occupat partem tñ, dicitur plenitudo particularis, & determinata.

Alius Gal. locus declaratur.

Quæ sit plenitudo notha, & cacochimia spuria.

Quę sit plenitudo cõis, & quæ particularis.

Agamus modo de differentijs, q̃ desumuntur à corpore, & à contrarietate: à corpore igitur desumunẽ differentiæ, prout dicimus plenitudinẽ esse vel cõmunẽ vel determinatã, distinctio hæc colligitur ex Gal. in libr. de plenitudine itẽ & in lib. de venæ sect. cap. 4. Aduertendũ aũt circa plenitudinẽ determinatã, partẽ affici vel quatenus massa sanguinea, qualis confluit ad partẽ, ita etiã exit; sicuti contingit in fluxibus sanguinis; vel quatenus vti cõfluit in partem ita ibi detineatur; cũ aũt detinetur in parte, tunc detinetur vel in tota parte, vel in parte partis: materia igitur detinetur in tota parte, quando replet non modo venas partis, sed etiam spatia in parte; occupat autem partem partis, quando detinetur solum vel in venis, vel in spacijs.

Plenitudinis differentiæ à corpore desũptæ.

Postremò desumendæ sunt differentię à contrarietate. Hic considerandus est tẽpus & vis, si consideremus tempus, consideratur plenitudo vel vt præsẽs est, vel vt est iminens: v. g. plenitudo communis præsens est, qñ totũ corpˀ est repletũ, sicuti est in habitu athletico. Plenitudo aũt determinata, præsens est, qñ aliqua pars corporis actu est inflammata & repleta sanguine. Per plenitudinẽ uerò iminentẽ intelligimus plenitudinẽ & communem, & determinatã, cõem, vt v. g. qñ suppressa fuerit euacuatio aliqua cõsueta, veluti euacuatio ꝑ hemorrhoides, vel ꝑ mẽses; iminet. n. periculũ ne totũ repleatur, cũ hæ euacuationes supprimuntur: vnde iminet plenitudo cõis. Plenitudo autem determinata iminẽs, est quando pars aliqua afficitur vel dolore, vel calore; dolore, ut in uulnere, aut contusione; unde uel ratione doloris, uel caloris iminet pericu-

Plenitudinis differentiæ à contrarietate desũptæ.

Quid plenitudo præsẽs.

Quid plenitudo iminẽs

periculum, ne pars repleatur, hæc dicitur plenitudo determinata non præsens, quoniam adhuc non est repleta pars, sed iminens quia eius plenitudo iminet. Si consideremus vim plenitudinis, consideramus an hæc sit insignis, an remissa. Per plenitudinẽ insignem intelligimus cum Galeno lib. de plenitudine, plenitudinem illam, quæ, vel actu efficit, vel efficere pōt morbũ uehemẽtẽ. Oppositũ verò statuimus de plenitudine remissa, quæ quidem, si morbũ efficiat, efficit tñ debilem, nec talem solum efficere potest, sed etiam debet.

Plenitudo vel insignis, vel remissa.

His ita propositis, explicemus modò, quid possit indicare plenitudo, cum iam pateat natura huius indicantis. Si consideremus plenitudinẽ, hæc primum, quatenus est copia, indicat auxilium minuens, & hoc auxilium indicatur à qualibet plenitudine, eò quod quęlibet plenitudo est copia. Differentia tamen aliqua est, quoniam in plenitudine quo ad vasa, ratione copiæ, indicatur auxilium magis minuens, quam in plenitudine quo ad vires. Si uerò cōsideremus plenitudinem quatenus est massæ sanguineæ copia, ab hac indicatur auxilium minuens sanguinem: discrimen tamen est pro discrimine massæ sanguineæ; nam si fuerit massa sincera æqualis, si fuerit plenitudo ęqualis, & etiam inæqualis, sed tamen sanguinea, tunc non modo licet vti auxilio minuente sanguinem, sed sanguinem etiam in magna copia, & in multo quidem maiori copia, quã si esset plenitudo, vel humoralis, vel notha. Quòd si vlterius progredientes consideremus plenitudinem, quatenus respicit corpus, hæc respicit vel totum, vel partem. Quid indicat totum repletum? auxilium minuens sanguinem ex propositis indicantibus eius massæ. Sed quantum sit ratione totius, hoc auxilium minuens sanguinem debet esse auxilium simplex euacuatorium totius, ad differentiam auxilij deriuatorij, & reuulsorij. Dicitur autem simplex, quia non habet sibi auxilium admixtum deriuatorium, nec reuulsorium. Dicitur verò euacuatorium totius, ad differentiã euacuatorij partis, quod indicatur à plenitudine determinata seu à parte affecta aliqua plenitudine: constitutum igitur sit, à toto plenitudine affecto indicari auxilium minuens sanguinem, quod sit euacuatorium simplex totius, quò fit, vt à toto ita considerato non indicetur, quæ vena sit secanda; propterea hoc cognoscens Galenus lib. curatiuo per sectionem venę cap. 19. dicit, cum homines sunt obnoxij dispositionibus febrilibus, & proinde morbis totius, tentandam esse euacuationem per quamlibet venam sectam; ex qualibet enim vena secta euacuatur corpus. Aduertendum autem hoc esse intelligendum, vbi totum non sit repletum vitio alicuius partis, vt vteri; tunc.n. maximè expedit totum euacuare per venam determinatam.

Quid plenitudo indicet

Quid indicetur à toto plenitudine affecto.

Quo ad partem attinet, dicimus illam debere diuersimodè considerari, an scilicet ita afficiatur plenitudine, vt sicuti confluit materia, ita etiam euacuet; an verò ita afficiatur, vt materia non exeat: si consideratur pars primo modo, auxilium minuens sanguinem, quod ab ipsa indicatur debet esse reuulsorium; & propterea ex Galeno lib. de plenitudine immo passim hæc curatur per venæ sectionem: vnde ibi dicit Galenus influxu sanguinis narium immoderato, venæ sectionem esse auxilium reuulsorium, non autem euacuatoriũ. Sed quomodo non est euacuatorium, si semper per venam sectam euacuatur sanguis? Venæ sectio est semper auxilium minuens, quatenus indicatur à copia, non tamen semper est euacuatorium, sed tunc tantum, quando consideratur, quatenus à toto indicatur, ad differentiam reuulsorij, & deriuatorij. Si verò consideremus partem ratione plenitudinis, in qua non exit materia

Quod auxilium indicet pars plenitudine affecta.

Quando venæ sectio dicatur reuulsoria & quando euacuatoria.

consideramus eam, vel vt iminet periculum ne afficiatur plenitudine, vel vt actu illa afficitur. Si consideramus partem, quatenus iminet periculum ne repleatur, ab hac indicatur auxilium minuens reuulsorium. Si verò pars actu repleatur, considerandum est, an sanguis repleat venas, an spatia, si repleantur venę indicatur auxilium minuens deriuatorium; si repleantur tãtum spatia partis, à parte sic repleta indicatur auxilium minuens euacuatorium partis, ad differentiam euacuatorij totius: vnde quando contingit, vt sint affectus præter naturam, quibus cum occurrimus venam secantes, occurrimus auxilio mixto, verbi gratia si aliquis plethoricus afficiatur plenitudine vt dextri lateris, & aperiatur vena cubiti eiusdẽ lateris, hoc erit auxiliũ mixtum; est enim auxilium euacuatorium totius, quia euacuatur totum, & ideò non est periculum augeri inflammationem; est etiam auxilium reuulsorium ratione partis, prout affici potest, quia materia est in fluxu; est etiam auxilium deriuatorium, quoniam per venam sectam eiusdem lateris euacuatur etiam sanguis, qui fluxit in partem, non in spatia, sed in venas. Non credatis ꝑ sectionẽ venæ cubiti, posse euacuari materiam in spatio decumbentem, euacuatur quidem materia, quæ fluxit in venas partis; vnde etiam sanguis partis est mutatus à sanguine totius, quia in illis venis mutationem suscipit. At reuertendo ad rem dicimus, hoc esse auxilium mixtum ex euacuatorio, reuulsorio, & deriuatorio. Hinc facilè colligi potest, hanc fuisse veritatem propositam à Galeno 14. meth. cap. 8. nempè inuentionem reuulsionis desumi a parte, seu à situ partis: vnde etiam dicit Galenus lib. de venę sectione aduersus Erasistratum cap. 4. solam inflammationem per venam sectam celerrimè euacuari, quoniam respicit auxilium deriuatorium, quod desumitur à parte: cum enim secatur vena ratione partis, non potest haberi æqualis euacuatio, sed euacuatur plus vna pars, quam altera: potest quidem euacuari totum, nõ tamen æqualiter; & ob id dicit Gal. loco citato, per venam sectam euacuari solas inflammationes; per inediam enim fit euacuatio, non partis tantum inflammatæ, sed etiam totius corporis ęqualiter; secus autem dicendum est de venæ sectione. Ex his itaque colligatis à parte indicari auxilium reuulsoriũ, deriuatorium, euacuatorium, & mixtum ex his.

Quando venæ sectio simul fit reuulsoria & euacuatoria.

A quo indicetur reuulsio.

Sermo erat de plenitudine indicante, & hactenus patet quid ipsa indicet; indicat enim primum quidem, vt est copia: secundò, vt est copia massæ sanguineæ: tertiò, vt est copia massæ sanguineæ corpori aduersa. Verum plenitudo hæc prout aduersatur corpori, non solum consideratur quatenus aduersatur vel toti, vel parti, sed etiam prout aduersatur, vel actu, vel potestate; item vel debiliter, vel cum vehementia, ex quibus hauriunť hæ plenitudines, Plenitudo secundum præsens, quæ actu corpori aduersatur: plenitudo iminens, quæ potest corpori aduersari: plenitudo denique vel valida, vel debilis. Quid indicat plenitudo præsens in toto? indicat auxilium minuẽs, & vacuãs; in parte autem auxilium minuens interdum deriuatorium, interdum euacuatorium: deriuatorium quidem, si plenitudo præsens occupet vasa; euacuatorium verò, si occupet spatia ipsa. Si consideremus plenitudinem iminentẽ, vt est aduersa corpori potestate, hæc respicit vel totum, vel partem; si totum, ab hac non sumitur indicatio; hæc enim sumitur a presenti non à futuro. Vnde maximè errant, qui credunt sectionem venæ indicari à morbo iminente, eò quod non desumitur indicatio à futuro, & proinde nec a plenitudine, quæ potest occupare, sed à causa plenitudinis iminentis, vt si imineat plenitudo totius

Quid indicet plenitudo ꝑsens in toto vel in parte.

Quorundam error refellitur.

tius ob suppræssos menses, occurrendum est suppressioni mensium. Si verò plenitudo sit iminens ratione partis, ab hac similiter non sumitur indicatio, quia non adest. Sumitur ergo indicatio à sanguine præsenti, qui potest causare plenitudinem in parte, licèt nondum occupet eam, & plenitudo hæc indicat auxilium reuulsorium, de quo agit Galenus 4. meth. cap. 6. Sed præterea Galenus lib. cur. per venæ sectionẽ cap. 6. vult, auxilium reuulsorium indicari, quando iminet periculum ne partes repleantur: vnde auxilium non indicatur (vt dicunt quidam) à fluxione materiæ. Quare sanguis, siue fluat, siue ẽt non fluat, quando respicit partem, quatenus potest ipsam replere, indicat auxilium reuulsorium. Vnde sciendum sermonem de reuulsione posse esse duplicem; vel enim est de reuulsorio auxilio, quod est quid agens, specificum videlicet, & satis determinatum auxilium, vel est de reuulsorio auxilio, quod est quomodo agendum, idest modus administrandi auxilium reuulsorium. Quare reuulsio, vt auxilium, indicatur à plenitudine, sed tantũ quatenus respicit partem, quã potest actu replere; si enim plenitudo actu repleat partem, indicat auxilium vel euacuatorium, vel deriuatorium. Fundamentum huius est, quoniam plenitudo, vt est copia, indicat auxilium minuens, quod quidem est valdè genericum, vt verò est copia masse sanguineæ, indicat auxilium minuens magis specificum, non ne igitur auxilium specificum debet supponere genericum; ergo reuulsorium auxilium debet esse auxilium minuens sanguinem: Quare ipsum debet indicari à plenitudine, sed modo quodam determinato, accepta quatenus silicet respicit partem, quam potestate potest replere. Si verò consideremus reuulsionem, quatenus consistit in administratione remedij, hoc est considerare vbi agendum, idest quæ vena sit secanda, cui parti affigendæ sint cucurbitulæ, & hoc desumitur à situ partis. Postremò si consideremus plenitudinem, quatenus est vel valida, vel debilis, per validam intelligimus, quando vel actu efficit, vel efficere potest morbum vehementem; per debilem verò quando opposito modo se habet: si ergo plenitudo sit valida, validum ẽt indicat auxilium; debet enim esse proportio inter indicans & indicatum, si debilis sit, debile etiam indicat auxiliũ: at validum auxilium debet priora supponere. Indicatur igitur, auxilium validum minuens sanguinem modo euacuatorium, modo reuulsorium, modo deriuatorium pro varia plenitudine.

Quando indicetur auxilium reuulsorium.

Quorundam error.

Quæ sit plenitudo valida, & debilis, & quod auxilium indicent.

Hactenus ex iam traditis audiuistis quid indicet plenitudo; ex quibus etiã facile colligi potest, non in omni morbo, etiam vehementi, secandam esse venam, sed tunc solum, quando adest plenitudo sanguinis. Vnde si morbus sit vehemens, vigeatquè cacochymia, quæ & ipsa sit valida, & proinde indicans validum auxilium, huius validi auxilij materia erit pharmacum electiuè educens, non autem venę sectio.

Non in quolibet magno morbo secandam esse venam, sed tũc solum, quando adest plenitudo sanguinis.

Veritas hæc colligi potest ex multis Galeni locis, nempè ex primò Aph. 25 ex 4. de tuend. valet. 4. ex 4. meth. 6. ex 13. meth. 5. & vltimo, ex lib. de const. artis med. cap. 19. ex lib. cur. cap. primo 6. & 8. itẽ ex Auic. 4. primi cap. de phleb. quibus in locis colligitur secandam esse venam, vbi humor superans fuerit sanguis, vel vbi cum humore fuerit iunctus sanguis; semper enim hæc respiciunt plethoriam ad differentiam cacochimiæ. Quod si consideremus morbum vehementem, per hunc cũ Gal. lib. curatiuo capit. 9. oportet intelligere morbum & pręsentem, & imminentem; item etiam cum eodem in lib. codem cap. primo per morbum vehementem, intelligendus est morbus vehemens, qui

Per morbum vehementẽ oportet intelligere & præsentẽ & iminentem.

qui vel producit, vel produci poteſt à plenitudine ſanguinis ad differentiam morbi vehementis, qui fit ex cacochymia. Quid igitur indicat morbus vehemens hoc modo acceptus: dico venæ ſectionem, ſi propriè loqui licet, nequaquam ex morbi vehementia indicari, ſed omnino excludi; fundamentũ huius eſt quidem ni fallor demonſtratiuum, quoniam ſi conferamus remediũ ſpecificum cum generico, ſi genericum ſit præſeruatorium, oportet etiam tale eſſe ſpecificum. In præſentia, quænam eſt natura generici remedij? Genericum remedium eſt auxilium minuens; magis ſpecificum eſt auxilium minuens ſanguinem; adhuc magis ſpecificum eſt auxilium minuens ſanguinẽ validum. Quare auxilium minuens ſanguinem validum eſt remedium præſeruatorium, eò quod deſumitur a cauſa efficiente, ideſt à plenitudine: quapropter venæ ſectio auxilium minuens ſanguinem validum, cum ſit præſeruatorium, indicatur tantum à plenitudine ualida, non autem à morbo vehementi. Iurè autem diximus (ſi propriè loqui velimus) nam ſi quis nihil voces curet, & impropriè loqui velit, poteſt aſſerere ſectionem venæ eſſe auxilium euacuatorium, & indicari à morbo; quoniam plenitudo vſque adeò proxima eſt ipſi morbo, vt ſublata plenitudine, ſaltẽ quò ad ſenſum, remoueri videatur etiã morbus. Animaduertendum tamen & Galenum, & alios etiam dixiſſe, venę ſectionem indicari à morbo vehementi, ſiue præſenti, ſiue iminenti: à morbi itaque vehemẽtia (vt ita dicam) ſanguinea indicatur, vt colligitur ex Galeno lib. curatiuo per venæ ſectio. cap. primo; ita vt per morbi vehementiam ſignificaretur vehementia plenitudinis.

Venę ſectio propriè non indicatur a magno morbo.

In quo ſenſu morbus magnus indicet venę ſectionem.

Vnde Hipp. 6. Epid. com. 3. tex. 43. habet hæc verba. *Non nunquam aliquibus ſanguinem detrahi conuenit oportunè in his; in alijs verò, vt in his, non conuenit.* Gal. in com. ait. *Expedit horum aliquibus ſanguinem detrahi, quibus ſcilicet his copioſus eſt, & nondum inſigniter ad alterius humoris naturam conuerſus: non detrahendus eſt autem in quibus iam mutatus eſt, propoſito à viribus ſumpto antecedente.* Quare videmus, Galenum nõ probare in pleuritide ſectionem venę, at ibi loquitur, nõ de quacunq; pleuritide, ſed de illa tantum, de qua ibi fit ſermo, & Galenus eodem in loco dicit, Hippocratem ita loquutum fuiſſe, quia pleuritis erat mitis: vnde innuit plenitudinem remiſſam, non validam. Quare dicatis ſecundum hunc ſenſum, venæ ſectionem indicari à morbi vehementia, ita tñ, vt venæ ſectio indicetur à plenitudine valida, quæ per morbi vehementiã exprimitur, atque innoteſcit.

Quòd ſi conſideremus virtutem, etiam ipſa ad iudicandum concurrit, ſed quomodo? Aduertendum primum: per uires, intelligere uires ualidas, & in præſentia, & in futurum. Per uires autem ualidas in futurum, non intelligimus indicans, quod futurum ſit, eò quod à futuro non deſumitur indicatio, ſed à præſenti quare per uirtutem intelligimus uirtutem, quæ in præſentia ita ualida ſit, ut poſſit ẽt in futurum ualida perſiſtere. Præterea per uirtutem oportet intelligere uirtutem modo propriam, modo etiam alienam: per propriam, intelligimus mulieris uirtutem febricitantis: per alienam uerò, intelligimus uirtutem fœtus exiſtentis in utero fæbricitantis.

A viribus q̃ indicationes deſſumantur

A præſentibus viribus ſumitur indicatio non à futuris.

Virtus eſt duplex.

Virtus ꝓpria q̃ intelligatur.

Virtus aliena quæ intelligatur.

Præterea per uires, oportet etiam intelligere uires potiſſimum uitales, ſed præterea naturales etiam, atque animales, ut colligitur ex Galeno libros cur. per uenæ ſectionem cap. 6. & 13. item 11. meth. cap. 15. ex quibus locis apparet, eum in uenæ ſectione reſpicere uires, potiſſimum cordis, ideſt uitales. Poſtremò, poſſunt intelligi uires ualidæ ſecundum ſubſtantiam ſpiritalem,

Per vires q̃ ſint intelligendæ.

Vires validæ ſunt triplices

ſecundum

ſecundum ſubſtantiam carnoſam, & ſecundum ſolidas partes. Vnde virtus eſt robuſta ſimpliciter; quando benè ſe habet ſecundum omnes tres ſubſtantias; ſecundum quid verò, cum benè ſe habet ſecundum vnam tantum, vel ſecundum ſolida, & carnem tantum. Hinc colligatis virtutẽ validam, prout põt concurrere ad venæ ſectionem, eſſe virtutem validam ſecundum omnes tres ſubſtantias: virtutem verò non concurrere ad indicandum, quando eſt debilis ſecundum ſolida, licèt ſit valida ſecundum ſpiritus, & carnem; languida enim virtute ſecundum ſolida non licèt venam ſecare: quod ex puerili ætate probatur; in pueris enim citra quatuordecim annos virtus eſt valida ſecundum ſpiritus, & ſecundum etiam carnem, & tamen illis nõ licèt ſecare venã, eò quod habent ſolida laxa & languida, ita vt ſi ſecetur vena, hinc ſequatur eorum diſſolutio: quare in venæ ſectione neceſſarium eſt, vt virtus ſemper valida ſit ſecundum ſolida. Non eſſe autem neceſſarium, quòd virtus ſit valida ſecundum ſpiritus, hinc colligi poteſt, quoniam ſi corpus athleticum ſyncope corripiatur, virtus huius eſt valida ſecundum ſolida, & ſecundum carnem, debilis eſt tamen ſecundum ſpiritus; hæc tamen debilitas non prohibet venæ ſectionem. Hoc colligi poteſt ex Gal. 4. de ratione victus 23. 82. & 103. Spiritus ergo, licèt langueant, non prohibent tamen venæ ſectionem. Sed ſciendum, quòd per ſpiritus languentes, nos intelligimus ſpiritus debiles per ſuffocationem tantum. Propterea Galenus 5. meth. cap. 13. in illa muliere Romana patiente ſputum ſanguinis non auſus eſt venã ſecare, eò quòd ex quatriduano ieiunio illius ſpiritus facti fuerant debiles per reſolutionem. Præterea fieri poteſt, vt virtus ſit debilis ſecundum carnoſum genus, & tamen licet venam ſecare. Hoc colligitur ex Galeno 6. Epid. com. 3. tex. 29. vbi mulieri cuidam, licèt eſſet emaciata, venam ſecuit, ſanguinemq; eduxit, & quidem in maxima quantitate: Ecce infirmitas aderat virtutis ſecundum carnem tantum; reliqua verò erant valida, & tamen Galenus venam aperuit: ideò debilitas ſecundum carnem non prohibet venæ ſectionem.

Virtus debilis ſecundũ ſolida prohibet ſectionẽ venæ.

Virtus debilis ſecundũ ſpiritus non prohibet venę ſectionẽ.

Quæ ſpirituum debilitas non prohibeat venæ ſectionem.

Virtus debilis ſecundũ carnoſum genus non impedit ſanguinis miſſionẽ.

Sed hic conſiderandum, quam ob cauſam deficiat carnoſum genus, nam ſi hoc deficiat ex ieiunio, non licèt ſecare venam; eſt enim imbecillitas venę ſectionem prohibens. At ſi deficiat ex ſuppreſſione menſium, vt in muliere illa, in qua, propter ſuppreſſos menſes, materia praua ſanguinea miſcebatur cum alimento bono, talis imbecillitas non prohibet venæ ſectionem; immò etiam hoc addimus, ſi robur ſit in ſolidis tantum, & langueant ſpiritus ꝑpter ſuffocationem, & defficiat carnoſum genus ob ſanguinem vitioſum mixtum cum bono alimento, in hoc caſu licebit etiam venam ſecare; vt ſi ſit mulier qualis propoſita fuit a Galeno loco citato, quæ incidat in præfocationem vteri, hæc dubio procul ſuffocabitur, niſi occuratur valido auxilio, nempè venæ ſectione, quæ indicatur à ſolidorum robore. Ex his colligatis, quòd licèt virtus ſit valida in præſentia adeo, vt talis etiam poſſit eſſe in futurum, ſecandam tamen eſſe venam, nam ex Galeno 9. meth. 5. & primò ad Glauc. 14. in febre cum fluxu licèt ſecare venam, & etiam non ſecare, licet autem ex 9. meth. 5. quia virtus id permittit; robuſta enim eſt; non licet verò ex primò ad Glauc. 14. quia virtus prohibet id; debilis namque eſt.

Quando defectus carnoſi generis impediat venæ ſectionem. & quãdo nõ.

In ſectione venæ conſiderandæ vires præſẽtes, etiam future

Ex ſupra traditis conſtitutum eſſe debet, venæ ſectinem indicari à virtute valida, quę non modo in præſentia, ſed etiam in futurum valida eſſe debet: ob id Galenus loco ſupra citato in febribus cum fluxu, modò admittit, modò improbat venæ ſectionem: admittit autem eam 9. meth. 5. vbi in febre cum fluxu

Quando in febre cũ fluxu ſecanda ſit vena, & quando nõ.

xu mensium diminuto probat secari venam, quoniam fluxus ille erat talis, vt eius vi nullum erat periculum, vt labefactarentur vires præter modum; virtus enim tunc erat robusta, & in præsentia, & in futurum. Improbat verò eam primò ad Glauc. 14. vbi in febre, cum fluxu alui etiam diminuto, improbat venæ sectionem, quoniam cognoscit vires, in præsentia robustas quidem esse posse, eas tamen casuras in futurum, ratione fluxus illius, eò quod non erat fluxus principalis, nec criticus, sed potius symptomaticus.

Præterea ex traditis colligendum est, quò ad virtutem, & propriam, & alienam (semper enim medici institutum esse debet, mulierem, & fętum seruare) quòd oportet etiam ratione vtriusque validam ac robustam esse. At inquiunt nonnulli, quòd si vterque seruari non possit, & propositum sit mulierē tantummodo seruare, tunc sufficit robusta virtus propria ratione mulieris:

Quorundã opinio.

Confutatio.

Verum hæc opinio est eronea, immò contra caritatem, & fidem nostrã Christianam: quandoquidem à Spiritu sancto in Exod. cap. 21. hæc verba exarata leguntur. Si quis percusserit mulierem prægnantem, & abortiuum fecerit, & mors eius fuerit subsequuta, reddet animã pro anima. Similiter in Amos, primò hæc habentur. Dixit Dominus, super tribus sceleribus filiorum Ammon, & super quatuor non conuertam eum, eò quod dissecuerit prægnantes Galaad, ad dilatandum terminum suum. Demum apud Ambros. arg. 14. q. 5. hæc clarè leguntur. Si non potest subueniri, nisi alter lædatur, comodius est neutrum iuuare, quam alterum grauare.

Aliorũ sentẽtia.

Quapropter quidam alij dicunt, considerandnm esse, nunquid fętus sit animatus anima intellectiua, nec ne; quod ex tempore gestationis conceptionisuè cognoscitur; masculus enim in quadraginta diebus; fęmina verò in octuaginta perficiuntur. Quòd si certum sit fętum esse animatum anima intellectiua, & aliqua ægritudine correpta mater, medicus imperet, venæ sectionem, vel aliquod aliud medicamentum, vt faciat abortum, tunc medicus homicida est, & consequenter peccatum mortale committit, vt Iou. Neap. in quol. 10. inquit, qui à Diuo Antonino, & ab omnibus alijs, & in cap. cum infirmus de pœn. & remis. quoniam est causa mortis tam corporalis, quam spiritualis. Quare tunc nulla de causa, nulloq; respectu licèt venam saecare, vel aliqua alia ratione abortum prouocare, vt mater seruetur incolumis, fœtus verò pereat. Si verò medicus dubius sit, an fœtus sit animatus, nec ne, & abortum fieri procurauerit, etiam mortaliter peccat, eò quod se periculo peccati mortalis exponit, nempè homicidij: Qui enim amat periculum incidit in illud, vt ait s. Antoninus cap. secundo. At si probabiliter putat nondum animam esse infusam in embrione, tunc licèt medicum, pro salute matris, abortum prouocare: cuius ratio est, quia licèt impediat animæ infusionem in illo fœtu, non tamen propterea erit in causa mortis alicuius, & matrem ab orco sic reuocare poterit. Et huius sententiæ sunt omnes doctores & sũmistæ.

Confutatio.

Verum aduersus hanc sententiam est R. D. Tiberius Codruncus doctissim⁹ Theologus, affinis meus, mihique carissimus, in suis conscientiæ cassibus ad medicos attinentibus, casu 21. vbi ait, illos, qui ita sentiunt, deceptos fussie à medicis parum quidem prudentibus, in hoc, quod scilicèt in quibusdam casibus periculosis possint medici, & debeant, pro salute matris, abortũ prouocare, dummodo anima non sit in embrione infusa, cum id omnino sit à veritate alienum, immò maximè in re medica interdictum, quoniam quotiescunque procuratur abortus, & præcipuè in morbis acutis, mulier euidẽtissimo

tissimo mortis periculo subijcitur. Quare siue animatus, siue inanimatus sit fœtus, si medicus abortum prouocauerit, ob imminentem periculum mortaliter peccat, & quia contra Hipp.Gal.què præcepta, necnon aduersus rationem mollitur: Hippoc.enim in Iusiurando ita exaratum reliquit, *Neque mulieri talem vuluæ subdititium ad corrumpendum conceptum, vel fœtum dabo*. & in libro de nat.mulieb. inquit, *Quod si Erysipelas in vtero prægnantis fiat, moritur*. Et tamen consulit exibendas esse potiones & cibaria, à quibus fętus corrumpi nō possit. Nec vnquam apud Gal.reperiemus, illum docuisse, abortum prouocādum esse; immò semper ęque fętum in matris vtero curauit, tantiq; fecit, quāti hominem iam in lucem ęditum. Animaduertendum est igitur, quòd quando mulier prægnans aliquo morbo acuto corripitur, lethale est; vt ait Hipp. 5.Aphor.31.cuius rei causam in com.afferens Gal.inquit, propter imminens abortus periculum, quod imminet, aut propter febris vehementiam, quæ interficit fętum; aut propter inędiam, quæ in huiusmodi morbis est necessaria, in qua ob alimenti indigentiam fœtus moritur.

Quare si lethale est, mulierem prægnantem corripi aliquo morbo acuto ex parte conceptus, propter illius imminentem abortum, manifestum erit in morbis acutis & lęthalibus abortum prouocari nunquam debere, qui quidē abortus, cum ex se sit valdè periculosus, si postea in aliquo morbo acuto fiat, magis periculum augebitur, & malum malo addendo, mulier ad extremum vitæ discrimen perducitur. Concludendum igitur erit, ex authoritatitatibus, & rationibus supra allatis, medicum nunquam vllo pacto pro salute matris abortum prouocare debere, sed semper saluti ac vtriusq; conseruationi inuigilare; nisi tamen certus sit, in vtero carnem quandam informem cōtineri, quæ à Græcis μόλη, à Latinis mola dicitur, absq; embrione; tunc enim opus esset eum vti medicamentis aperiētibus, laxantibus, mollientibus, sanguinem concretum dissoluentibus, menses prouocantibus, & tandem fœtus mortuos; & secundas expellentibus. Conclusio.

Quare cum hæc ita se habeant, non leuis oritur difficultas, an in mulieribus utero gerentibus, cùm morbo acuto uexantur, possit fieri venæ sectio: Siquidem Hipp.lib.4.Reg.Acut.tex.19.pcipit, in omnibus morbis acutis, florēte ætate, & constantibus viribus, administrandā esse venæ sectionē; Quod etiam Galenus pluribus in locis comprobauit. Verum cum idem Hippoc.5. Aphor.31.scribat, quòd si mulieri vtero gerenti sanguis ex vena mittatur, facit abortum; & præsertim si fętus sit grandior: iurè datur dubitandi locus, Quandoquidem nisi fiat venæ sectio, morbus seuior factus ęgrotantem necabit: si verò fiat, incurret mulier abortum, quod omnino vitandum esse, supra abundè declarauimus. Quapropter, pro huius difficultatis solutione, altius exordiendum est à nobis, & videndum quid hac in re alij senserint. Auer.igitur lib.7.collig.cap.4.Hippocratem carpens inquit. *Ego autem dico, quòd phlebotomia, quando adest repletio, qua embrio non indiget, non est mala*. Vnde quidā partes Hipp.tueri volentes, dixerunt Hipp.eo in Aphor.non interdixisse sanguinis missionem; sed ne venam in eisdem temere secemus, ob imminens abhortus periculum, admonere voluisse. At Fuchsius hosce repræhendit hac ratione, quoniam Hipp.venæ sectionem, in vtero gerentibus, simpliciter & absolutè damnat, atque abortum, ipsa facta, subsequuturum esse docet. Quare alio modo respondendum esse putat dicens diuersam fuisse Hipp. sententiam ab ea, quam isti afferunt, sed inquit, eum nobis significare voluisse, sanguinem

Dubitatur an in vtero gerentibus secanda sit vena.

Auer.Hippocratem reprehendit.

Hipp. defensio quorūdā, & 31. Apho. 5.particulæ, expositio. Fuchsij illorum sententiæ confutatio, & Apho. expositio.

nem non esse mittendum vtero gerentibus, ea mensura, qua priscis temporibus fieri solebat, copiosa.s. & magna. Quod autem hoc modo Hipp. dictum intelligere debeamus, ait patere ex Gal.lib.de sang.miss.cap.quarto dicente, *Memini quibusdam ad sex vsque libras sanguinem detractum fuisset*. Atq; etiam 9. meth. sanguinis missionem præcipit usq; ad animi deliquium.

Fuchsij sentétia partim probatur, partim refellitur.

Sed hęc Fuchsij sententia, partim est veritati consona, partim à veritate abhorret: vera quidem est cum inquit, Hipp. intelligere de copiosa sanguinis missione. At quando id probat, quia priscis illis temporibus fiebant tantum copiosæ, ac magnæ sanguinis euacuationes, nempè vel vsque ad sex libras, vel vsque ad animi deliquium; in hoc certè decipitur, quoniam tunc tẽporis fiebant ét in pauca copia, vt patet ex Gal.lib.de sang.miss.eo in loco, vbi prohibet venæ sectionem ante decimum quartum annum, & post id tempus, vbi multus sanguis in corporibus generatur, & ipsorum fuerit sanguinea natura, maximè si verno tempore in anginam, pleuritidem, aut pulmoniam incidere soleant, sanguinis missionem concedit dicens. *Detrahes autem primum ad summum, ad cotylam vsque*. cum autem cotyla pendeat vncias septem sanguinis, & ipsam Gal. sanguinis missionem appellet, manifestum est Fuchsij fundamẽtum ruere, & per consequens sententiam illius omnino esse à veritate alienã.

Christofori à Vega sentẽtia, & expositio.

Quare Christoforus à Vega in sua arte medicinali, capite de sanguinis missione inquit, veram esse Hippocratis sententiam eo modo, quo veræ sunt aliæ ad præsagia attinentes, nempe vt plurimum, quemadmodum illa, quæ in eodem quinto Aphorismorum 30. ab Hippocrate affertur dicens. *Mulierem vtero gerentem capi ab aliquo morbo acuto læthale*. licèt enim (inquit a Vega) hęc sententia sit generalis, nullasq; mulieres vtero gerentes excludere videatur, non ob id tamen putare oportet, omnes morituras esse, sed magna ex parte id euenire; quare sic neque sanguine misso, omnes aborsum passuras esse cẽsendum est, sed magna ex parte: Vnde opinio illorum qui dicebant Hippocratem non prohibuisse sanguinis missionem, sed admonere voluisse, ne venã in eisdem temere seccemus, ob imminens abortus periculum, non est omnino à veritate, & à ratione aliena.

Primæ opinionis defensio.

Solutio Authoris.

Verum nos, vt propositam difficultatem diluamus, dicimus semper in vtero gerentibus præcipuè respiciendas esse vires, & proprias, & alienas; cum medici Christiani munus sit, & matrem, & fœtum incolumes seruare; nisi.n. adsint validæ vires vtriusque, & præcipuè embrionis, nullo pacto sanguinem mittere licèt. Si verò adsit morbi magnitudo, & plenitudo, neque propriæ, vel alienæ vires contra indicent, facienda est venæ sectio. Cui quidem sententiæ non contradicit Hippocrates in aphorismo supra citato, quoniã aphorismus ille ueritatem habet, quotiescunque defecturum sit alimentum ipsi fętui; ita vt hoc pacto veniat intelligendus, *si mulieri vtero gerenti sanguis ex vena mittatur facit abortum*, si tanta silicet sanguinis copia extrahatur, vt alimentũ fœtui deficiat; hoc autem præseferunt illa verba, quæ Hippocrates subiũgit, *præsertim si fœtus sit grandior*; tunc enim maius imminet periculum, ne deficiat nutrimentum, cum maiore illius copia indigeat atque vtatur: Quantum igitur sit ratione mulieris vtero gerentis, licet quidem abunde sanguinem mittere, & pro causæ morbum facientis magnitudine, & facultatis constantia, & robore: ratione verò fœtus, minorem opus est sanguinis missionem facere, quam si quis pro morbi ratione, & viribus matris efficere vellet, alioquin abortus fieret, & huius sententiæ fuit Cornelius Celsus lib. 2. cap. 9. Si igitur

in

in vtero gerente fiat venæ sectio, quemadmodum nũc temporis fieri solet, ita vt quinquæ, sex, vel septem vntiæ sanguinis extrahantur, viribus quidem constantibus, nunquam certè abortiri faciemus, sed aliquando mulieres à seuissimis morbis vindicabimus, immò nonnunquam etiam à periculo abortus, tantum abest, vt ipsum prouocemus; Memini enim ego annis ellapsis me profectum fuisse Mutinam, accersitum ab Illustrissimo Domino Ioanne Bentiuolo, vt, quid in casu Illustrissimæ Eleonoræ de Pijs à Sabaudia eius cõiugis, quæ à quinto, vel sexto gestationis mensæ semper abortita erat, agendum esset, vnà cum Excellenti Domino Paulo Calora, eorum medico ordinario, cõsulerem, ac deliberarem: animaduertentes igitur nos eam, maximam sanguinis copiam generare, ac congerere, multumquè ipsius, dum non erat prægnans, per menstruas purgationes excernere; deuenimus in hanc sententiam, quòd postquam in vtero concepisset, tanta sanguinis copia in eius corpore coaceruaretur, vt fœtum suffocaret, atque obrueret. Quare decreuimus, vt à primo, vel altero conceptus mense, singulis mensibus ei vena in brachio seccaretur, & sanguis, in pauca tamen copia, extraherẽt, quod cum factum fuerit, debito tempore fœtum gestauit, & marem adhuc superstitem summa cum fœlicitate peperit.

His ita constitutis, iam vnde digressi fuimus reuertamur. Dicimus igitur, quòd ex traditis etiam constitutum esse debet, virtutem concurrere ad indicandum venæ sectionem, siue valida sit ratione trium substantiarum, siuè ratione solidorum tantum, siue ratione solidorum ac spirituum, siue ratione solidorum & carnosi generis, vt ex supradictis patet. At nondum patet, quomodo virtus ad indicandum concurrat. Quantum igitur ad hoc dico, virtutem concurrere ad indicandum venæ sectionem, vt indicans curatorium ex accidenti: Vnde differt à plenitudine valida; hæc enim concurrit, vt indicans curatorium, præseruans, & principale; uirtus verò vt indicans curatorium ex accidenti: vnde potest dici coindicans, & etiam contrario modo indicans, vt explicat Galenus lib. curat. cap. 3.

Quõo virtus ad indicãdũ concurrat venæ sectionẽ.

Postremò quantum pertinet ad ætatem, primum oportet videre quid per ætatem sit intelligendum: secundò quomodo concurrat ætas ad indicandum venæ sectionem.

De Scopis ab ætate desumptis pro venæ sectionæ.

Quod spectat ad primum, fuit sententia Hipp. 4. de ratione victus 19. per ætatem oportere intelligere ætatem florentem: dicit autem Galenus lib. curat. cap. nono oportere intelligere ætatem, non florentem tantum, sed & antecedentem, idest adolescentiam, & subsequentem, idest secundum senium.

Quid ꝑ ętatem sit intelligendum.

At difficultas est ratione ætatis tum senilis, tum etiam puerilis: Senilis quidem, quoniam dicit Galenus loco supra citato, non addendam esse ætatem senilem, quoniam hæc includitur in virtute, idest intelligitur cum proponitur virtus; in senibus enim non est robur virium, quod dictum satis difficile perceptu videtur, quoniam etiam puerilis ætas reducitur ad virtutem.

Augetur etiã difficultas, quoniam Galenus concludens, quodammodo hoc negotium lib. curatiuo cap. 20. dicit venæ sectionem indicari à morbo vehementi, à robore virium, excepta puerili ætate, & ambiente valde calido (sed de ambiente agemus suo loco) quo in loco excipit Gal. puerilem ætatem, & nullam facit mentionem de senili. Pro huius difficultatis solutione dico, quod virtus robusta potest dupliciter considerari, nẽpe prout est robusta in præsentia tm̃, vel ꝑvt est robusta & in præsentia, & in futurũ: si consideremus virtutẽ

Dubitatur circa ętatem tum senilem cum puerilẽ.

Solutio.

primo modo, ad hanc non reducitur puerilis ętas, eò quod ibi virtus est quidē robusta in præsentia, sed in futurum tamen cadet; secus autem dicendum de extrema senectute; in hac enim virtus est debilis in præsentia, & ob id continetur sub virtute: & hoc significat Galenus quando dicit, in sene virtutē non esse robustam, errareque medicos illos, qui credunt virtutem non esse robustam in puerili ætate: Respexit igitur Galenus virtutem, pro ut est valida tantum in præsentia. Quod si consideremus virtutem prout valida esse debet & in præsentia, & in futurum, & proinde omnibus modis; tunc ad hanc refert ēt puerilis ętas. Ideo Gal. lib. curatiuo cap. 13. & 4. meth. 6. & alibi etiam, voluit sufficere ad indicandum venæ sectionem morbi vehementiam, cum robore virium. Non proponit ætatem puerilem, sed robur tantum virium; quoniā per robur intelligit robur & præsens, & etiam futurum. Altera difficultas esse posset ratione ętatis senilis, qm̄ dicit Galenus libro curatiuo cap. 9. in sene virtutem esse debilem; fatetur tamen in cap. 3. eiusdem lib. septuagenarium admitere venæ sectionem. Sed intelligatis vos id rarissime euenire, vt etiam ibi insinuat Gal. Difficultas etiam est ex parte puerilis ætatis; quoniā fuit sententia Gal. lib. curatiuo cap. 14. euacuandum esse sanguinem in minori copia in pueris, tantiq; fuit apud aliquos hæc auctoritas, vt dixerint ex mente Gal. secādam esse venam in pueris, ēt ante decimum quartum annum: & tamē Gal. excipit semper puerilem ætatem cap. 13. eiusdē lib. euidenterq; asserit non secandam esse venam ante decimumquartum annum. Pro solutione dicendum puerilem ętatem esse intelligendam, vt possit excedere decimumquartum, & attingere decimumquintum, & decimum sextum annum, etiam ideò Gal. lib. curatiuo capit. 14. loquitur de pueris non citra, sed ultra decimumquartum annum. Vt autem cognoscatis hāc distinctionē esse verissimam, videatis Gal. lib. citato cap. 13. dicit. n. ibi, in pueris non esse secandam venam ante decimū quartū annum; post autem venam secare licet, si pueri natura sit sanguinea: Ecce qūo admittit Gal. puerilem ætatē decimumquartum annum excedere, cōceditq; vltra decimumquartum annum si pueri natura sit bene sanguinea detrahendum esse sanguinem, sed tamen non in multa quantitate. De ætate ante decimumquartum annum hoc unum tm̄ dico, vbi insignis aderit plenitudo ante decimumquartum annum, licèt quidem euacuare sanguinē, sed alijs tamen auxilijs, q̄ sectione venæ, de quibus suo loco. Secundum explicandum erat qūo concurat ætas ad indicandam venæ sectionē, & hoc etiam intelligere est satis difficile; Nam si ex methodo medendi progredi volumus, nil aliud est dicendum, nisi ꝙ ętas ad indicandum concurrit, vt indicans curatoriū ex accidenti, ad similitudinem virtutis, eò ꝙ ætas dirigitur ad virtutē per mediā temperaturam, vt differentia sit inter ætatem, & virtutem, eò quod virtus sit indicans curatoriū ex accidenti magis principale; virtus. n. ut indicās curatorium ex accidenti ad nullum refertur: at ætas refertur ad virtutem per mediam temperaturam, nec aliud hac in re dici potest.

Cōtradictio in Gal. verbis.

Respōdetur.

Alia contradictio.

Aetas qūo cōcurat ad indicandum.

Differentia inter ætatē & virtutem.

Sed difficultas est ratione & tēperaturæ, & ēt aeris: Temperaturæ quidem, qm̄ ex Gal. 4. de ratione uictus 25. ætas refertur ad habitū. Dicendū ætatē refferri ad temperaturam, & ēt ad habitum, qm̄ per habitum oportet intelligere temperaturā; Hoc colligitur ex Gal. 4. de ratione victus 19. & 25. Itē lib. curatiuo cap. 13. & 9. ibi. n. vult Gal. puerilē ætatē non posse ꝓferre venæ sectionē, qm̄ puerorum corpus est diflabile, nimisq; dissolubile, ꝑ humiditatē & caliditatem temperamenti, vt dicit Gal. Quare hæc reducuntur ad temperiem.

Dubitatio circa temperaturam.

Solutio.

Virtus verò non consistit in senibus vt dicit Gal. p p frigiditatem ac siccitatem; & ideo hæc reducuntur ad temperiem. Ratione verò aeris difficultas est, quoniam aliquis dicere posset, cur proponitur ætas, non aer? & præsertim, quia aer solus sufficit ad prohibendam venæ sectionem, ex Gal. primo ad Glauc. 14. vbi videtur dicere in ambiente valde calido, & valde frigido non secandam esse venam: Vnde dicit etiam lib. curatiuo capit. 20. secandam esse venam, si morbi adsit magnitudo, cum virium robore excepta puerili ætate, cum ambiente valde calido. Hæc fuit causa, propter quam vnica puerilis ætas sufficit ad prohibendam venæ sectionem, quatenus tamen illa dirigitur ad virtutem; non autem vnicus aer. Vnde si rectè intelligitur Galenus primò ad Glauc. 14. & 15. voluit quod ambiens calidũ tunc prohibeat venæ sectionem, quando concurunt tria, nempe tempus anni calidum, regio calida, & constitutio calida: Vnde si ambiens sit calidus, ratione ipsius solius, non prohibetur venæ sectio quod monet Gal. lib. curat. capit: 14. vbi sub cane admittit venæ sectionem, sed in minori tamen copia; unica verò ætas venæ sectionem prohibet: Sed dicet quis si ætas concurrit ad indicandum, prout refertur ad virtutem per mediam temperaturam, cur Hippocrates non proposuit temperamentum potius vel habitum? Non esset ab re, nec tam absurdum aut falsum, siquis dixerit sectionem venæ indicari à morbo vehementi, à robore virium, & à temperatura vel habitu; quia sic tangeret indicans principale, coindicans etiam & principale, & non principale. Dicimus tamen Hipp. proposuisse ętatem, & quidem florentẽ, qm̃ vbi proponitur ætas florens, patet quęnam ætas admittat, quæ vè etiam prohibeat venæ sectionẽ: si aũt dixisset ab habitu, à temperatura ita in genere, hoc fuisset valdè dubium, & ideò non erat possibile, vt proponeretur coindicans non principale, q̃ magis exprimeret temperaturam, virtutem validam, ac debilem ætate ipsa; cum enim proponitur ætas florens, excluditur ætas & puerilis, & senilis.

Dubitatio de aere.

Gal. locus explicatur.

Instantia.

Responsio.

Hipp. locus explicatur.

Sed dicere quispiam adhuc posset, ego noui quidem sectionem venæ indicari à plenitudine vehementi, prout exprimitur per morbi vehementiã, coindicari à virtute, & principaliter à virtute robusta, secundariò autem ab ætate florente, ita vt his existentibus in omni morbo secanda sit vena; sed tamẽ hoc suspectũ esse videtur, qm̃ Gal. 4. meth. 6. dicit, non sumẽdã esse indicationẽ sectionis venæ à redundantia sanguinis. i. à plenitudine, quia licèt non adsint signa plenitudinis, secãda tñ est vena; sufficit. n. vt morbus sit magnus cũ viriũ robore; & nemo est vt dicit Gal. in arte ita exercitatus, qui non secet venã, cũ morbus est magnus, cum virium robore, & ob id probat empiricos, qui in cõtusione, vel in casu ab alto venam secabant, etiam si iste expers omnino esset redundantiæ sanguinis. Augeturquè difficultas, quoniam Gal. 8. meth. 4. dicit, secandam esse venam, licèt non adsint signa plenitudinis.

Instantia.

Nec est quòd quis dicat more quorundam, qui credunt euacuationem sufficere pro tolenda difficultate Gal. dixisse secandam esse venam, licet non adsint signa plenitudinis, idest plenitudinis quo ad vasa, quoniam possunt esse signa plenitudinis quo ad vires, quoniam hæc est mera fuga, eò quod licèt Galenus loco supra citato loquatur de plenitudine quo ad vasa, in libro tamẽ curatiuo cap. 9. loquitur de plenitudine, & quò ad vasa, & quò ad vires, & dicit secandam esse venam, licèt non adsint notæ plenitudinis; Atque etiam addit Gal. 4. meth. 6. si fuerit sanguinis redundantia non necessario secanda

Solutio quorundam.

Confutatio.

est vena, eò quod alijs satisfacit inedia, alijs cibi parcitas, alijs frictiones.

Authoris solutio uera.

Pro solutione dico, verissimum esse vbi morbus est vehemens cum virium robore secandam esse venam: per morbum tamen vehementem intelligere debemus morbum vehementem sanguineum qui producitur a sanguine ex Galeno libro curatiuo cap. primo. Vnde per morbum vehementem intelligendum est id, quod exprimit plenitudinem vehementem. Vnde idem est dicere, indicatio secandæ venæ sumitur à plenitudine vehementi, quæ exprimitur per morbi vehementiam, & dicere, indicatio secandi venam sumitur à morbo vehementi. Non intelligatis tamen sectionem venæ indicari à morbo vehementi, ita vt morbus hic sit indicans venæ sectionem, eò quod Gal. libro curatiuo cap. 13. per morbi vehementiam intelligit morbi vehementiã, & præsentem & futuram, sicuti se ipsum ibi explicat Gal. Quis modo tam fatuus dicet indicationem desumi à futuro: Quare per morbi vehementiam significat plenitudinem vehementem, quæ vel efficit uel efficere potest morbum uehementem, & ob id Gal. cap. 9. eiusdem libri dicit, missionem sanguinis contineri in plethoria seu in plenitudine.

Per morbũ uehementẽ quid sit intelligenum.

Quomodo in plethora? in plethora ut potè quæ (ut inquit Galenus) morbi magnitudinem augeat. Quibus uerbis nil aliud uult significare Galenus quam plethoram, seu multitudinem uehementem: concurrit igitur ex Galeno plenitudo illa uehemens ad indicandam uenæ sectionem; & iure debet esse uehemens, quoniam aliter non indicaret ualidum auxilium, propterea Galen. quarto meth. 6. dicit non indicari sectionem uenæ ex redundantia sanguinis, quoniam hæc nisi fuerit ualida, non indicat auxilium ualidum, & ideò alijs (ut dicit Galenus) satisfacit inedia; alijs cibi parcitas, alijs frictio, quoniã plenitudo erat debilis.

Gal. locus explicatur.

Facile etiam tollitur difficultas illa, quando silicet dicit Galenus secandam esse uenam, licèt non adsint signa plenitudinis, & dubio procul loquitur de plenitudine, & quo ad uasa, & quo ad uires, sed tamen de plenitudine communi, secus autem dicendum est si sit plenitudo determinata; in hac enim licèt non adsint signa plenitudininis communis, modo tamen adsint notæ plenitudinis determinatæ secari debet uena; plenitudo autem determinata erat illa, quæ proponitur à Galeno quarto meth. 6. ubi laudat empiricos, qui in contusione secabant uenam & si non aderant signa plenitudinis communis, aderant tamen signa plenitudinis determinatæ; imminebat enim inflammatio, & plenitudo in parte affecta, & propterea Galenus loco citato dicit uenæ sectionem adhiberi uel propter abbundantiam, uel propter morbi magnitudinem.

Solutio alia Gal. locus declaratur.

Purgationem uerò & propter abundantiam & copiam alterius cuiusque succi, & propter morbi magnitudinem & vehementiam.

Quæ dicta licèt sint facilia, neminem tamen inueni, qui in hodiernam usque diem ea rectè intellexerit; nam Galenus quando loquitur de uenæ sectione, loquitur disiunctim; dicit enim secandam esse uenam, uel propter abundantiam, uel propter morbi magnitudinem: coniunctim uerò loquitur cum proponit purgationem; dicit enim purgationem adhiberi, & propter abundantiam alterius cuiusque succi, & propter morbi magnitudinem, nil aliud uult significare Galenus loquens de uenæ sectione, nisi quòd uenæ sectio indicatã ab abundantia, & per abũdantiã ibi intelligit plenitudinẽ totius.

Gal. locus explicatur.

Quod autem hoc sit verum probo, quoniam Galenus eodem capite loquitur de plenitudine totius maxima, seu de plethora, & dicit quotiescunque est plethora alijs satisfacit inedia, alijs cibi parcitas, alijs venæ sectio. Quando satisfacit venæ sectio? quando plenitudo est vehemens, & vel efficit, vel efficere potest vehementem morbum, & ob id Galenus dicit venæ sectionem indicari, vel propter abundantiam, idest propter abundantiam vehementem, subdit deinde vel propter morbi magnitudinem, vt innuat plenitudinem determinatam, de qua loquitur Galenus quando laudat Empiricos. Nemo tamen ex traditis miretur quicquam, quod Galenus propter morbi vehementiam intelligat prius vehementiam causæ, siue materiæ, quam morbi, eò qđ talis fuit mos Galeni, quippe qui parum fuit solicitus de vocibus. Vnde Galenus primo ad Glauc. cap. de curatione tertianæ intermittentis proponens vinum, dicit illud propinandum esse, quando morbus incipit concoqui: Quis verò est adeò mentis expers, vt dicat morbum concoqui? nunquam enim morbus concoquitur, sed morbi materia. Quare per morbum intelligit materiam. Galenus itaque iurè optimo disiunctim loquutus est, eò quod respexit plenitudinem, & communem, & determinatam: cum autem loquitur de purgatione, de qua non est amplius loquutus quarto meth. 6. dicit purgationem adhiberi, & propter abundantiam alterius cuiusque succi, & propter morbi magnitudinem. Morbus quandoque apud Gal. capitur pro materia.

Per abundantiam alterius cuiusque succi, intelligit cacochimiam, & per cacochimiam intelligit quamcunque cacochimiã, idest communem & determinatam, quoniam in eodem capite non distinguit cacochimiam, sicuti distinguit plenitudinem; nam ad indicandum auxilium validum, nempè purgans, non sufficit, quòd sit cacochimia simpliciter, sed oportet, vt sit cacochimia vehemens, & propterea hãc significans Galenus dicit, purgationem adhiberi, & propter abundantiam alterius cuiusque succi, & propter vehementiam, idest per cacochimiam vehementem, quæ exprimitur per vehementiam morbi. Cacochimia duplex. Gal. locus declaratur.

Alia fuit Galeni auctoritas in lib. curatiuo cap. 6. vbi ait, si fuerint homines, qui propria adhuc munia consuetaquè obeãt, expediat tamen aliquibus vti auxilijs, quantum attinet ad venæ sectionem, dicit Galenus præcipuos scopos esse copiam materiæ, & qualitatem, virium robur & infirmitatem. Profectò difficilè est assequi, quid hic sibi voluerit Galenus, nos tamen à fundamentis nostris quicquam non recedentes dicimus, materiam à Galeno propositam esse, & relatam inter principales scopos, eò quod venæ sectio à sola plenitudine indicaĩ, & sermonem habet de indicante principali, quod indicatur à sola causa morbifica, propter quam venæ sectio dicitur auxilium præseruatiuum; sed quoniam non indicatur à quacunque plenitudine, sed à plenitudine valida, ideò necessarium fuit Galenum exprimere hanc vim plenitudinis, luculentissimè autem eam expressit, quando dixit, indicationem secandæ venæ desumi ex materiæ copia & qualitate. Quod non est à vobis accipiendum, quemadmodum quidam intellexerunt, nempè ratione quantitatis esse euacuandum, ratione qualitatis esse alterandum, hoc enim est a veritate alienum: Sed idem dicendum est de materia, quod in eodem libro de virtute dicitur, ibi enim Galenus inquit, oportere virium robur, & infirmitatem perpendere; vbi enim adest virium robur licèt secare venam, eò quod à robore virium hoc indicatur; At existente virium infirmitate non est secanda vena,

Gal. locus explicatur.

Quorundam expositio cõfutatur.

Alius Gal. locus explicatur.

da vena, eò quod viriũ infirmitas sectionem venæ prohibet. Si igitur ex hoc principali scopo, idest virtute, cognoscitur quando licèt, & quando non licèt venam secare, idem etiam statuendum est de altero scopo, idest de materia: ita vt per copiam & qualitatem intelligat Galenus copiam & qualitatẽ, quarum ratione indicatur venæ sectio, sicut indicatur ex robore virtutis. Similiter etiam vt per hæc eadem intelligat copiam & qualitatem, quarum vi non expedit venam secare, sicuti non decet venam secare quando virium infirmitas adest: Quare Gal. per copiam & qualitatem nil aliud voluit significare, quam potentiam, & debilitatem plenitudinis. Vnde si plenitudo valida est, validum etiam indicat auxilium, si plenitudo est debilis, debile etiam ab ea indicatur auxilium: nam vbi est materia in insigni copia, & etiã insignẽ habet qualitatem, quis dubitat hanc esse validam plenitudinem, & proinde validum etiam indicari auxilium; contra verò si copia sit exigua, & qualitas non multum valida, dubiò procul remissa erit vis plenitudinis, vt sufficiat pręsidijs etiam debilioribus occurrere: Sicquè ego hunc Galeni locum interpretor.

Qnid per copiam & qualitatem intelligat Gal.

Est & alia auctoritas Gal. 13. meth. 21. vbi loquẽs de phrenitide, lęthargoquè, & proinde de morbis vehementissimis, in his statim inter initia statuit secandam esse venam, si virtus robusta sit, & nihil prohibeat, vt puerilis ætas, materiæ cruditas, tempus anni valde calidum, vel regio valdè calida, in quibus verbis adest difficultas, & potissimum meritò crudæ materiæ; nam ex Galeno loco citato in morbo magno, cum virtute valida cruditas materiæ, venę sectionem prohibere potest, in libro tamen curatiuo cap. 9. & 13. dicit Galenus, si morbus est magnus cum virium robore, secanda est vena; impossibile enim est, vt sit cruditas, quæ venæ sectionem prohibeat.

Dubitatio circa materiam crudã.

Augetur etiam difficultas, quoniam ibidem loquitur Galenus de cruditate prorsus prohibente; datur enim cruditas aliqua, quæ non habet rationem prohibentis, sed antecedentis, idest causæ sine qua non, quæ quidem cruditas prohibens, non potest esse cum virium robore, & potest etiam esse cum virium robore, ex Galeno 13. meth. 21.

Cruditas duplex.

Notandum autem est, morbum vehementem esse duplicem, vel enim est morbus vehemens, qui fit ex plenitudine, vel est morbus vehemens, qui producitur ex cacochimia; si sermo fiat de morbo vehementi sanguineo, tunc licèt ita inferre, est morbus vehemens sanguineus cum virium robore, ergo non potest adesse cruditas prohibens; Galenus autem libro curatiuo cap. 9. & 13. loquitur de morbo vehementi sanguineo; nam libro eodem cap. 1. statim inter initia statuit, se loqui de morbis sanguineis, in quibus secanda est vena.

Solutio.

At dicet quis, concedo hoc; sed vellem scire, quomodo cruditas non possit venæ sectionem prohibere. Per cruditatem intelligimus cacochimiã, quę indicat auxilium purgans, plenitudo in morbo sanguineo indicat auxilium validum minuens sanguinem: diuersa igitur sunt indicata: cum volumus cognoscere an secanda sit vena, an vtendum sit pharmaco, an vtrunque sit agendum, considerare oportet vter horum indicantium natura sua magis vrgeat; Nam vbi morbus est vehemens sangnineus, nunquam erit cacochimia adeò vrgens, vt vel indicet pharmacum, vel prohibeat venæ sectionem. Iure ergo loquens Galenus de morbis sanguineis ait, si morbus est vehemens cum virium robore, ea esse non potest cacochimia, quæ prohibeat venæ sectionem;

Instantia.

Solutio.

Locorũ Gal. explicatio.

nem; At Gal. 13. meth. 21. loquens de phrenitide, & lethargo non ait in morbo vehementi, si virtus sit valida secandam esse venam, nisi cruditas prohibeat; si enim hoc modo loqueretur impossibile esset illum tueri, quia sic loquitur etiam de morbo vehementi indicante venæ sectionem: si igitur sic diceret, morbus est magnus cum virium robore, tunc sic liceret inferre, ergo morbus est sanguineus, ergo mittendus est sanguis. Quamobrem dicit Galenus in lęthargo & phrenitide statim inter initia, si virium aderit robur, secandam esse venam, si cruditas non prohibeat, quoniam morbi isti possunt causari ex cacochymia. Quare lethargus indicat potius purgationem, quam euacuationem sanguinis, eò quod est morbus ex cacochymia; veruntamē in lęthargo si virium aderit robur secanda est vena, modo id non prohibeat cruditas. Vnde oportet cognoscere quid nam indicet venæ sectionē in lethargo; dicimus enim à lethargo indicari potius purgationem. Si à fundamentis nostris nolimus recedere, dicendum venæ sectionem indicari à plenitudine vehementi determinata, quæ quidem similis est illi, de qua loquebatur Galen. 4. meth. 6. vbi probabat venæ sectionem in contusionibus, etiam si homo esset pœnitus expers plenitudinis communis, propter periculum imminens: similiter etiam in lęthargo ratione putrescentis materiæ, atq; debilitatis cerebri periculum est, ne confluat sanguis, & per viam attractionis ratione caloris, & putredinis, & per viam transmissionis ratione debilitatis cerebri: quare imminet inflammationis periculum ratione plenitudinis in toto, licet nō sit plenitudo quò ad vasa, nec quò ad vires; sed tamen hoc non est perpetuo verū; eò quod corpus lęthargicum potest esse exquisitè cacochymum. Si fuerit insignis cacochymia (si enim non tanta adsit cacochymia hæc non prohibet venæ sectionē) non potest secari vena; eò quod talis cacochymia habet rationem vrgentis, & ita indicantis pharmacum, vt pharmaco tantum sit vtendum: iurè ergo dicit Galenus in lęthargo, & morbis, qui possunt oriri ex cacochymia statim secandam esse venam, ne repleatur pars affecta, nisi cacochymia magis vrgeat, & prohibeat: ideo cum Galeno 11. meth. 15. concludendum saluberrimum esse in putridis febribus tum continuis, tum intermittentibus venam secare.

Indicans venæ sectionē in lethargo quid sit.

Nec obstat, quod propositum fuerit ambiens, quando silicet dicit Galenus in læthargo secandam esse venam, nisi prohibeat regio valdè calida, vel tempus valdè calidum, quoniam iam supra diximus aerem non prohibere venæ sectionem, nisi sit calidus ratione regionis, temporis, & constitutionis simul.

Gal. locus declaratur.

At Galenus videtur vnum tantum inter probabilia proponere. Dico, quòd Galenus propones tempus anni calidum, proponit tempus anni ad summum calidum: Quare tempus anni non modo debet esse æstiuum, sed debent etiā reliqua concurrere: quare seruatis seruandis, cum Galeno saluberrimum est in febribus putredis venam seccare. Nam siue adsit plenitudo, quò ad vires, siue adsit plenitudo quò ad uasa, vires hoc onere leuatæ tunc concoquunt id quod est concoquendum, & expellunt id quod est expellendum: sed non inferatis tamen, in omni febre putrida secandam esse venam; non enim dicit Galenus in omnibus continuis, sed dicit in continuis; loquens verò de febribus intermittentibus dicit, in omni intermittente. Non intelligatis, in omni intermittente secandam esse venam. Ideò Galenus in primo ad Glauc. in cap. de cura tertianæ exquisitæ exactè, non proponit venæ sectionem, quoniam

Instantia: Responsio.

Gal. locus declaratur.

niam non adest plenitudo vlla, sed cacochymia. Quare quando dicit Galenus saluberrimum esse venam secare in omni intermittente, intelligi debet in qualibet spetiæ febris intermittentis, non autem in vnaquaque ipsarum, & hoc modo aliqua ex parte mitigabitur obstructio, quoniam hæc, si fiat à copia materiæ, tolletur, sed vndecimo meth. 14. dicit Galenus venę sectionem non curare obstructionem, idest non ex toto adimere, sed aliqua ex parte mitigare; in febribus enim putridis fit obstructio à copiosa viscida, & crassa materia. Quare visciditati & crassitiei materiæ non occurrendum est venæ sectionem.

Gal. locus declaratur.

Postquam diximus de intentionę missionis sanguinis, agamus modo de recta huius remedij administratione, quod est declarare quantum, quando, quomodo, & vbi agendum. Quò ad quantitatem hæc est uel continua, vel discreta, quantum ad continuam, dicit Galenus lib. curatiuo capit. 9. & 10. quibus scopis indicatur venæ sectio, ex ijsdē ēt indicatur quantitas; differunt tantum hi scopi secundum magis & minus; quare si plenitudo sit uehementior, si vires sint robustiores, si ætas sit magis florens euacuandus erit sāguis in magna quantitate; in pauca verò quantitate mitti debet sanguis, vbi robur virium non ita viget, ætasquè magis accedit ad extremas ætates; nec tanta adest plenitudo, vt mirum non sit, si Galenus 9. meth. 4. in vehementissimis febribus in insigni plenitudine euacuauerit sanguinem vsque ad animi deliquium. Sed aduertendum euacuari sanguinem posse vsque ad ipsius mutationem, & hæc mutatio vel est mutatio boni ad malum, vel è contra, euacuatur sanguis ad mutationem boni ad malum in plenitudine determinata, ex Hipp. 2. de ratione uictus 10. ubi in plenitudine sanguinea euacuat sanguinem usque ad mutationem boni ad malum, nam, ut dicit Galenus in cōmento, si sanguis primò exiens sit parum rubeus, is deinde fit rubicundior, si primùm fit rubicundus, is postea fit niger; euacuatur enim materia quæ fluxit in venas partis affectæ, in quibus sanguis aliquam accepit mutationem, sed hoc desumitur ex plenitudine partis, & hoc proinde fit non modo quando euacuatur totum, sed etiam quando fit deriuatio; fieri autem potest mutatio à malo ad bonum, ubi totum est refertum: nam quando aperitur uena, & nulla pars determinata est læsa, rationi consonum est, ut sanguis existens circa uiscera principalia fit melior, quam sanguis existens in uenis longinquioribus; ubi autem fit euacuatio à parte, mouetur sanguis à centro ad circonferentiam, si eius mutatio debet expectari, hæc erit à malo ad bonum, quoniam sanguis existens propè uiscera est melior. Aduertendum autem hoc esse uerum, si in uisceribus nulla adsit lęsio; nam si adessent cruditates in iecore, & secaretur uena, malus illæ sanguis traheretur in uenas totius, tuncquè mutatio esset boni ad malum; sed in tali casu non licèt uenam secare. Sed præterea apparet mutatio mali ad bonum, quando corpus est sanguine repletum, non modo in intimis uenis, sed etiam in extimis; ueluti quando corpꝰ corripitur lassitudine phlegmonosa, ut docet Gal. 4. de tuenda ualetudine penultimo, ex quo loco colligatis, uenæ sectionem esse in causa, ut sanguis moueatur à circunferentia ad centrum, at oppositum huius fieri iam diximus.

De administratione sectionis venæ

Quantitas duplex. Vnde indicetur sanguinis euacuandi quantitas.

Quarto de sanitate tuēda.

mutatio sanguinis est duplex uel a bono ad malū, vel à malo ad bonum.

Quando fiat mutatio mali ad bonum

Pro intelligendo Galeno sciendum est, per uenam sectam propria ratione moueri sanguinem à centro ad circunferentiam; ex accidenti uerò a circunferentia ad centrum: uenæ sectio est causa ut sanguis propria ratione moueatur à centro ad circunferentiam, quoniam cum aperitur uena, uerbi gratia

Quōmodo moueatur sāguis in uenę sectionę.

brachij,

brachij, oportet, vt cum inanitur vena hæc, in hac ingrediatur sanguis existens in vena huic proxima, hæc rursus à sibi propinqua; & sic deinceps, vt dubio procul sanguis propria ratione moueatur à cētro ad circunferentiam, quod fit eodem momento, quo sanguis exit; ex accidenti verò fit, vt sanguis remigret in venas internas ex Gal. quarto de tuēda valet. cap. penultimo, quoniam non fit id eo tempore, quo secatur vena; tunc enim sanguis mouetur ad circunferentiam, sed post venæ sectionem, per quam venæ sunt inanitæ, sanguis existens in venis extimis remigrat in intimas, veluti in lassitudine phlegmonode, in qua venæ extimæ ita sunt repletæ sanguine, vt corpus lassitudinē patiatur: vnde cum aperitur vena, prima vice exit sanguis in venis existens, & mouetur ad circunferentiam: cum vero iam clausum est foramen venæ, tunc sanguis, qui producebat lassitudinem remigrat in venas innanitas. Vnde Galenus loco citato dicit secandam esse venam secunda vice, quia tunc exibit sanguis, qui erat in venis extimis. Ideò cum post sectionem venę id contingat, accidit hoc sanguinis euacuationis: in hac autem euacuatione expectanda est mutatio à malo ad bonum, quia exibit sanguis culpatus, qui in venis extimis existens lassitudinem producebat.

Lassitudo phlegmonosa quæ.

Sed Gal. lib. curatiuo cap. 12. 14. & 21. ne fiat error dicit, opus esse, vt tempore sectionis venæ tangatur pulsus, & cum fiet mutatio ipsius ratione quantitatis ad paruitatem, uel ratione qualitatis ad inæqualitatem, sistendum esse illico sanguinem, quod in febribus potissimum putridis est obseruandum. Nā sententia fuit Gal. 11. meth. 14. in febre putrida non euacuandum esse sanguinem in ea copia, quam indicat plenitudo, sed aliquid sanguinis esse relinquendum, ne cogamur imminente statu ægrum cibare, cur hoc in febre putrida est tam necessarium? hoc explicat Galenus ibidem, vbi ait venæ sectione nec putredinem tolli, nec obstructionem. Quare relinquenda est in venę sectione virtus valida, quæ possit illas superare.

Obseruandū in sectione venæ.

Cur venæ sectio nec putredinē nec obstructionē llit. to

Venæ sectio non tollit obstructionem, quoniam hæc non modo à copia; sed etiam à crassa, & viscida fit materia, nec eradicat putredinem, quoniam materia excrementitia potius purgationem requirit. Præterea materia talis retinetur in loco recondito, vbi est basis febris, quæ quidem materia non ita potest venæ sectione euacuari. Quare aduertendum ne in febribus putridis sanguis ita copiosus euacuetur, & potissimum usque ad animi deliquium: nam Galenus 9. meth. 4. & 10. dicit, valdè periculosum esse hoc; Vnde Gal. lib. etiā de venæ sectione, aduersus erasistratum cap. 7. dicit, si aliquis sit æger redundans sanguine, vt verbi gratia ratione copiæ, libras quatuor sanguinis euacuare debeamus, si tunc euacuemus lib. quinque hoc maxime nocebit: si verò duas tantum euacuemus libras, hoc non erit in causa nocumenti, eò quod reliquum sanguinis inedia, frictione, vel alio simili auxilio poterit euacuari, poteritquè etiam rursus vena secari: ideo melius est citra subsistere, quam vltra progredi in venæ sectione, Ideo Auicena cognoscens hoc in cap. præsenti dicit; *Dimittatur in phlebothomia quantum possibile est*, idest extrahatur sanguis in minima quantitate, quantum fieri potest. Noluit his verbis significare Auicena dimittendam esse venæ sectionem, nam statim subdit, *& multiplicatio numeri magis conuenit, quam multiplicatio quantitatis*, idest si ratione plenitudinis euacuandus sit sanguis in magna quantitate, melius est hāc quantitatem partiri, quam vnica vice extrahere, sed diuersimodè pro diuersis febribus est occurrendum. Vnde in febribus intermittentibus non est sanguis eo modo

In feb. putridis non euacuandū vsq; ad animi deliquium.

Auic. locus declaratur.

Quantitas sanguinis euacuandi in febribus.

Quantitas discreta.

do euacuandus, quo in continuis; in continuis enim poteſt euacuari ſanguis ad vnc. 8. vſque ad 12. in continētibus uero ad vnc. 16. uel 18. Gal. in febre continenti euacuat ſanguinem uſque ad animi deliquium, quod tamen periculoſum eſt, & ideo vicibus ſupplere licèt. Quo ad quantitatem diſcretã Gal. lib. curatiuo cap. 14. dicit, *ſi morbus eſt valde vehemens, ſi vires ſint robuſtæ, ſi ætas eſt florẽs, licet vnica vice ſangninem euacuare; ſin minus vicibus ſupplere oportet*. Vnde Galenus loco citato dicit, ſi periculum ſit de angina oportunum eſt venã ſecare non ſemel tantum, ſed & repetitis vicibus, quod non videtur rationi conſonum; Angina enim non ne eſt morbus ſanguineus, & acutiſſimus? Hoc dicit Galenus quoniam reſpexit uim plenitudinis; Plenitudo autem indicans venæ ſectionem, eſt plenitudo uehemens; vehemens inquam, eò quod vel actu efficit, vel poteſtatem efficere poteſt morbum vehementem: At plenitudo, quæ actu efficit morbum, hæc eſt magis vehemens. Propterea Gal. loquens de angina imminenti, loquitur de plenitudine imminẽti, quæ quidẽ non ita inſignis eſt, vti ſi actu cauſaret anginam: Quare veſtrum erit modo ſemel tantummodo ſępius venam ſecare. Idem dicendum eſt de tempore; tunc enim ſecanda eſt vena, quando adeſt præſentiã indicantis, & nullũ adeſt prohibens; tunc autem adeſt præſentia indicantis, quando adeſt plenitudo, quæ, quò vehementior erit, eò etiam magis feſtinandum eſſe indicabit. Ideo Hippocrates primo Aph. tertio vbi aderat periculum ſuffocationis caloris naturalis, vel ruptionis vaſorum, iubet ſtatim ſecandam eſſe uenam, & mittendum eſſe ſanguinem. Vnde hic explicandum eſt, id, quod poteſt eſſe in cauſa, vt venæ ſectio differatur: & ſi nil adfuerit, quod huius ſit in cauſa ex Galeno 10. meth. 2. inter initia febris vena eſt ſecanda: Nam etiam ſi liceat venam ſecare, quando adeſt indicans, & adeſt prohibens; tamen ſi venę ſectio differatur, febris reddet vires imbeciliores. Sed quæ nam ſunt ea, quæ poſſunt, non dico prohibere tantum, uerum etiam trahere ad ſe curationem, vt non poſſit eò tempore ſecari vena? Gal. 9. meth. quinto ait in venæ ſectione oportere conſiderare, quæ antecedunt, & quæ prohibent. De prohibentibus egimus ſupra. Per antecedentia verò intelligit Galenus ea, quæ indicant, ut prius occurunt, quam vena ſecetur, & ſunt ea, quæ habent rationem cauſæ ſine qua non, & rationem vrgentis; non autem ea, quæ habent rationem cauſæ efficientis, ſunt conſideranda; ſed non ne conſiderandum etiam eſt id, quod habet rationem cauſæ efficientis? vtique, ſed tamen id in præſentia non debet conſiderari, propterea quòd indicans eſt cauſa ipſa efficiens, nempe plenitudo. Quod habet rationem cauſæ ſine qua non, proponitur a Galeno 9. meth. quinto, Item 11. meth. 14. & hoc eſt cruditas. Per cruditatem non oportet intelligere humores excrementitios, ſed cruditatem ciborum, & materiæ exiſtentis in primis ductibus; cruditas enim, quæ ſumitur pro cacochymia non habet rationem cauſæ ſine qua non: immo ubi adeſt plenitudo notha, vt neceſſe ſit, & purgare corpus, & euacuare ſanguinem, tunc prius euacuandus eſt ſanguis: ideò cruditas hęc non habet rationẽ cauſæ ſine qua non. At cruditas ciborum habet quidem rationem cauſæ ſine qua non, ex Galeno quarto de tuen. ual. 5. nam ſi voluerimus prius ſecare venam, quam purgare, cum in ſectione venæ materia moueatur à centro ad circumferentiam, venæ inaniuntur, unde inanitæ replentur deinde cruditatibus, & ita creſcunt obſtructiones. Quare in primis aluum lenire, deinde verò uenam ſecare oportet. Nec Auicena quarta primi cap. 20. huic aduerſatur dicens, in

Inſtantia.

Solutio.

Gal. locus explicatur.

Temp⁹ ſecãdi venam.

Prohibentia venæ ſectionem.

Antecedẽtia ſunt duplicia

Cur habens rationẽ cauſę efficientis non ſit conſiderandum.

Per cruditatem quid intelligendũ.

in venæ ſectione non expectandam eſſe maturationem, vt in purgatione, eò quod per concoctionem non intelligit concoctionem materiæ cibalis, de qua loquutus eſt Galenus loco citato; ſed intelligit coctionem ſanguinis, vt ſignificet non ita eſſe concoquendum ſanguinem, vti ſuccus crudus.

Animaduertendum autem ex Auicena 4. primi cap. 20. aliquando aliquod eſſe tempus ſecandi venam, vt res prohibitoria non prohibeat: per quæ verba ipſe voluit ſignificare opus eſſe, cum perpendimus inuicem indicantia, conſiderare amplius poſſit indicans, verbi gratia, cruditas cibalis; interdum enim ex Auicena neceſſarium eſt tempus ſectionis venæ, vt cruditas non poſſit tantum, quantum poteſt plenitudo. Quod dupliciter poteſt contingere, vel ſilicet inter initia febris, quando febris erit ſumma, & ſumma etiam erit vis plenitudinis, vt non det inducias, tunc plus poteſt vis plenitudinis, quam vis cruditatis. Vel quando contingit, vt colligi poteſt, ex Gal. lib. curat. cap. 20. quod medicus non ſit accerſitus niſi poſt quintam diem; ſi in ſexta, vel ſeptima die accederit ad ægrotantem illico debetis ſecare venam, præſertim quia melius fuiſſet antea hoc feciſſe.

Explicatio loci Auic.

Plenitudinẽ plus poſſe, q̃ cruditatem dupliciter poteſt contingẽre.

Præterea conſiderare oportet, quod habet rationem vrgentis ex Galeno primo ad Glauc. 14. & ſunt ſymptomata, quæ lædunt vires vel immediatè, vel per medium morbum. Vnde ſi vigiliæ ſint immoderatæ, primò conciliandus eſt ſomnus, deinde verò ſecanda eſt vena, ſi verò malè ſe habeat os ventriculi, primò ori ventriculi eſt occurendum. Ecce os ventriculi male affectum eſt, hoc antecedens, quod non habet rationem cauſæ ſine qua non, ſed vrgẽtis, eſt indicans vitale, cuius quidem ſumma eſt vis. Huiuſmodi etiam ſunt dolores, vnde dicit Gal. loco citato immodicos dolores non poſſe ſubitas, immo dicaſq; euacuationes perferre; ideò Auicena quarta primi cap. 20. dicit, quã do euacuare volueris primò ſedda dolorem.

Symptomata dupliciter lædunt.

Sed his aduerſari videtur Galenus primo Aph. 23. vbi habet. In maximis doloribus nullum maius præſidium eſſe, quam euacuare vſque ad animi defectum. Dicendum, quod ſymptoma vehemens poteſt dupliciter conſiderari, vno modo vt ſymptoma non mitigetur iiſdem auxilijs, quibus tollitur morbus: Altero modo, vt ſymptoma remoueatur ad remotionem cauſæ morbificæ. Si ſymptoma primo modo ſumatur, tunc habet rationem vrgentis, eò quod non tollitur illis remedijs, quibus tollitur cauſa morbifica; ideo primò ſymptomati eſt occurrendum cum Galeno primo ad Glauc. 14. & cum Auicena cap. citato: ſi ſymptoma conſideretur ſecundo modo, tunc non poteſt habere rationem vrgentis, ex Gal. 12. meth. primo, verbi gratia in pleuritide dolor ille inſignis per venam ſectam mitigatur, quoniam euacuatur materia q̃ ſoluit continuum, & hoc modo loquebatur Galenus primo Aph. 23.

Cõtradictio Galeni.

Conciliatio. Symptoma dupliciter capi poteſt.

Præterea ſciendum, cum dictum ſit ſecandam eſſe venam, pluribus ne vicibus, an eadem die, an diuerſis diebus hoc ſit agendum; nam quando ſecatur vena vnica vice, nullum dubium eſt, eligendam eſſe eam diem, in qua virtus minus affligitur, & proinde non ſecãdam eſſe venam in die paroxiſmi. Quòd ſi vena pluribus vicibus ſit ſecanda Gal. lib. curat. cap. 21. dicit repetitæ detractionis ſanguinis tempus in ſimplici euacuatione fieri debere eadem die; ratione verò reuulſionis non modo eadem die, ſed etiam tranſactis duobus diebus venæ ſectionem eſſe repetendam. Quid innuit Galenus his verbis? ſi plenitudo eſt vehementior, tunc oportet eadem die venæ ſectionem repetere, & ſi poſſet vna tantum vice ſatisfieri neceſſitati, hoc eſſet melius. Quò igitur

Dies ſecandi venam.

De repetita venæ ſectione.

Galeni locus explicat.

tur vehementior est plenitudo, eò etiam frequentiorem indicat repetitionem sectionis venæ; si verò plenitudo cadat ab hac vehementia, tunc licèt repetere venæ sectionem post duos dies. Ideo dicit Galenus si institutum solum sit euacuare, eadem die oportet venam secare, quoniam adest plenitudo totius, quæ indicat auxilium simplex euacuatorium: à plenitudine verò partis indicatur auxilium euacuatorium, reuulsorium; At plus potest plenitudo totius, quam plenitudo partis; ideo dicit Galenus si volueris simpliciter euacuare, idest cum adest plenitudo totius, eadem die est repetenda venę sectio, si volueris reuellere sufficit, vt repetatur venæ sectio post duos dies. Sed animaduertatis sermonem esse de plenitudine totius tantum, & de plenitudinę partis tãtum, & ideo loquitur de simplici euacuatione, & reuulsione; quare in pleuritide eadem die debetis venam secare. At dicet aliquis talis sanguinis missio est ne reuulsio? Dico illam non simplicem esse reuulsionem; sed etiam esse euacuationem.

Instantia: Responsio.

Quo ad horam, hæc simpliciter desumitur ex præsentia indicantis, atq; ex absentia impedire potentis venę sectionem. Quare respiciendum est id, quod habet rationem causæ sine qua non, & hoc est cibus incoctus; Vnde optimi practicantes venam secant per horam vnam, vel alteram ante cibum, vt cibus ante assumptus iam sit concoctus.

Hora secãdi uenam.

Vtrum autem venæ sectio fieri debeat noctę, vel die, mane, vel vesperi, de hoc non potest hora haberi determinata. Vnde Galenus lib. curat. capit. 21. iurè improbat secantes venam solum a secunda hora diei vsque ad quintam, licèt enim quacunque hora venam secare, nisi tamen quid impediat: optimũ tamen est eligere horam illam, in qua uirtus minus affligitur, quæ quidem hora est in interuallo in febribus intermittentibus; in continuis uerò proportionatis in remissione accessionis. Si uerò sit synochus seruans eundem tenorẽ, tunc considerandum, quæ nam sit hora diei, in qua æger facilius sustinet febrem (quod quidem solet esse difficile) tuncq; secari debet uena, uerbi gratia tempore æstatis, æger horis calidioribus solet magis affici febre; ideo tunc eligenda est hora tepidior diei ad secandam uenam. Nec obstat dictum Auicenæ, quando in prima quarti cap. 33. dicit, uenam esse secandam in statu ægritudinis, eò quod, si aliter fiet, humores agitabuntur, & agitati inuicem confundentur, materiæq; excrementitiæ confundentur cum alimentalibus, & difficilius natura segregabit bonum à malo. Intelligatis Auicenam, quòd is per statum non intelligat quartum tempus uniuersale morbi, nec particulare accessionis, sed materiam quietam, ad differentiam materiæ mobilis, ut specificet secandam esse uenam in hora quietis. Nec Paulus lib. 3. capit. 14. huic aduersatur, qui dicit in melancholiæ vigore secandam esse uenam; per uigorẽ enim intelligit melancholiam uehementem. Ideòq; insinuat plenitudinem ualidam.

Vena secãda noctæ uel diæ? Mane an vesperi?

Venã secaræ melius est in ea hora in qua virtus minus affligitur.

Obięctio.

Responsio: Explicatio loci Auic.

Pauli locus explicatur.

Quò ad modum animaduertendum, an foramen fieri debeat uenæ latum, an angustum. Hoc autem docebit modus substantiæ plenitudinis; si.n. plenitudo fuerit materiæ tenuioris, angustum fiat foramen, si uerò sit materiæ crassioris, foramen fiat latius. Quare in febribus biliosis foramen fiat angustũ, in pituitosis latius, in febribus uerò melancholicis adhuc multo latius fiat. In hoc tamen uires consulatis; nam quanto ualidiores erunt uires, tanto etiã latius coindicabunt foramen. Præterea animaduertendum etiam, quòd ęger non sedeat, sed decumbat, & hoc ne in animi deliquium incidat, in quo quidem

modus secandi venam.

dem sedendo incideret, nisi esset admodum robustus; quare in febribus impe randum est, vt omnino decumbat.

Postremo cognoscendus est locus secandus, & cum sermo fiat de febre, locus potest dupliciter considerari; vel enim febris fit vitio alicuius partis determinatæ vel non: Si consideremus febrẽ secundo modo, cũ sit morbus totius, propterea totum est respiciendum, cum autem affectio principalis ressidet circa cor, licet solida cordis substantia non sit in calefacto esse, tamẽ ratione causæ efficientis, principalis noxa est in humoribus cordis. Vnde fuit Gal. sententia lib. curat. cap. 12. & 21. & in 4. de tuen. val. 4. animaduertendum esse, an vitium sit in capite, an in thorace, an in iecore; si. n. sit vitium in capite, aperiẽda est cephalica, si verò sit circa iecur, vel thoracẽ, basilicã aperire oportet. Quare cum febris sit morbus totius; origo autem ipsius sit circa cor, & iecur; ideo optimè faciunt practicantes, qui basilicam dextri lateris aperiunt. Animaduertendum tamen dixisse Gal. loco citato, si contingat venam iecorariam nõ apparere, media, quæ dicitur communis, aperiri potest, qua nec ipsa apparẽte pertundenda est cephalica. At si febris oriatur ex parte aliqua determinata quid agendũ? Hic animaduertendũ diligenter, an aperiatur vena gratia reuulsionis, an verò gratia deriuationis, nã dicit Gal. 9. meth. 11. auxilium reuulsoriũ est, qñ trahimus materiã peccantẽ in contrariã partẽ, deriuatoriũ verò, qñ ad latera partis affectæ ipsam euacuamus: Si igitur sermo fiat de reuulsione, verbi gratia in febre putrida ex suppressis mensibus, tũc secare oportet venas inferiores, sursum. n. ascendit materia, q̃ oportet ad inferiora deducere. Sed cognoscendũ est, quæ nã inferior vena sit secanda, dextera ne, an sinistra; & hic sciendũ est an plus possit membrũ mandans, an membrũ recipiens. Dicẽdum plus posse membrũ mandans; ꝙ exemplis declaro: vbi sit febris putrida ex suppressione mensium, tunc animaduertendũ, an vterus afficiatur ęqualiter, an verò inęqualiter; ęqualiter autem afficitur vterus cũ secundũ dexterã, & sinistrã partem ęqualiter afficitur; inęqualiter verò dicitur affici, qñ afficitur secundũ vnam tñ partẽ, vnde qñq; mulieres secundũ vnam tñ partem vteri conquæruntur: si inęqualis sit affectio, membrũ recipiens plus põt. Vnde in febre putrida, si ęqualiter afficiatur vterus, dextrã saphenã secetis; respiciendum. n. est iecur. Si contingat, ꝙ ob supprę̃ssos menses tumidus fiat lien, tũc sinistra saphena debet secari; seruãda. n. est rectitudo, & plus etiã põt pars recipiens, qñ vterus est ęqualiter affectus, si autẽ inęqualiter affectus sit, v. g. secundum partẽ dextrã tñ, & lien intumescat, saphena dextra est aperienda; seruanda est. n. rectitudo ratione mãdantis: hoc aũt verum est vbi sermo fit de reuulsione vnius tñ partis, v. g. si sit febris ex supprę̃ssis mẽsibus, ita vt affectio sit in dextra vteri, & in dextra capitis, tunc ratione vteri secanda est vena dextri cruris; ratione verò capitis oportet aperire venas sinistræ partis capitis, verbi gratia venas sinistræ naris, temporis sinistri, post aurem sinistram, reuulsio namque fieri debet per opposita. Hæc de reuulsione.

Quod attinet ad deriuationẽ: ex Gal. 11. methodi 9. in deriuatione euacuatẽ materia per partes propinquas. Quare si sit febris ex suppræssis mensibus fieri potest deriuatio aperiendo hemorrhoides; aperiendo etiam venas coxæ, & potissimum scarificando. Vtrum verò aperieda sit potius vena dextri lateris, ꝙ sinistri, an econtra, ex eo cognoscemus, nam si uitium sit æquale, tunc licet per quamlibet partem sanguinem euacuare, siue sit recipiens, siue sit mittẽs; Nam si, verbi gratia, totum corpus doleat, indifferenter venæ vtriusq; lateris

Locus secandus.

De Reuulsione.

An plus possit membrũ mandans an recipiens in indicationibus.

Vterus ęqualiter & inæqualiter afficitur.

De deriuatione.

possunt aperiri: si dolor sit in dextra parte, secandæ sunt venæ dextræ partis ad differentiam reuulsionis. Quid statuendum est de Vena Saluatella? Gal. lib. curatiuo cap. 14. uidetur quidem hanc venam paruifacere; non tamẽ omnino improbat. At Auic. & reliqui probant huius venę sectionẽ. Per sectionem huius venæ non euacuatur sanguis in tanta copia, quanta euacuatur ex sectione aliarũ venarũ; Vnde in progressu febris, qñ vires nõ sunt ita robustæ, expedit hãc venã aꝑire, & potissimũ in quartana: & hæc satis sint de sectione venæ.

De Saluatella.

DE CVCVRBITVLIS.

Quantum spectat ad cucurbitulas scarificatas, cognoscẽdum est an his vti liceat in febribus putridis, & pro sectione uenę, & propria ratione, quorũ vtrũque, vt percipiatur, scarificationis vis est explicanda. Aetius igitur Paulus, & reliqui, per scarificationem cucurbitulas tantũ scarificatas intelligunt: Gal. verò 4. de tuẽ. valet. 4. vult scarificationẽ tantundẽ posse, quantũ pôt venæ sectio: ideo idẽ 4. meth. 10. dicit. *Quotiescunq; opus erit euacuare, vel venã secabis vel scarificabis*. Præterea idẽ lib. curatiuo c. 11. ait: *Cum plenitudo est ex suppræssis mensibus, vel venam secabis, vel partẽ illæsam scarificabis*. Gal. ergo sæpius scarificatione vtitur pro venæ sectione, qm̃ ęque potest scarificatio, atq; venæ sectio. Sed aduertendum, quid voluerit significare cum dixit scarificationẽ tantundem posse, quãtum potest venæ sectio, hoc. n. absolutè intellectum est falsissimum. Hoc itaq; voluit significare Gal. quod quemadmodum per venæ sectionẽ euacuat totum, ita etiam per scarificationem idem euacuatur: multo tamẽ euacuatur velocius sanguis per venam sectam, quã per cucurbitulas scarificatas. Vnde Gal. significans scarificationem accedere ad venę sectionem secundo Aphor. 17. dicit. *In redundantia sanguinis secandam esse venam, cui proximè accedit scarificatio*. Ideo scarificatio tantundem potest, quantum venæ sectio, qm̃ euacuat totum, non tamen omnibus modis tantundem valet, eò quod accedit tantũ ad hoc, vt fiat ęqualis euacuatio totius; exquisitissima verò euacuatio fit per sectionem venæ. Vnde Auicena cap. 20. de phlebotomia, & cap. 21. de cucurbitulis voluit cucurbitulas esse vicarias sectionis venæ.

Scarificatio quid.

Scarificationem tantum posse quantũ venæ sectionem secundum Gal.

Gal. locus explicatur.

Sed adhuc aduertendum, qm̃ videtur esse difficultas ex Gal. lib. de cucurbitulis & hirudinibus vbi habetur nos vti interdum hirudinibus loco cucurbitularum; ergo sicut hirudines non euacuant totum, ita nec cucurbitulæ illud euacuant, præsertim quoniam Auic. in 4. primi cap. 22. vult magis à profundo fieri euacuationem per hirudines, quam per cucurbitulas scarificatas. Dicendum ꝙ cucurbitulæ dupliciter considerantur, vel vt totum, vel vt partem euacuare possunt. Cucurbitulas posse totum euacuare 4. de tuenda val. 4. & 10. testatur Gal. non. n. adeo euacuarent, ac venæ sectio. Quod autem possit etiã capi, pro ut partẽ tm̃ euacuant, colligitur ex Gal. lib. de hirudinibus; cum inquit *cum applicantur hirudines, oportet vt modico tempore detineantur, ut sanguis in pauca copia exeat, & cum amouentur si sanguis erumpat, oportet vti adstringentibus*, quibus in verbis (vt patet) loquitur Gal. de hirudinibus gratia euacuationis partis tm̃: nam cum vtimur hirudinibus pro euacuatione totius, postq̃ ceciderunt ꝑmittimus exire sanguinem ad vntias sex, vsq; ad decem. Sed adhuc ex Gal. lib. curatiuo cap. 19. oritur difficultas dum dicit, si fuerit dolor coxẽdicus, & aperiat vena poplitis, patiens hinc euidẽs percipiet adiumentum: Si verò secet vena malleoli, non adeò insignem sentiet vtilitatem: at si adhibeatur scarificatio nullum sensibile quidem capiet fructum. Quomodo igitur tantundem potest; quantum venæ sectio, scarificationis vsus?

Dubitatio circa cucurbitulas.

Solutio. Cucurbitulę dupliciter capi possunt.

Dubitatio 2.

Aduer-

Aduertendum sermonem ibi esse de dolore coxendico, qui originem duxit ex venis sanguine repletis; & sermonẽ etiã esse de dolore, qui quã celerrimè debeat tolli; hinc fit vt ex secta vena poplitis ęger maximum consequatur cõmodum, quoniam cum pars affecta sit proxima, celerrimè fit euacuatio, & ideo celerius etiam mitigatur dolor: tardius autem sedatur si aperiatur vena malleoli: multo adhuc tardius ex scarificatione æger euidens percipit fructum. Ideo non absolute ibi loquitur Galenus de euacuatione, sed de deriuatione. Solutio.

Gal. locus declaratur.

Accedit alia difficultas, quoniam si scarificatio ad venæ accedit sectionẽ, ergo per eam non modo sanguis subtilis, sed etiam crassus euacuabitur: At fuit sententia Auicenæ 4. primi cap. 21. per cucurbitulas scarificatas euacuari sanguinem tenuem, ita vt si redundet sanguis crassus ac subtilis, remaneat crassus, & subtilis tantum extrahatur. Et in hoc videtur Auicena concors cum Galeno lib. curatiuo cap. 21. vbi præcipit secandam esse venã in suppręssis mensibus, si redundabit sanguis crassus; scarificandum verò esse si redundabit tenuis. Dicendum, scarificationem commodè euacuare tantum sãguinem tenuem; præterea eandem etiam commodè euacuare sanguinem tenuem & crassum. Primum proponitur a Gal. loco citato, & etiam ab Auicena, quoniam scarificatio fit in partibus extimis, nec foramina ibi sunt tam ampla, vt possit sanguis crassus euacuari; sed vterq; per eam euacuatur, si cũ sanguis erit crassior non eodem modo, quo quando est tenuis, scarificatione vtemur. Vnde aduertendum quod sicuti scarificatio quandoq; partẽ, quandoq; etiam totum euacuat, ita etiam euacuat aliquando sanguinem tenuem tantũ, aliquando crassum tantum: nã si applicetur cucurbitula nec foramina sint ꝓfunda, nec numerosa, si scarificatio non repetatur, hęc partem tantum euacuabit: at si foramina fiãt mediocriter profunda, numerosa, & sæpius repetantur, certè scarificatio hæc euacuabit etiam totum. A simili dicendum est de scarificatione, quòd possit sanguinem modo tenuẽ, modo crassum euacuare; sanguinem enim tenuem tantum euacuabit, si citra fomentum adhibeatur; sed si ante applicationem cucurbitalarum foueatis partem spongea infusa in aqua tepida, tunc non tenuis tantum, sed etiam crassus sanguis euacuabitur; sic enim fundetur sanguis. Ideo Auicena cap. 22. licet dicat, scarificationem educere sanguinem tantum tenuem, subdit tamen, ipsam euacuare etiam sanguinem crassum, sed oportet balneare. Ideo nec valet quod adducit contra ex Gal. lib. curatiuo cap. 10. qm̃ cum dicit in suppræssis mensibus, si sãguis est tenuis, scarificatione; si verò est crassus, opus est venæ sectione, non tñ ob id est inferendum, ergo hęc scarificatio non educit materiam crassam; similiter etiam dicendum modo est, venæ sectio educit sanguinem tenuem, ergo non educit sanguinem crassum.

Dubitatio 3.

Solutio.

Scarificatio quando partem, quando totum quando tenuem, & quando crassum euacuat sanguinem.

Reiectio argumenti ex Galeno.

Vnde colligendum, differre inter se auxilia hæc, & etiam conuenire: conueniunt, eò quod ope vtriusq; põt totum euacuari: discrepant deinde, quoniam venæ sectio est auxilium validum; scarificatio autem est auxilium debile. Vnde in hoc scarificatio non proximè accedit ad venę sectionem; maximè. n. differt auxilium validum à debili; sed proximè ad illam accedit in hoc, quòd ipsa ita potest totum euacuare quemadmodum venæ sectio. Secundò discrepant, quoniam per sectionem venæ citra omnem præparationem potest euacuari sanguis tum tenuis, tum crassus: per scarificationem verò sine præparatione, tenuis tm̃. Tertiò differũt etiam, qm̃ ex Auic. c. 22. per scarificationem,

Quo conseñtiant & dissẽtiant scarificatio & venę sectio.

Differentia prima.

Secunda.

Tertia.

cutis citius mundatur, quam per venæ sectionem, nisi repetatur, vt supra diximus ex Gal. 4. de tuen. valet: penultimo.

Vtrum in febre putrida liceat pro sectione venæ vti scarificatione.

His ita constitutis, non est modo ita difficile descendere ad principale institutum, an silicet in febre putrida pro sectione venæ liceat vti scarificatione. Dicimus itaq; venæ sectionem indicari a plenitudine insigni, & à virtute valida: quare si plenitudo non sit adeò insignis, nec ita valentes sint vires, tunc loco sectionis venæ expedit vti cucurbitulis scarificatis. Ideò Oribasius 4. coll. 19. respiciens virtutem tanquam omnium aliorum reginam, ita dicit, *Non probo, vt sæpe numero vena aperiatur; nam per eam spiritus vitalis copiosus exit: Vnde vires imbecilliores redduntur. Quare optimum est*, inquit, *vt loco sectionis venæ vtamur scarificatione*. In febre itaq; putrida, in qua cito vires dissipantur quæ quidem considerari debent, prout etiam in futurum possunt esse debiles, saluberrimum est pro sectione venæ vti scarificatione.

Oribasij locus.

De quantitate.

Quod spectat ad quantitatem sanguinis mittendi, cōfugiatis ad iam dicta; Per scarificationem tamen non credatis copiosum sanguinem posse edduci. Nā Oribasius cap. 20. dicit, sanguinē in magna pestilentia fuisse eductum. Idē etiā ego quotidie experior. Idem est dicendū de tempore extrahendi sanguinē, quod dictum fuit de tēpore sectionis venæ, cuius loco vtimur scarificatione. Quò ad modum, hic etiā patet ex dictis; Si. n. peccabit sanguis crassus, tūc fouendæ erunt partes, & si crura scarificabuntur, balneo etiam vtendum erit, secus autem est agendum, vbi sanguis est tenuis, vt in febribus biliosis.

Oribasij locus.

De tempore

De modo.

De loco.

Quò ad locum statuimus pessimum esse applicare cucurbitulas dorso. Fundamentum huius veritatis desumitur ex Galeno lib. curatiuo capit. 18. vbi habetur: Si accidat, vt aliqua pars determinata sit affecta, non est tutum indifferenter euacuare, sed procul ab ea parte euacuandum est. Ideo dicit Galenus in morbis podagricis per venam cubiti oportet sanguinem euacuare, in vertigine verò, & in morbis capitis, per partes inferiores. Sed præterea Galenus 11. meth. 17. ait: Si fuerit inflāmatio in pectore, pulmone, optimum est extra euocare appositis cucurbitulis prius tamen toto euacuato; nam si ante totius euacuationem eas applicabimus, magis replebimus pulmonem, & pectus: quod non modo de non scarificatis, sed etiam de scarificatis cucurbitulis est intelligendum; quoniam ab his insignis fit agitatio, maiorquè repletio, quam euacuatio. Vnde febris, licet sit morbus totius, causam tamē principalem habet in thorace; quoniam non pōt esse febris, nisi humores cordis ponantur in calefacto esse: ideo non licet per thoracem euacuare. Dico igitur oportere crura scarificare ex Oribasio 7. coll. cap. 19. & 20. vbi dicit, *Cum non sit ita tutum venam secare, loco sectionis venæ optimum est moliri scarificationem, quæ fit per partes ignobilissimas*.

Oribasij loc⁹ & opinio.

Aetij opinio

Quare expedit crura scarificare, vt fecit ille in magna pestilentia. Aetius & ipse idem sentit cap. proprio, huiusquè rationem reddit. Restat modo, vt ostendamus idem sensisse & Auicenam, & Galenum.

Auic. opinio & verba declarantur.

Auicena itaque quarta primi cap. 22. dicit *ventosas scarificatas cruribus applicatas appropinquare minutioni*. Per minutionem autem intelligit plenitudinis per venam sectam; vnde cucurbitulæ cruribus affixæ appropinquant sectioni venæ, idest sunt vicariæ sectionis venæ, vt consideratur hoc auxilium pro minutione copiæ. Et quoniam cognouit, nos interdum non posse affigere cucurbitulas cruribus, vt quando quorundam crura male afficiuntur; vel podagra, vel aliquo alio pter naturam affectu, quo in casu crura debilia reddunt̄ p scarifica-

ficationem, ideòq; non conuenit tunc tibias scarificare, ob id dicit. *Et vento sæ quoque natibus appositæ totum euacuant, & caput.* Quare Auicena non admittit cucurbiculas supra renes. Sed non credatis sententiam esse Anicenæ cucurbitulas dorso esse affigendas, quoniam ipse in hoc cap. dicit ventosas appositas super alcaim, idest inter spatulas vicem gerere sectionis basilicæ: per basilicam euacuatur totum, ergo etiam per has cucurbitulas euacuabitur, ergo in febribus expedit cucurbitulas dorso applicare. Si ita intelligeretur Auic. ipse nullo modo posset à contradictione vindicari; dicit enim cucurbitulas cruribus appositas accedere ad minutionem, cuius ratione totum euacuatur; quod dicit etiam de ijsdem natibus affixis. Quando autem ait cucurbitulas positas inter spatulas idem præstare, quod præstat sectio basilicæ, tunc ibi loquitur de inflammatione pectoris: et quando vitium est in pectore & secamus basilicam, per sectionem basilicæ intelligit auxilium tantum deriuãs; quo etiam fit, vt in pleuritide per sectam venam cubiti minuatur dolor; quia tunc euacuatur per deriuationem: quare Auicena non loquitur de auxilio euacuante totum, sed deriuante: Ideo ratione deriuationis cucurbitulę spatulis adhibitæ conueniunt. In præsentia autem sermo est de auxilio euacuante totum, de quo loquitur Auicena quando dicit cucurbitulas scarificatas in cruribus appropinquare minutioni. Quare in malis pectoris, cum contingat vti cucurbitulis scarificatis in dorso; nunquam tamen his vti licèt, nisi totum prius sit euacuatum, atqui totum non euacuatur per cucurbilas in dorso; hæ enim non faciunt id, quod facit sectio basilicæ ratione euacuationis, sed ratione tantum deriuationis: et in hoc est similitudo inter illas. Quod proponit etiam Galenus secundo Aph. 17. Vbi dicit *plenitudine existente euacuãdum esse totum vel sectione venæ, vel auxilio, quod ad hanc proximè accedit: nempè tibiarum scarificatione.* Præterea Galenus quarto de tuenda Val. quarto dicit, *Cum institutum est euacuare totum, vel venam secabis, vel id efficies, quod tantundem præstet. Vt si hemorrhoides sint occlusæ, ipsæ aperiantur: si menses sint suppressi, ipsi prouocentur: si nil horum fuerit loco sectionis venæ malleolos scarificabis.* Postremo Galenus quarto de tuen. val. 10. ait. *In redundantia sanguinis vel venã secabis, vel malleolos scarificabis:* Quare pessimum esse puto applicare cucurbitulas dorso; ex his enim sic applicitis fit, vt miseri ægrotantes, vel interficiantur, vel certè in maxima vitæ discrimina deducantur. Experientia vos comprobabitis, quãtæ sit vtilitatis scarificare crura, vt supra malleolos, in poplitæ, in partibus illis ignobilibus. Quod si sermo fiat de cucurbitulis appositis post uenæ sectionem, hoc potest euenire dupliciter vno modo, quoniam corpus non est exactè inanitum per venæ sectionem; interdum enim ægri ferunt quidem sanguinis missionem, sed in pauca tamen quantitate, & iurè quandoque non ferunt reiterationem sectionis venæ; quo in casu supplendum est cucurbitulis: & hæ, quæ supplent loco minutionis sunt dictis partibus applicãdæ. Altero modo scarificatione vtimur pro euacuatione nõ totius, sed partis: vt verbi gratia caput afficiatur dolore & appareant exanthemata, tunc non improbo, quòd cucurbitulæ dorso applicentur; Immo verò si cruribus applicarentur vel tardum, vel nullum adferrent auxilium. Quare apparentibus exanthematibus expedit dorso, & toti dorso cucurbitulas affigere, toto tamen prius euacuato, & illæ tunc plus possunt, quam venæ sectio: nam ex Galeno quarto de tuen. val. penultimo scarificatio magis mundificat cutim, quam venæ sectio; immo aliqñ licet eas affigere fronti, pro diuersitate symptomatum.

Auic. locus explicatur.

Cucurbitulę nullo modo sunt dorso affigendæ.

Duplici de causa adhibẽtur cucurbitulæ post sectionẽ venæ.

Quandò liceat cucurbitulas dorso applicare. cur in exanthematibus plus possit scarificatio q̃ uenę sectio.

DE HIRVDINIBVS.

Hirudinum usus duplex.

Quantum ad hirudines, de his loqui licèt gratia euacuationis vel totius, vel partis: totius quidem, vt quando hemorrhoides sunt occlusæ, tunc sunt aperiendæ; ex Galeno enim quarto de tuen. val. quarto hoc tantundem pôt, quantum venæ sectio, attamen est auxilium debile: quare vel folijs ficus, vel panno aspero venæ illæ sunt aperiendæ, vel illis etiam apponendæ sunt hirudines. Quod si euacuatio hæc non sit suppræssa, pro euacuatione totius non erit absurdum, si hemorrhoidibus applicentur hirudines, & in puerili ætate, in qua non licet vti venæ sectione, optimum erit applicare hirudines venis cubiti; sic enim fit euacuatio sensim, & sine uirium iactura. Si verò loquamur de hirudinibus, vt partem respiciunt; pars est consideranda uel ut incipit repleri, vel vt est repleta, verbi gratia in febre cum caput iam incipit repleri, tunc hemorrhoidibus licèt hirudines admouere. Si pars repleta sit, tunc illæ possunt apponi venis narium, temporum frontis. Id unum obseruandum est, in administratione hirudinum, vt tepida diligenter foueatur locus, quò sanguis etiam crassus educatur. Aduertendumquè, quoniam hirudines exugunt potius bonum sanguinem, quam malum, ne expectetur, quod ipsæ saturentur, sed amoueantur, vbi primum impetum sanguini dederint; deinde verò fouendo locum licet euacuare.

De hirudinib. pro euacuatione totius.

De hirudinib* partē respicientibus

Obseruandū in administratione hirudinum.

PHARMACIA.

Pharmacia à quibus indicetur.

Succedit deinde pharmacia, quod auxilium ad differentiam alimenti indicatur à re pręter naturam & coindicatur a re secūdum naturam: Cum igitur indicatur à re pręter naturam, & sermo nūc sit de febre putrida, ideo pharmacia indicari debet tum à febre, tum a causa febris; Si consideremus causam febris, uel est materia, vel causa materiæ, si est materia, hæc est, uel proxima, vel remota, per remotam materiam intelligo remotam respectu febris, quæ nil aliud est, quam materia excrementitia cibalis, quæ remanet in ventriculo, in meseraicis, in intestinis, & ab hac indicatur auxilium leniens; Si verò materia sit proxima hæc est, excrementitia, & cruda; unde quatenus cruda indicat auxilium concoquens; quatenus verò excrementitia indicat auxiliū purgans; Si autem consideremus causam materiæ, hæc est causa interna. i. intemperies partis à qua sumitur indicatio, ut in febre pituitosa, cum generatur pituita à ventriculo frigido, ideo indicat auxilium calefaciens; in genere autem indicat auxilium alterans: ratione verò febris indicatur auxilium refrigerans, & humectans: quare ratione febris agendum est de medicamentis, nimirum leniente, præparante, purgante & alterante. Quò ad leniens, hoc est triplex, nempè vomitorium, clystere, seu suppositorium, & vulgo vocatum lenitiuum. Hæc autem inde oriuntur, quoniam superfluitas hæc cibalis reperitur, vel in ventriculo, uel in meseraicis, vel in intestinis. Si reperiatur in ventriculo, & potissimum in parte superiori, indicat lenitionem faciendam esse per vomitorium. Si autem sit in intestinis, & præcipuè crassis, tunc per clysteria, aut suppositoria est leniendum: Si verò sit in fundo ventriculi, uel in mesenterio, uel in intestinis superioribus, tunc lenire oportet medicamento per os sumendo, quod propriè leniens nūcupatur.

Materia est duplex, & qd ab vtraq; indicetur.

Causa materiæ est intēperies, & quę indicationes ab ipsa desumantur.

Leniens triplex & cuiuslibet necessitas.

Vnde

Vnde quo ad vomitorium, iubet Auicena esse desistendum à vomitorijs va *Vomitoriũ.*
lidioribus, quoniam institutum non est, euacuare totum, sed materiam, quæ
habet rationem causæ sine qua non, ex qua possunt augeri obstructiones; In *Vomitoriũ duplex.*
praxi autem hoc obseruetis, dandum esse vomitorium modo moderatissimũ,
modo mediocre; moderatissimum quidem in superfluitatibus biliosis, capia-
tis exẽpli gratia iuris pulli, vel aquæ hordeaceæ vnc. 10. syrupi acetosi simpl.
vnc. 1. ſ. misce pro uomitorio, Mediocre verò parari poterit ex iuris pulli te-
pidi vnc. 10. oxym. simplicis, succi raphani anna vnc. 1. misce. Quo ad tem- *Tempus.*
pus exhibendi vomitoria, hæc sunt danda quam primum, quoniam quando
adest hæc superfluitas, habet rationem indicantis, & est causa sine qua non.
Aduertendum tamen vt ea eligatur hora, in qua vomitus fiat minima cum *Hora.*
difficultate: Præterea ex Auicena vomitus die potius est prouocandus quam *Dies.*
nocte; per vomitum enim motus fit à centro ad circunferentiam; & quoniam
in die ob febris vehementiam interdum non licet vomitorium exhibere, ideò
si nocte sit exhibendum, reddatur aer lucidus igne. Tempore calidiori hora
diei minus calida; tempora verò frigidiori hora minus frigida eligatur.

Præterea ex primò de rat. vict. 45. colligitur vtendum esse clysterijs, vbi vi- *De Clysterijs.*
res sunt adhuc robustæ; cùm enim ipsæ sunt imbecilliores, suppositorijs vti
oportet: Vtroque autem remedio vtendum est, ratione materiæ existentis in
intestinis crassis: Parentur autem clysteria aliquando ex leuioribus, aliquan
do ex mediocribus, nunquam ex acrioribus, quoniam scopus est lenire tantũ.
Vnde si materia sit biliosa, si febris sit insignis, in qua renes exardescant, &
iecur, optimum est etiam ab his sumere indicationes, vt non tantum ex leuio
ribus, sed & ex contemperantibus feruorem sint paranda clysteria, vt si ca- *Clysteris exẽplum.*
piatur aquæ hordeaceæ lib. 1. zuccari rubri vnc. 1. ſ. olei communis vnc. 4. Vi
tellum oui num. 1. salis scrop. 1. misce pro clysteri; Et si mordax sit materia, ni
hil salis imponatur. Nonnulli pro oleo communi imponunt oleum violaceũ,
quod nec ego improbo. Sed quoniam interdum euenit, vt necessarium sit vti
compluribus clysteribus, ideò non decet, vt tantum pecuniæ consumatur;
potest enim haberi decoctum refrigerans ex diuersis. Sed aduertendum in
habentibus intestina debilia pro aqua hordeacea vtendum esse iure; Quod
si superfluitates sint viscidiores, poterit parari clyster ex furfuribus, mercuria
li, oleo etiam camomellino, et pro zuccaro addere mel. rosi. vnc. ij. elletua-
rij lenitiui vnc. ſ. olei communis vnc. 3. Vitellum oui num. 1. salis scrop. ij. mi-
sce. Vnde dosis communis totius clysteris ascendit vsque ad vnc. 18. aliquã *Dosis cõis clysteris.*
do tamen in maiori quantitate sumitur, pro uaria corporum magnitudine.
Quo ad tempus, tunc vtendum est clysteribus quando adest præsentia indi- *Tempus.*
cantis, & nullum adest prohibens: nam quando superfluitates erunt in inte-
stinis, hoc vtendum est auxilio, nisi quid impediat, & in quocunque tempo-
pore vniuersali, quod dico ad differentiã temporis particularis; nam, vt mo-
net Auic. in tempore accessionis non est vtendum clysteribus, quoniam vis
materiæ causantis accessionem hoc prohibet; non quidem ratione ipsius ma
teriæ, sed ratione ipsius virtutis, quæ tunc adeò affligitur, vt ferre non possit
euacuationem. Sed quia patientes interdum maximè affliguntur in regione
uentris inferioris, vt non sit possibile expectare desinere accessionem,
ideo cogimur tunc vti clysteribus, quoniam materia illa habet rationem vr-
gentis, ita vt periculum sit ne subsequatur syncopis. Sed vt conseruetis vi-
res, imperetis, ne ægri surgant. Si verò nõ liceat uti clysteribus, tũc vtendum *Suppositoria*
erit

Lenientia per os.

erit suppositorijs, quę fiunt ex melle syncero, vel melle cum modico salis, vel tempore hiemis suppositorijs ex butiro cum zuccaro & sale, vel coriãdris ex saccaro rubro.

Quò ad lenientia per os danda, hæc respiciant vel tenues, vel crassas, vel viscidas materias superfluas: Pro tenuibus conueniunt manna, syrupus ros. sol. & Tamarindi. Aduertendum tamen, quod manna ob sui dulcedinem facilè bilescit; ideoq; in febribus biliosis ipsam cum decocto aliquo refrigerante diluatis. Quò ad tamarindos, falsum est hos adstringere; pingues enim sunt & dulces non autem accidi; ideò Mesue cap. de Mirobolanis dicit; Si volumus corrigere mirobalanos, ne adstringant, miscere oportet lenientia, vt violas, cassiam, Tamarindos, ponit hic tamarindos inter lenientia. Nec tamarindi censendi sunt adstringentes, eò quod vomitum adstringant propterea quod id faciunt propter sui frigiditatem: Pro crassis, ueluti pituitosæ sunt, conuenit mel ros. sol. si sint salsæ. Sunt & species hyeræ, quibus tamen non est vtendum nisi febris sit remissa, & oportet etiam eas miscere cũ cassia: Est & cassia, quæ potest educere tenues, crassasquè superfluitates. In febricitantibus certè flos cassiæ mirè prodest; non enim calefacit, nec siccat, sed potius humectat: omniumquè humorum superfluitates educere potest. Aliqui interdum non ferunt cassiam, eò quod flatus excitat: Ideò practicantes solent anisum, vel fęniculum ratione flatuum cum cassia miscere: Non est tamen præter rationem si detur cassia, potissimum quando febres sunt insignes; sed tunc cauendum est ab aniso, & huiusmodi calidis, dandaquè est cassia diluta cum succo vel endiuiæ, uel acetosæ, & præsertim si immineat febris maligna cum succo acetosæ; quod habetur ex Rasi 9. ad Almansorem cap. 83. licet hoc non ita sit in usu. Vnde flos cassiæ transmittendus est per cribrum: per quem etiam transmittere oportet succum vel endiuiæ, vel acetosę. deinde oportet vtrunque simul coquere, redigereque ad formam mediocriter consistentem, vt vel in bolo, vel in potione sumi possit; per decoctionem enim tollitur flatulentia cassiæ. Probatur etiam syrupus ex Mercuriali solutiuus, qui eodem prorsus modo fit, quo fieri solet syrupus ros. sol. Et sicut habetis mel ros. sol. ita etiam habere potestis mel ex Melcuriali sol. quo quidem dummodo febris non sit ita intensa, nec superfluitates sint pituitosæ, licet vti; fuit enim sententia Dioscoridis, hoc medicamentum esse in vsu pro lubricanda aluo; & probatur etiam hoc a Galeno 7. de simpl. med. Nec dubitandum est de hoc medicamento ratione caliditatis suæ, eò quod est medicamentum calidum & siccum in primo tantum gradu: sed caliditas hæc potest etiam minui absque imminutione lubricitatis, si, dum parabitis decoctionem ex mercuriali, simul immisceatis attriplicem, quæ est frigida, & humida, & potest ẽt dilui hoc medicamentum cum decocto refrigerante. Eccell. Cesar Caprilius cariss. frater meus, & ego iussimus syrupum parari, & continuo paratũ apud seplasiarios seruari ex pluribus infusionibus violarum quo vsi fuimus & vtor in febribus biliosis & ardentibus, tum in potu exibendo pro lenitiuo, tum etiã in clismatibus summa cum conferentia & tolerantia.

Manna bilescit.

Tamarindi non adstringunt.

Mel rosatũ.

Species hyeræ.

Cassia.

Modus præparandi florem cassie.

Syrupus de Mercuriali solutiuus.

Hæc itaque medicamenta, mea quidem sententia, magis sunt probanda q̃ electuaria, quam electuarium. s. lenitiuum, electuarium de sebesten completũ, seu incompletum: Hæc improbantur potius, eò quod si sint completa, recipiunt electiuè educentia, quibus non semper vtendum est in principio: si verò non sint completa, recipiũt diuretica, & præsertim electuariũ de sebesten,

quibus

Doſis lenientium.

quibus non ſemper vti licet in principio. Quò ad quantitatem lenientium, Manna datur ad vnc.3.& etiam ad vnc.4.Caſſia autem datur ad vnc.1. ſ. Syrupi verò dicti dantur ad vnc.5.vel ad vnc.6.Quò ad quantitatem diſcretam, ſi febris ſit breuis, ſufficit dare lenientia vnica vice; At ſi febris ſit diuturna, oportet dare illa pluribus vicibus. Non exhibeatis uos vigintiquinte vel triginta ſyrupos in febribus, ſicut faciunt aliqui in quartana; oportet enim prębere aliquando lenientia, eò quod in febribus diuturnis aggregantur excrementa; quare tunc indicatur leniens; non enim ſemper ſufficiunt clyſteria.

Improbatur longus vſus ſyruporum.

Quò ad modum exhibendi, facile quidem eſt ſcire, ſyrupos dandos eſſe in forma liquida: caſſiam verò in liquida, & ſolida. At hoc notatu dignum eſt, aniſum, vel fęniculum, vbi miſcenda ſunt cum caſſia, eſſe ruditer contundenda, & hoc ex Galeno 4.de tuen.valet.7. vbi iubet hoc eſſe obſeruandum in cõpoſitione omnium medicamentorum: Vnde quando intentio noſtra eſt, qđ medicamẽtum deducatur ad partes remotas, illud in tenuiſſimum puluerem redigatur, veluti confici debet Diacalamentum. Quod ſi ſcopus ſit, vt medicamentum conſiſtat circa iecur, tunc ipſum craſſo modo contundendum eſt: Vnde mirum non eſt (dicit Galenus) ſi aliquis cum aſſumpſerit Diaſpoliticon copioſum reddit lotium, cum tamen ex hoc medicamento aluus moueatur. Sed cauſa eſt, quoniam medicamentum paratum eſt ex ſimplicibus ad ſummũ puluerizatis, Ideo Meſue in vniuerſalibꝰ c.4.de caſſia, de hyſſopo: Et Auicena lib.2.tract.primo capit.5.dicunt, medicinam per inſignem triturationem mutare naturam, ita vt, ſi ſit leniens fiat diuretica. Quare nõ miſceatis vos cum caſſia puluerem aniſorum, vel aliorum, quando vultis aluum ſubducere, ſed miſceatis illa craſſo modo contuſa. Sed aduertendum Meſ. cap.de mirobalanis dixiſſe, quod quotieſcunque propoſitum noſtrum eſt efficere medicamentum maxime adſtringere, oportet illud ad ſummum puluerizare, vt ratione tenuitatis permeet, & penetrando longinquas etiam partes adſtringat. Quare in praxi quando lenire volueritis, exhibendo caſſiam, cum illa pulueres non miſceatis: Ideo errant practicantes, qui cum lenientibus capitalia, cordiali aquè miſcent; hoc enim non eſt inſtitutum noſtrum, ſed ſcopus noſter eſt lenire tantum aluum.

Aniſum & fęniculum quãdo ſunt ruditercontundẽda, & quãdo puluerizãda quando cum caſſia miſcẽtur.

Meſue & Auic. locus.

Practicantiũ error.

Tempus.

Quò ad tempus, tunc vti oportet lenientibus, quando adeſt pręſentia indicantis: quare his eſt quam primum vtendum, quoniam habent rationem cauſæ ſine qua non. Aduertendum tamen, pleuritidem aliquando adeo validam, & vrgentem eſſe, quæ indicat venæ ſectionem; vt primum ſecari vena deinde vero leniens dari debeat; Vnde in febribus vehementiſsimis, in quibus maxime vrget plenitudo, illico ſecanda eſt vena: ſecunda verò die exhiberi poteſt leniens; interdum tamen datur prius leniens, eò quod plus poteſt cauſa ſine qua non.

Quando venę ſectio pręcedat lenitionem.

Hora.

Quò ad horam, obſeruandum eſt in lenientibus quæ poſſunt verti in alimẽtum, vt hæc nullo modo dentur per quatuor, vel quinque horas ante cibum, ſecus eſt dicendum de reliquis.

His ſuccedunt concoquentia: Hæc indicantur à materia excrementitia, quæ cruda eſt, ſed quid nam indicat hæc materia? Vt vos diſcatis rectè formare receptas, neceſſarium eſt nos aliquantiſper circa concoctionem digredi; vt cognoſcatis an eodẽ modo concoquenda ſit materia alimentalis, quo concoqui debet excrementia; an concoctio verè attribui poſſit materiæ excrementitiæ: Sed hæc ſcire non poteſtis, niſi confugiatis ad Ariſt.4.metheorũ.

Præparatio. materię alimentalis an eodem modo ſit concoquenda quo excrementitia.

Primum

Digressio circà concoctionê.

Primum itaquè sciendum necessarium fuisse pro mundi cõseruatione, vt quęcunque in hoc mundo reperiuntur, non modo orirentur, interirentquè, sed vt etiam conseruarenter: Quare sicuti gratia ortus necessaria fuit generatio: gratia verò interitus corruptio; ita ratione conseruationis necessaria fuit concoctio. Vnde vt concoctio maximè conducit ad conseruationem; ita cruditas maximè valet ad corruptionem.

Dubitatio. Solutio.

At dicet quis: non ne sufficiebat elixatio? Nequaquam, quoniam indiuiduum, quod conseruatur, oportet per ætates pertransire; pro diuersitate ergo ætatum necesse fuit, vt concoctio interdum per elixationem fieret, veluti in puerili ætate: interdum verò per assationem veluti in ætate consistenti; in senio enim præcipue progresso fieri potius incipiunt cruditates, quam exactę coctiones. Vnde vt rectè intelligatis, quid sit horum vnumquodq; sciendum est in primis, quid sit concoctio, quo cognito noueritis etiam formare receptas syruporum.

Concoctio quid, & eius definitionis explicatio.

Arist. loco citato dicit *concoctionem esse perfectionem ex oppositis passiuis, à naturali, & proprio calore*: Concoctio est *perfectio*, eò quod quicquid concoquitur, perficitur; ante enim concoctionem nec simile poterat sibi simile generare, nec alere: Est deinde *ex oppositis passiuis*: quoniam antequam concoquatur aliquid, habet maximam oppositionem; non tamen est quodlibet oppositum; sed opposita intelligi debent ea, quæ sunt ita disposita, vt possint pati. *A calore naturali, & proprio*. Diximus supra in sermone de putredine: calorem naturalem esse illum, qui regitur à forma dante esse. Per *proprium* intelligimus calorem illum, qui est proprius partis; & in concoctione vterque concurrit; Vnde 3. de symp. caus. 2. dicit Gal. si contingat, vt sanguis sit pituitosus, caro generatur pituitosa, sed ibi subdit Gal. se hoc dixisse, quoniam aliud est dicere carnem, & aliud carnem pituitosam; per carnem enim carnis formam intelligimus, quæ fit à forma regente calorem naturalem: caro autem pituitosa fit, quia calor proprius partis mutatur: mutatur autem a sanguine pituitoso: Concoctio igitur est perfectio ex oppositis passiuis à calore naturali, & proprio: Cum autẽ oppositorum oppositæ sint rationes, ideo Arist. loco citato dicit fieri cruditatem propter indigentiam propriæ caliditatis; Non læditur calor naturalis, quia non potest lædi, nisi in corruptione; Forma enim non suscipit magis, nec minus. Hinc facilè patet, quomodo maturatio est perfectio seminis in pericarpio: nam si maturatio est speties concoctionis, ergo est perfectio à calore naturali, & proprio ex oppositis passiuis, sed est maturatio ad differentiam elixationis, & assationis, quoniam elixatio est perfectio alimenti, non seminis: Ideo diximus maturationem esse perfectionem seminis, quia dirigitur ad conseruationem seminis in pericarpio: Per pericarpium intelligimus, non modo illud, quod ambit semen in fructibus, verum etiam id, quod ambit semen in animalibus. Quod hoc sit verum, probo: Sit semen in testibus, semenquè hoc concoquatur, quæ nam concoctio est hæc? non potest dici assatio, nec elixatio, quia semen non conuertitur in substantiam partis, sed semen, quod perfectum est, dirigitur ad conseruationem speciei; ergo si semini existenti in animalibus competit speties concoctionis, quæ dicitur maturatio, cur per pericarpium intelligendum non est id, quod obducit semen? Quare hoc est etiam in animalibus.

Calor naturalis qui. Calor ꝓprius qui.

Caro simpliciter, & caro pituitosa differunt.

Maturatio q. d.

Pericarpium quid.

Elixatio q. d. Assatio q. d.

Elixatio autem est concoctio alimenti ad differentiam maturationis, à calore natiuo ad differentiam assationis, quæ est concoctio alimenti a calore

adscititio

adſcititio ex Ariſt. loco citato; dicit enim elixationem fieri à caliditate humida; calor enim naturalis ex Gal. primo Apho. 14. conſiſtit in ſubſtantia aerea, & aquea, & uiget præcipuè in pueritia: loquens verò de aſſatione Ariſtoteles dicit hanc fieri à calore ſicco alieno.

At ſi aſſatio eſt ſpeties concoctionis, quæ fit a calore naturali, & proprio, quomodo fit à calore ſicco alieno? Intelligatis aſſationem fieri à calore adſcititio, qui dicitur alienus ad differentiam caloris proprij. **Dubitatio.** **Solutio.**

Ex propoſitis itaq; conſtat, Maturationem eſſe perfectionem ſeminis in pericarpio: Elixationem autem eſſe perfectionem alimenti à calore natiuo: Aſſationem verò eſſe perfectionem alimenti à calore adſcititio, quem Ariſt. ſiccum vocat.

At dicet quiſpiam, cur Ariſtoteles proponit ratione & elixationes, & aſſationis calorem determinatum, nihil verò dicit, cum loquitur de maturatione, quam non dicit fieri à caliditate humida, nec a calore ſicco & alieno, ſed abſolute dicit eam eſſe perfectionem ſeminis in pericarpio? Quoniam Ariſt. cognouit perfectionem ſeminis fieri poſſe à calore natiuo, & ab adſcititio pro diuerſitate ætatum; in adoleſcentia enim fit à calore natiuo; in conſiſtenti verò fit à calore adſcititio: ideo, vt hoc inſinuaret Ariſt. ei ſatis fuit dicere, maturationem eſſe perfectionem ſeminis in pericarpio: Secus dicendũ erat de elixatione, quæ ita fit a caliditate natiua, vt non fiat a caliditate adſcititia: Aſſatio autem ita fit a calore alieno, vt non fiat a calore proprio. Ex his patet natura oppoſitorum aſſationi, maturationi, & elixationi: nam immaturitas fit, quando ſemen non perficitur, eò quod aliquis ſit deffectus in calore proprio. Qui nam eſt hic defectus? Cum fiat maturatio aliquando à calore natiuo, aliquando ab adſcititio; ideo vbi cognoueritis vitia vnius contrarij, cognoſcetis etiam vitia alterius. Motus oppoſitus aſſationi, qui dicitur inquinatio, fit ab immodica humiditate: vnde non modo deficit calor proprius, ſed redundat etiam humiditas, ex qua fit inquinatio: motus verò contrarius elixationi, qui dicitur torrefactio, fit a calore igneo febrili: vnde calor agens in alimentum non aſſat, ſed torrefacit, & inæqualiter agit in materiam illam, & ideo non poteſt conuerti in ſubſtantiam partis. **Dubitatio.** **Solutio in qua Ariſt. locus declaratur.** **Immaturitas.** **Inquinatio.** **Torrefactio.**

His ita propoſitis inquiramus modo, quæ nam concoctio accommodata ſit humori morbifico. Impoſſibile eſt, vt humori morbifico competat aliqua ex dictis concoctionibus, quia humor morbificus ea ratione concoquitur, vt cedat auxilio euacuanti, quare non concoquitur, vt generetur ſimilis humor, & ideo non maturatur, nec concoquitur, vt vertatur in alimentum, & ideo nec elixatur, nec aſſatur: Statuendum igitur eſt humori huic morbifico competere concoctionem quandam metaphoricam, ideſt habentem ſimilitudinẽ cum vera concoctione, ſed hæc tñ non eſt legitima concoctio. Aduertendum autem, quod noxius humor exigit concoctionem & præparationem: Præparatio verò eſt duplex, vna quæ reſpicit humorem excrementitium mixtum cum alimentali, altera quæ dirigitur ad materiam excrementitiam ſeiunctã ab alimentali. Per concoctionem igitur intelligimus, cum humor excrementitius aliquam acquirit perfectionem, vt non ſit ita malignus, non poteſt integram perfectionem acquirere, quia non poteſt verti in ſubſtantiam partis. Et fundamentum huius eſt, quoniam concoctio eſt perfectio ex oppoſitis paſſiuis: & ex his quidem oppoſitis, quæ poſſunt perfici; talis autem non poteſt eſſe materia excrementitia: Vnde cum materia excrementitia ſit miſta cum ali **Quæ concoctio competat humori morbifico.** **Præparatio duplex.**

mentali,

mentali, calor naturalis concoquit massam hanc mistam, & concoquendo separat bonum a malo, & in hac separatione vltimam tribuit perfectionem alimento; aliquam verò tribuit excrremento. Sed aduertendum, quod medici quando vocant concoctionem alimenti, quando videlicet massa in se continens alimentum, & excrementum continet in se multo maiorem copiam alimenti, quam excrementi, quandoque etiam appellant coctionem excrementi, quando.s.maior est excrementi quam alimenti copia; vtraque vocatur quidem coctio propriè tamen alimenti, metaphoricè verò excrementi dicitur coctio, quæ quidem coctio ex Galeno secundo prognosticorũ 23. incrassando procedit.

Præparatio cur necessaria sit.

Quod si sermo sit de præparatione, hæc est duplex; vna quidem in tempore segregationis boni à malo, de qua nunc fit sermo, quæ ea ratione fuit necessaria, vt excrementitius humor citius concoquatur: quare occurrendum est materiæ, quatenus resistit, ne ita facilè segregetur: hoc autem euenit materiæ merito qualitatis tum primæ, tum secundæ; primæ quidem, si materia sit calidior, vel frigidior, vel humidior, vel siccior; nam cum coctio fiat a calore naturali; ideo materia sui frigiditate resistit, sui etiam caliditate, & sic de reliquis. Ideo practicantes in febribus biliosis vtuntur syrupis refrigerantibus, & humectantibus, coctio tamen non fit à frigido, sed refrigerantibus vtũtur, vt contemperent caliditatem bilis, quæ contemperata cedat calori coquenti.

Cum coctio fiat a calore naturali, cur in coquendo quandoque vtimur refrigerantibus.

In coctione cur quandoque utimur calidis & siccis.

Præterea Auicena in febribus pituitosis pro præparatione vtitur calidis & siccis, vt excrementum citius separetur ab alimento: Impedimentum ratione qualitatis secundæ est immodica crassicies, tenuitasquè materiæ: ideo materia crassa est attenuanda; tenuis verò est incrassanda; coctio incrassando procedit, & tamen præparatio, quæ fit à natura, per attenuationem etiã procedit: quod apparet in cibis, qui commeduntur, & in cibis, qui in ventriculo attenuantur. Nos tamen nunc loquimur de materia excrementitia, ad quã respiciens Auicena in hoc capite dicit, in crassa equationem eius esse subtiliationem, in subtili verò incrassationem; sed sermo est, de præparatione q̃ eo fit tempore, quo natura segregat alimentum ab excremento, malum à bono; Si enim sermo fiat de secunda præparatione, quæ fit, quando humor morbificus est separatas ab alimento, hæc præparatio consistit in refrigeratione acris materiæ, in detersione viscidæ, & in attenuatione crassę; non autem in incrassatione; ideo primo Aph. 21. & 2. Aph. 9. sententia est Gal. humorẽ paratissimum ad euacuationem esse humorem tenuem.

Cur materia crassa est attenuanda, tenuis incrassanda.

Præparatio & prima & secunda quomodo fiat.

Quare si sermo fiat de prima præparatione, hæc interdum fit cum incrassantibus, at secunda nequaquam fit hoc modo, sed cum attenuantibus: cum attemperantibus autem fit si materia sit mordax, nam si talis materia non attemperetur subsequi possunt dysenteriæ.

Præparatio quõ sit faciẽda.

Attenuantibus & digerentibus quando est vtendum.

Aduertẽdum autem ex Galeno loco citato ita esse præparandam materiã, vt non modo præparetur illa, quæ debet expurgari, sed vt vincatur etiam ea, quæ obstruit meatus, qualis est crassa materia, ideo attenuantibus, & digerẽtibus est vtendum, Quare primo Aph. 22. Gal. non vtitur illa secunda pręparatione ratione materiæ turgentis, quæ est fluxilis, sed potius quia impedimẽtum esset in vijs: Patet ergo quomodo ad concoquendum, & præparandum materiam vtendum sit concoquentibus, præparantibusquè ratione & primę, & secundæ præparationis, vt aliqua pollere debeant qualitatibus primis, ali-

qua

quã verò secundis: Quare materia auxiliorum nunc est proponenda, quod tamen fieri non potest, quoniam diuersæ sunt auxiliorum materiæ pro diuersitatæ materiæ morbificæ. Ideo in singulis febribus concoquentes syrupos ꝓponemus, syrupos tamen quibus in omni febre vti licet sunt syrupus acetosus simplex, & oximel simplex; si enim consideremus vim syrupi acet.simpl. cum fiat ex aqua, aceto, & zuccaro, vim habet refrigerandi, attenuandi, ac detergendi. Nec est quod quis vereatur siccationem ratione aceti, eò quod fit ex aqua, & præterea potest etiam dilui cum decocto humectante, veluti cum decocto hordei: Nec timenda est eiusdem frigiditas, eò quod non insigniter refrigerat; præterea etiam quoniam calida possunt cum eo misceri: Quare in quacunque febre syrupus hic dari tuto potest: oximel simpl.loco sacchari recipit mel, nec ob id est syrupus calefaciẽs, nam 8.meth.4. dicit Gal.oximel solum valenter abstergere, & non obesse, idest non calefacere.

Syrupus acetosus simpl. & oximel simpl.in omni febre conueniunt, & eorum vires

Aduertatis tamen hos syrupos in aliquibus febribus non conuenire, vt si forte eueniat febricitantem vigilijs infestissimis irritari; tunc enim cauendũ est ab vtroque ratione aceti; item etiam si contingat, ęgrotantem habere intestina, quæ facile exulcerentur; tunc enim ex 3.de ratione victus 35.à recipiẽtibus acetum cauendum est.

Quando syrupus acetos⁹, & oximel nõ cõueniãt.

Differentia tamen est inter vsum horum syruporum. Nam si febris sit vehementior, tunc tutius est vti syrupo acet.simpl. contra verò si sit pituitosa, tuti⁹ est vti oximel.simpl. Debetis autem dare syrupos ad vnc.2. & decoctum his admiscere ad vnc.3.vel 4. hæc est enim dosis communis.

Differentia inter vsum syrupi acet.s. oxim.s.

Syruporum dosis.

Sed aduertendum, an adhibeantur syrupi ratione pręparationis primæ, an ratione præparationis secundæ; cęteris enim paribus exhibendi sunt syrupi in maiore dosi ratione secundæ præparationis, ideo Gal.primo Aphor.24.hãc præparationem respiciens, hoc modo exhibebat. Quare quod calidis facere non licet, ratione febris, id suppleatur quãtitate, ideo dentur syrupi ad vnc. 2.s.& decocta ad vnc.6.Ratio est, qm̃ vtitur secunda præparatione ratione materiæ excrementitię separatæ à bona, quæ quam primum est expurganda, qm̃ non gubernatur amplius à natura; quare ob vlteriorem moram periculum est ne putrescat, ideo copiosioribus valentioribusquè tunc vtendum est syrupis, cũ res ipsa exigit, & quando licet, & hæc de quantitate continua sufficiãt.

Obseruandũ circa syrupos exibendos.

Quò ad quantitatem discretam, modo plures, modo pauciores dandi sũt syrupi, pro vt morbi sunt vel diuturniores, vel breuiores, Quare vos pauciores exhibeatis syrupos in febribus biliosis; multo autem plures in febribus pituitosis, & melancholicis. Quò ad modum, aduertendum est, an syrupi dari debeant cum diluto, an sine diluto, qui modus ex situ partis affectæ, & ex cõsuetudine patientis indicatur. Ex situ partis si pars sit proxima, licet vti syrupis, absque diluto: si verò sit remota, tunc dilutum cum syrupo misceatur; vt diluti beneficio vis syrupi deducatur ad partes. Accedit etiam consuetudo ægrorum; quidam enim liquidiora non ferunt, sed assumpta illico vomitu reiciunt. Ideò ratione consuetudinis ægrorum syrupos detis sine decoctis. At si contingat, vt pars affecta sit cum materia, in loco distanti, & ratione consuetudinis non liceat dare decocta, tunc aliquid aliud est immiscendum pro vehiculo syruporum. Ideo optimi praticantes immiscent pulueres tenuissimæ substantiæ.

Syruporum numerus.

Modus.

Indicans modum quod nam sit.

Verum cum interdum liceat immiscere diluta, aduertatis hæc posse esse destillata, decocta, infusa; Quò ad destillata, hæc fieri possunt in vasæ plumbeo,

Dilutum duplex.

Destillata quõ fiant.

H sed

ſed peſſima ſunt, eò quod ſimplicia recipiunt malam vim plumbi. Apud aliquos deſtillatum fit in vaſe figulneo, quem modum ego non probo niſi forte ſit vitriatum. Præterea fit etiam in vaſe vitreo, qui modus mihi maxime probatur, & fit beneficio vel cineris, vel aquæ calentis, & vocatur deſtillatum in balneo Mariæ, quem modum præ cęteris commendo, & quoniam Ferrariæ non erant in vſu hæc vitrea vaſa, niſi in loco Sereniſſimi noſtri Ducis in quo inſtillant, ob id Excellentiſſimus Ceſar Caprilius ſenior, & magni nominis Medicus frater meus, & à me ſemper venerandus iuſſit multis ab hinc annis, vt Moniales Sancti Rochi haberent omnia iſta vaſa ex vitro parata. Idem ego apud Moniales Sanctæ Catherinæ Senenſis procuraui pro ciuitatis commodo, vt non tantum deſtillata, ſed & aquas ſemper pararent in vaſis vitreis.

Decocta.

Quò ad decocta: ego non probo decoctionem communem, vt quando capiuntur hordeum, endiuia, borrago, & ſimul deinde coquuntur; eſt enim hic peſſimus modus; aliqua enim eorum breuem, aliqua verò diuturnam exigunt decoctionem: vnde ſi eodem tempore miſceantur illa ſimul, quod facile coquitur euaporat, remanetquè vis terreſtris, in qua eſt vis potius adſtrictoria, quod eſt contrarium noſtro inſtituto: ideo optimè faciunt illi, qui primum imponunt in vas ſimplex illud, quod non ita facilè coquitur, deinde verò ex ordine alia quæ facilius coquuntur.

Modus bonus parandi decoctum. Infuſionis ratione medicamentum maxime aperit & penetrat ex Meſue.

Quare decoctio parari debet in duplici vaſe, obturato foramine vaſis, per octo vel decem horas, hæc eſt infuſio, quæ maximè probatur, nam ex ſententia Meſue cap. de Mirobalanis, medicamentum ratione infuſionis maximè penetrat & apperit. Hoc autem fit quando ſimplicia immituntur in aquam feruentem, ut permaneant ibi per decem vel duodecim horas, deinde fit expreſſio, & hac loco decoctionis vtimur, vt in febre biliosa ita poteſt præſcribi. Recipe foliorum endiuiæ, acetoſæ ana p. 1. aquæ hordeaceæ lib. 1. fiat infuſio ſecundum artem, deinde facta diligenti expreſſione, Recipe dictæ infuſ. vnc. 4. ſyruporum de ſucco endiuiæ, de ſucco acetoſæ ana dragmas 6. miſce.

Tempus dandi ſyrupos.

Quantum ad tempus dicimus, quòd quando agendum ſit deſumitur ex præſentia indicantis, & ex abſentia impedire potentis. Quare vbi præſens eſt materia cruda, toto hoc tempore vtendum eſt ſyrupis, vt ſat ſit aduertere antecedentia tantum, eò quod ſyrupi ſunt medicamenta leuiora, ita vt non poſſit adeſſe prohibens.

Quod ſi adſit febris peſtilens, uel alia febris in qua vires ſint debiles, licèt non adſit tempus opportunum exhibendi ſyrupos, eò quod ſępius eſt cibandum, tunc præparantia cum cibis miſceri poſſunt, antecedens autem ex Galeno 9. meth. 5. eſt aduertendum; eſt enim illud quod indicat vt ſibi primò occuratur.

In primis ergo eſt ſuperfluitas in primis ductibus: quare primum lenire, deinde præparare oportet. Præterea adeſt plenitudo, ideo oportet minuere prius quam dentur ſyrupi, & potiſſimum aperientes, & attenuantes.

Præterea poteſt eſſe materia excrementitia ſeparata à bona, & exactè præparata; hæc igitur eſt expurganda, vnde illa die non ſunt dandi ſyrupi, ſed oportet dare pharmacum, deinde ratione reſidui materiæ oportet dare ſyrupos: cogimur ergo intermittere meritò materiæ excrementitię ſeparatæ & pręparatæ; & tamen in omni morbo expectari debet totius materiæ concoctio.

Quò ad horam, dari debent syrupi concocto cibo; & ideo, vt colligitur ex Hipp.& Gal.3.de rat.vic.35. per horam vnam, vel alteram ante cibum. Sed dicetis, est ne aliquid, quod possit prohibere? respondemus vtiq;, nō quidē quò ad diem, quia certè nil est, quod diem prohibeat; quod enim vna die fieri non potest, potest fieri alia die: sed quò ad horam, quandoque.n.impeditur, vt in alia deinde hora id facere nequeamus.

Hora dandi syrupos.

Impedimenta autem sunt hæc, somnus, virtus, & accessio; Vt erit aliquis ęgrotans qui decimaoctaua hora corripitur febre hora decimaseptima huic expedit dare cibum, hora decima syrupum, si hic vigilauerit tota noctę, & hora decima dormiat, tunc nullo modo detur syrupus, sed sinatur dormire, hora decimatertia oportet dari cibus, superuenit accessio decimaoctaua hora; & prohibet exhibitionem syrupi; Primo.n.de rat.vic.4.habeẽ quod pedibus frigidis existentibus in principio accessionis nihil est exhibendum, progreditur accessio, declinat, in declinatione dari debet cibus; tunc enim non potest dari syrupus, idem dicendum est de auxilio, quod quidem auxilium respicit materiam excrementitiam, quæ quatenus fit à cacochymia, indicat auxiliũ purgans; quatenus verò est excrementitia, indicat auxilium eradicans. Hęc autem materia potest esse prædita vi insigni, vel debili, ad similitudinem plenitudinis: Vnde si materia est valida, validum indicat auxilium purgans: si verò sit debilis, debile indicat auxilium, & si hæc materia sit determinata, determinatum etiam auxilium indicat.

Impedimenta exhibitionis syruporũ

Cæterum materia hæc expurgari potest per plures vices; Vnde 11.meth.9. vult Gal.moliendam esse euacuationem per vomitum, per seccessum, per lotium, & per sudorem, quod est considerare, vbi agendum. Vnde igitur hoc habemus? Animaduertenda diligenter est materia excrementitia, an inclinet ad aliquam partem, an repletum sit totum, an verò aliqua pars. Si contingat materiam ad nullam inclinare partem, atque totum esse repletum, tunc considerandum, an materia hæc replens sit putrida nec ne, si sit putrida, est euacuanda per aluum, per lotium, per sudorem, non per vomitum ex Galeno loco citato: nam materia putrida, quando scilicet ad nullam partem inclinat, non debet euacuari per vomitum, hoc namque prohibet os ventriculi, & est indicans vitale, eo quod os ventriculi affectum, est in causa, vt præcipua pars lædatur.

De euacuatione quę est quadruplex.

Per quas vias euacuanda sit materia.

Materia putrida non est euacuãda ꝑ vomitum.

Quod si materia sit quidem excrementitia, non tamen putrida, tunc hanc oportet etiam per vomitum euacuare. Quod cognoscens Galenus primo ad Glauc.cap.de quartana respiciẽs materiam non putrefactam ascendit etiam ad veratrum album; Vnde locus illæ non aduersatur Galeno 11.meth.9.quoniam ibi loquitur de materia putrida.

Materia excrementitia non putrida pōt per vomitum euacuari.

Præterea si cõtingat quòd materia raptum habeat ad partem, siue putrida sit, siue non, tunc ipsa euacuari debet per eas partes, ad quas inclinat. Vnde hoc in casu Gal.loco citato admittit vomitum etiam materiæ excrementitiæ; ratione enim impetus, & inclinationis ipsius hoc facilius indicatur. Quod si consideremus vlterius: partes cutaneæ per sudorem indicant esse euacuãdũ: partes autem pertinentes ad renes, per lotium: partes verò pertinentes ad iecur, & intestina, per aluum.

Respondet tacitæ dubitationi.

Partes indicant viam euacuandi.

Sed præterea consideranda sunt prohibentia: nam si vlcus fuerit in uesica, nõ licet totum euacuare per lotium. Quò ad coindicantia ex 4. Aphor. 6. habetur, quod in gracilibus facilis est vomitus, & graciles intelliguntur ad diffe-

Prohibentia

Coindicãtia

rentiam obesorum; tabidi enim ex Hipp. nullam ferunt euacuationem; in quarto etiam Aphorismorum habetur estate per superiora, hyeme per inferiora euacuandum esse; Sed quæ est materia horum auxiliorum? Vomitoria proponemus in tractatione de febribus specificis. In præsentia verò tantum notandum est, quod si materia sit putrida, vti oportet vomitorio leuiori, si verò non sit putrida, vtendum est vomitorio valentissimo: nam materia putrida nunquam euacuanda est per vomitum, nisi raptum habeat ad ventriculum. Quò ad euacuans per aluum, de hoc etiam in sermone de febribus specificis agemus.

Vomitoria.

Euacuantia per aluum.

Sed aduertendum, si febris sit vehemens, abstinendum esse a soluentibus, præsertim si febris sit continens & id ratione caliditatis immensæ. Ideò Galenus 10. meth. 9. dicit vt fiat euacuatio per aluum, vtendum esse ptissana mulsaque, & si non fiat euacuatio ope harum vtendum esse clysteri ex mulsa & oleo, & hoc quia loquitur de febre continente.

Diuretica.

Quantum ad medicamenta quæ possunt mouere lotium, hæc non sunt eiusdem generis, nam ex Galeno quinto de sympt. med. 13. diuretica medicamenta debent sanguinem attenuare, fundere, serosamquè partem à crassa segregare, quorum nullum fieri potest sine valido calore, veluti est semen foeniculi, apij, petroselini, & huiusmodi, quæ sunt calida in tertio gradu tenuisquè substantiæ.

Verum præter hæc dantur diuretica, quæ id præstare possunt ex modo substantiæ, licet non sint calida, quoniam scilicet sunt tenuia, quoniam habent substantiam aquosam. Substantiæ tenuis diuretica sunt citrach, semina melonum, citruli, anguriæ. Prouocatur etiam lotium ab auxilio aquoso, vt est vinum aquosum, & aqua, quæ sanè id præstant, quia renes delectantur substantia aquosa: vnde substantia hæc cum allicitur à renibus secum fert materias ad renes, & ita per lotium fit euacuatio: Cum igitur tot esse possint diureticorum materiæ in febribus putridis, declarandum est, quibus sit vtẽdum. Galenus decimo meth. 9. probat non modo oximel, & fauum mellis, sed & radicem apij coctam in aqua. Vnde hic occurrit difficultas, nam Galenus 8. meth. 3. loquens de febribus, & obstructionibus, ad attenuandam materiam improbat mulsam cum apio, quoniam hoc medicamentum ita calefacit vti vinum; Quomodo igitur Galenus modo probat, modo improbat apium, præsertim quia 11. meth. 9. agit de febre putrida continente? Præterea iam audiuistis Galenum quinto de simpl. med. 13. dixisse apium esse calidum in tertio. Cui dubitationi dicendum est Galenum vndecimo meth. 9. proponere apium cum aqua, quæ refrigerat, 8. autem meth. 4. proponere apium cum mulsa, quæ calefacit. Sed prçterea 11. meth. 9. Gal. per apium intelligit radices apij: at 8. meth. 4. proponit apium ipsum. Cum itaq; proponatur apium, per hoc oportet intelligere partem apij magis actiuã nempè semina, Vnde Gal. 5. de simpl. med. 13. volens proponere diuretica calida in 3. gradu, proponit semen. Quare in febribus consulo, vt detis radices, non autem semina. Potuit ergo Gal. radices apij decoctas in aquis probasse. Sed dicet aliq̃s si reperiũtur diuretica calida, & ẽt frigida, cur Gal. nõ vtitur tantum frigidis?

Dubitatio.

Solutio.

Gal. locus declaratur.

Dubitatio de diureticis Solutio.

Ratio huius est, quoniam materia putrida omni modo est euacuanda; at frigida diuretica non sunt vsq; adeo valida, vt talẽ materiã sola possint euacuare; Ideò cum frigidis etiam calida sunt miscenda, veluti cum aqua radices apij miscere oportet. Vnde diureticum, quo licet uti in quacunque

febre

febre putrida, poterit præscribi hunc in modum. Recipe aquæ hordeaceæ lib. 1. ſ. foliorum citrach. p. 1. capillorum veneris viridium m. ſ. radicum petroſelini vnc. 1. ſ. fiat infuſio S. A. deinde facta diligenti expræſſione Rec. dictæ infuſ. vnc. 5. emulſionis ſeminum melonũ vnc. ij. ſyrupi acetoſi ſ. vnc. 1. miſce. Hoc diuretico vti licet in omni febre vel ardentiſſima.

Exemplum diuretici boni in omni febre.

Quo ad euacuantia per cutim, hæc ſunt duplicia impellentia. ſ. & attrahentia, impellentia, inquam, quæ habent vim etiam prouocandi lotium. Vnde aduertendum eſt idem medicamentum ciere modo lotium, modo ſudorem; prouocat autem lotium, quando cutis eſt denſa, renes ſunt calidi attrahẽtes, materia eſt calida, vel renes habent impetum circa illas partes: Quantum ad attrahentia à centro ad circonferentiam, hæc ſunt ea, quæ 11. meth. 9. proponuntur à Gal. veluti oleum camomellinum, lauacrum aquæ dulcis. Vnde non eſt, quod quis ſuſpicetur, in oleo eſſe viſciditatem, & proinde potius vim cohibendi; hoc enim eſt falſum, eò quod in oleis varia eſt vis. Ideo 8. meth. 2. dicit Galenus, Si quis incidat in febrem ob inunctionem olei adſtringentis, oportet oleo laxante vti. Probat igitur Auicena oleum camomelinum cum vino, ſed licet etiã vti oleo amygdalarũ dulciũ; & ſi febris eſſet inſignis, poſſetis etiam cum oleo miſcere aquam, quæ poteſt temperare feruorem febris. Sed ex Gal. 11. meth. 2. vbi habetur, ex balneo aquæ dulcis excitari dolores articulares, quoniam materia funditur, viæ laxantur; optimum eſt in febre, vt materia decũbat ad articulos, & ad partes ignobiliores, ſed aliqui ob dolores articulares, ob exquiſitum articulorum ſenſum, ita exſoluuntur, vt plus timendum ſit ratione doloris, quam ratione febris. Vnde ſi febris ſit periculoſa ægerq; facilè ſoleat dolores pati articulares, licet id facere; aliter verò id nequaquam eſt agendum.

Euacuantia per ſudorem Impellentia.

Quò ad vomitoria, de his idem eſt dicendum, quod dictum fuit de lenientibus. Aduertendum tamen vomitorium eſſe dandum in maiori quantitate, & pluribus vicibus, ſi materia ſit imputrida: ſecus autem res ſe habet, ſi materia ſit putrida, eò quod hæc, niſi raptum habeat, impetumq; ad ventriculũ, non eſt per vomitum euacuanda.

Vomitoria:

Quò ad euacuantia per aluum, quantum ad continuam quantitatem, de hac dicemus in tractatu de febribus in ſpecie. Quò ad quantitatem diſcretam, his medicamentis non ſemel tantum, ſed ſępius in febribus præcipuè pituitoſis, & melãcholicis vti oportet, per vices enim eſt materia & concoquenda, & euacuanda. Quò ad euacuantia per lotium, oportet vt hæc dentur in maiori copia quam ſyrupi præparantes, quare licèt dare hæc vſq; ad vnc. 8. Quò ad euacuantia per cutim, ſi ſermo fiat de impellentibus à centro ad circunferentiam, hæc in maiori quantitate, quam diuretica ſunt exhibenda: quoniam deducunt materiam per locos anguſtos, diſtanteſquè, & pluribus vicibus pro neceſſitate. Si ſermo fiat de attrahentibus, capiatur olei camomelini, olei amigd. dulcium, aquæ communis ana vnc. 1. ſ. & hoc inungatur totum corpus.

Quantitas euacuãtium per aluum & aliorum etiã

Quantum ad modum dicimus, quòd vomitoria debent eſſe iniucunda, vt facilius prouocent vomitum. Quò ad euacuantia per aluum, his & in potione, & in bolis vti licet in febribus putridis: non ita his vti licet in forma pilularum; medicamenta enim in forma pilularum data ſunt valida, etiam ſi dentur in pauca quantitate. Aduertendum tamen, ſi forte velitis dare pilulas, vt poſt has detis decoctum aliquod refrigerans veluti ex hordeo, ex endiuia,

Moduseorũdem.

Cur pilulæ non conueniant in febribus putridis.

Obſeruanda circa pilulas.

cuius ratione dissoluatur uis pilularum, remittaturquè earum caliditas, hòc ego didici ab Eccellentiss. ac viro grauissimo Nicolao Curtio; quod etiã Rondoletius in suo tractatu de febribus dicit: In febribus autem & pituitosis, & melancolicis, & etiam tertianis nothis conceduntur pilulę. Si sermo fiat de euacuantibus per lotium, iam audiuistis modum; si enim miscebitis cũ his pulueres, animaduertatis semper illos esse debere tenuissimos. Idem dicendum est de prouocantibus sudorem impellendo; hęc enim administrari debent moderatè fricando.

Diuretica.

Euacuantia per sudorem

Quò ad tempus, & primum quò ad vomitoria, & euacuantia per aluum, his vti oportet, quando adest præsentia indicantis, & nullum adest prohibẽs. Quò ad horam, sententia fuit Hipp. 2. de ratione victus 13. exhibendum esse medicamentum soluens ea hora, in qua non sit opus propinare cibum in media purgatione, quando silicet medicamẽtum operatur, ita vt dandum sit medicamentum per quinque vel sex horas ante cibum, vel immediatè ante cibum; vnde Hipp. loco citato post pharmacum electiuum illico offert cibum. Quid autem in praxi sit obseruandum, nõ est possibile determinare, nisi prius pateat causa, ob quam non expedit in media purgatione cibum dare. Sciendum itaque in exhibitione pharmaci opus esse exequi tria, primum vt medicamentum deducatur de potentia ad actum, secundum vt reducto medicamento de potentia ad actum, vis illius deducatur à centro ad circunferentiam, ad sedem humoris excrementitij, tertium vt fiat attractio humoris excrementitij à circunferentia ad centrum; medicamentum enim attrahit à circunferentia ad centrum. Hinc fit, quòd ventriculus aliquantulum laborat, dum medicamentum deducitur de potentia ad actum; magis verò affligitur, quando ad actum est deductum, quoniam iam agit; & magis adhuc patitur, quando materia attrahitur, & deducitur à circunferentia ad centrum, quod fit in tempore purgationis: in tanta itaque ventriculi afflictione nõ exhibendus est cibus, eò quod nocebit magis, quam iuuabit, quoniam ventriculus eum regulare non poterit.

Tempus exhibendi vomitoria & euacuantia. Hora.

In exhibitione pharmaci tria sunt necessaria.

Cur in media purgatione non sit cibandum.

Præterea cibus sui proprietate aduersaria proprietati medicamẽti, minuit medicamenti vim; qua imminuta non absoluetur, sed interturbabitur purgatio: quapropter in media purgatione non est exhibendus cibus. Quare medicamentum dari debet vel per sex horas ante cibum, vel immediate ante cibum, quod ex viribus cognoscetur; si enim vires sint robustæ, dandum erit per sex horas ante cibum: si verò vires id ferre nequeant, tunc cogunt, vt illico post medicamentum detur cibus, quoniam tunc non tantopere laborat vẽtriculus, sicuti laborat in media purgatione. Sed aduertendum, quoniam 2. de ratione vict. 13. dicit Gal. cum datur ptissana illico post pharmacum, huius beneficio portio medicamenti quæ potest remanere in via, in æsophago, remouetur per detersionem, præterea acris etiam medicamenti substantia contemperatur. Quare hoc auxilium non modo vires respicit, sed etiam prodest, eò quod temperat medicamentum, & ipsum extrudit ad infernas partes ne gulæ officiat. In praxi hoc seruetis, si vires sint ita validę, vt possint ferre inædiam, per sex horas ante cibum propinate medicamentum; si verò contingat vt ęgri gula lędatur ratione medicamenti, & vires sint validæ, non ptissanam, sed modicum aquæ hordeaceæ exhibeatis.

Medicamentum quando prope cibum & quando lõge a cibo sit dandum.

Ptissanæ vis post pharmacum.

Sed præterea cognoscendum est, an post medicamentum assumptum sit imperandus somnus; id autem cognoscentis hoc modo: si exhibeatur medicamentum

An liceat dormire post assumptum

camentum electiuum optimum est, vt æger illico post assumptionem dormiat per horam vnam, vel vnam, & mediam, deinde excitetur; oportet enim vt antequam medicamentum assumptum attrahat, ad actum reducatur, deducitur autem à ventriculi calore, qui per somnum concentratus citius ad actum perducitur; medicamento verò ad actum deducto æger debet vigilare, quando enim medicamentum est redactum ad actum, oportet huius vim à centro deduci ad circunferentiam, quod fit non per somnum, sed per vigiliam: quod si contingat, vt homo post assumptum medicamentum non possit dormire, ipse saltem quiescat: si verò propinetur medicamentum leniens, expedit etiã, vt homo post illius assumptionem dormiat, non tamen tantum quantum post assumptionem medicamenti ellectiuè purgantis, eò quod leniens facilius actuatur: Verum potest euenire, aliquem sumere cassiam ante cenam, & dormire tota nocte, quod non est inconueniens; si enim exhibeatur leniens, & statim ab eius assumptione comedatur, homo potest dormire, quoniam non est periculum, quod leniens vertatur in alimentum: quia licet tale medicamentum sit familiare, magis tamen familiaris est cibus, & ideo calor naturalis cõuertit cibum in alimentum, non autem cassiam: quare non improbandi sunt praticantes, qui cassiam exhibent ante cenam. medicamentum.

Diuretica sũt duplicia cibalia & medicamentosa.

Quò ad euacuantia per lotium, hæc sunt vel cibalia, vel medicinalia, per cibalia intelligo veluti semina melonum, radices petroselini, & huiusmodi alia, quæ ita sunt familiaria, vt ipsa etiam inter fercula locum habeant. Medicinalia diuretica sunt, vt betonica, citrach, & huiusmodi alia, quæ non habent tantam cum corpore nostro familiaritatem. Tempus vtendi diureticis, debet esse illud, in quo adsit præsentia indicantis, & nullum adsit prohibens: quare oportet diuretica exhibere post materiæ concoctionem; materiæ enim cruditas prohibet eorum exhibitionem, ideo Galenus primo ad Glauc. cap. de cura quotidianæ dicit, non vtendum esse diureticis valentibus, nisi post primos dies, & quando materia fuerit concocta: itaque cruditas materiæ cõcurrit tanquam causa sine qua non.

Tempus utẽdi diureticis

Hora.

Quò ad horam, exhiberi debet diureticum concocto cibo; & ideo cruditas cibi concurrit tanquam prohibens & causa sine qua non; si enim ventriculo cibis repleto diuretica exhibeantur, tunc, si fuerint cibalia, cibus supra cibum inconcoctum ponetur, quod non est faciendum: si verò fuerint medicinalia, hæc possunt cibum crudum distribuere per corpus; vnde fient obstructiones. Sed q̃ret aliquis an hęc diuretica sint vnà cum cibo, an seorsum ab illo exhibenda. Cui respondendum esse puto, quòd si sermo fiat de diureticis cibalibus, hæc tempore etiã cibi possunt dari, quia sunt amica naturæ, & detinentur in ventriculo propter amicitiam eo tempore, quo detinetur etiam ipsæ cibus: secus autem est dicendum de diureticis medicinalibus; hęc enim nequaquam simul cum cibis sunt danda; propterea quod cum non sint amica naturæ, quia non sunt calida, vbi deducta sunt de potentia ad actum, penetrant, & operantur, & secum possunt deducere cibum crudum, à quo postea fiunt obstructiones; Quare exhibeatis hæc per horas tres, vel quatuor ante cibum.

Modus.

Euacuantia per sudorem Tempus.

Quantum ad euacuantia per sudorem, hæc sunt in duplici differentia, vel enim sunt impellentia, uel attrahentia, de quibus cum supra egerimus, ne dicta reppetamus, de tempore tantum loquemur. Primum igitur impellentibus, deinde verò attrahentibus est vtendum, & prius vti oportet diureticis,

quam

quam sudorem euocantibus: quoniam lotium prouocantia respiciunt materias existentes in giba hepatis parte; sudorem verò euocantia respiciunt materias existentes in locis distantioribus, hoc est propè cutim; oportet autẽ prius materias proximas per lotium euacuare, alioquin sudorem euocantia impellendo à centro ad circonferentiam deducerent materias ad cutim, quæ promptius per lotium possunt euacuari, cum in giba hepatis parte contineãtur. Quare materia existens in giba hepatis prohibet, quo minus ita tutò liceat vti sudorem euocantibus, & ideo illa concurrit tanquam causa sine qua non: si autem conferamus inuicem sudorem euocantia, prius est impellentibus vtendum, quoniam hæc materiam attenuant, & attenuando euacuant per sudorem: at habentia vim attrahendi non attenuant materiam, sed attenuatam in vaporem conuertunt, & attrahunt à centro ad circunferentiã. Quare si quis primò vteretur attrahentibus, attraheretur materia à cẽtro ad circonferentiam non attenuata, & sic fierent obstructiones, & adstrictiones partium & proximarum & remotarum, quoniam materia non est præparata; quapropter prius vti oportet impellentibus, deinde verò vim attrahendi habentibus.

Dubitatio de attrahentib.

Sed difficultas est circa attrahentia, & potissimum circa balneum aquę dulcis, & inunctionem ex oleo camomelino, & alia huiusmodi, quandoquidẽ est sententia Galeni 8.meth. 3. non vtendum esse balneo, vbi adest grauedo, & destillatio, & licet ibi loquatur de ephemera, tamẽ nec ẽt his uti expedit, in febre putrida, immo in hac cũ catharo magis suspectꝰ est vsus balnei, q̃ in ephemera; ratio est, quoniam si non licet in ephemera, existente destillatione vti balneo, quoniam periculum est, ne ratione materiæ destillantis fiant obstructiones, & hac de causa ephemera transeat in febrem putridam; multo magis in febre putrida à balneo est cauendum, tum quia iam adsunt obstructiones, tum etiam quia periculum est, ne illæ augeantur ratione destillationis, & sic febris putrida periculosa, & pernitiosa euadat, & eò magis cum Galenus 11.meth.9.dicat, si febris magnitudo obstet; (obstat autem in febribus continuis) nec uino, nec lauacro, nec inunctione est vtendum. His tamen temporibus etiam in febribus vehementibus Medici in quarta, quinta, & sexta die, immo in primis diebus confugiunt ad inunctiones, & potissimum ad inunctionem Aetij, quæ fit ex oleo, aqua, & nitro, quæ inunctio est calidior, quam caliditas balnei aquæ dulcis, qua inunctione ego etiam sępe vsus fui: inquirendum igitur est an hoc rectè fiat, & quomodo ad hoc indicandum vel prohibendum destillatio, & magnitudo febris concurrant. Sciendum est itaque ex Galeno 9.meth.5. tunc agendum esse, quando nihil adsit vel prohibens vel antecedens: per prohibens autem intelligo id, quod prorsus prohibet, ita vt illud nunquam sit agendum, per antecedens verò intelligo illud, quod non absolutè prohibet, sed indicat, vt sibi primò occurratur, & hoc locum habet ex necessitate in complicatis affectibus, in quibus quid cũ quo, quid post quod, quid ante quod est cognoscendum, & hoc habet rationẽ uel causæ efficientis, & agentis; uel causæ sine qua non, uel vrgentis: hæc modo proposito nostro accommodemus: dicimus igitur quòd catharus concurrit non ut prohibens absolutè, sed vt antecedens, quatenus est causa sine qua non, quod sic ostendo; si catharus est crudus, non licet vti balneo, nam tunc materia cruda deducitur per corpus: in primis igitur oportet concoquere materiam destillationis, ex quo apparet quòd catharus concurrit

In affectibus complicatis quid sit considerandum.

vt

vt causa sine qua non, quia licèt in ipso non possimus tuto vti balneo, non tamen omnino prohibet illud, quoniam post coctionem materiæ destillationis, illo vti possumus: primo igitur occurrendum est cruditati, deinde vtendum est balneo.

Quò ad febrem, quoniam 11. meth. 9. proponit Galenus febris magnitudinem, quæ non reperitur in quacunque febre, non enim reperitur in intermittente, sed in continua tantum, quod verum esse patet, ex Galeno qui dicit vtendum esse lauacro, & inunctione, nisi obstet febris magnitudo: obstat autem in continuis, non semper quidem sed aliquando, quod colligitur ex eodem loco citato quoniã ibi loquitur de cura febrium continuarum putridarum, immo continentium in quibus materia putrescit in vasis magnis, dicit tamen Galenus vtendum esse lauacro, nisi obstet febris magnitudo: licet igitur febris magnitudo prohibeat, non est tamen prohibens absolutum, sed antecedens, quod indicat sibi primo occurrendum, deinde verò alteri; oportet enim primum mitigare feruorem febrium, deinde verò vti balneo, & inũctione; concurrit autem prohibens, sed vt antecedens & tanquam vrgens, non vt causa efficiens, neque vt causa sine qua non: itaque magnitudo febris ad differentiam destillationis concurrit tanquam vrgens, non vt causa sine qua non; magis enim vrget feruor febris, quam materia morbifica, quæ per cutim ope attrahentium est euacuanda: cum igitur magis vrgeat vis febris, respicientibus febris feruorem prius est vtendum.

Sed aucta potius videtur difficultas quoniam nõdum patet, cur in quarta, & in quinta die, quando insignis est febris, inunctione Aetij vtamur. Pro cuius rei declaratione dico, quod si aderit febris magnitudo, quæ habet rationem vrgentis, & indicat auxilium frigidum, hæc quidem prohibet balneum, & inunctionem: si uerò adsit materia morbifica venefica circa cutim vt quando apparent peticulæ, in his febribus vti debemus inunctione Aetij, non autem in alijs: Materia igitur venefica in partibus cutaneis, quatenus est morbifica, & residet circa cutim, indicat per illas partes euacuandam esse, ne ad partes interiores retrocedat, præterea si consideremus materiam, quatenus est maligna, hæc similiter indicat, & habet rationem vrgentis. Duo igitur hic vrgent, nempe febris magnitudo, quæ prohibet balneum, & inunctionẽ, & materia venefica, quæ indicat auxilium, cuius materia est inunctio. In quonam horum maior est vis? certè in materia venefica: quare prudentes medici vtrique vrgenti consulunt, vnde ratione materiæ veneficæ vtuntur inunctione, eò quod hæc maximè vrget, periculum enim est ne retrocedat: sed tamen nec propterea febris magnitudinem negligentes, huius ratione vtunt intus refrigerantibus.

Augetur. Dubitatio.

Solutio.

Quibus in febribus vti liceat inũctione Aetij.

Ad Gal. verò authoritatem, quod scilicet non vtatur inunctione, sed frigidis tantum, dicendum quod Gal. præcipuè respexit magnitudinem febris, quoniam ibi loquitur de febre putrida, non de pestilenti; nõ enim profitetur, nec profiteri potest in meth. medẽdi curationem vitiorum à proprietate, quæ non methodo, sed experientia remouentur, & ideo de febribus pestilentib⁹, vt pestilentes sunt non potest loqui, quare cum ibi loquatur de materia putrida sine venenositate, propterea rectè dicit plus posse febris magnitudinem.

Responsio ad locum Galeni & loci explicatio.

At nostro tempore in febribus malignis, quando redundat materia venenosa magis vrget hæc, quam febris feruor, ideo illi materiæ primò occurrendum est, non neglecta tamen febre, quare nulla remanet, difficultas.

Hora.

Quò ad horam, ex traditis patet, quomodò sit procedendum; nam si sermo fiat de impellentibus, de iis idem dicendum est, quod dictum fuit de diureticis, si sermo sit de attrahentibus, his vti oportet concocto cibo, vt per vnã horam, vel duas ante cibum sint danda.

De Pharmaco electiue soluente.

Materia cocta, cruda, furiosa, non furiosa quid requirat.

Aph. 22. primæ sect. explicatio.

Sed quid statuendum est de pharmaco electiue soluente? Pro huius cognitione necesse est cognoscere, quid materia concocta, & cruda, quid furiosa, quid non furiosa requirat, quod primo Aphor. 22. propositum fuit ab Hippo. vbi ait, *concocta medicari, &c.*

Quibus in verbis manifestauit se ipsum dogmaticorum principem, quoniã explicauit quando agendum virtute indicantium: & considerauit, quod proponitur a Galeno in lib. ad Thrasib. nempè quando agendum ex præsertia indicantis, & absentia prohibentis: At Hipp. prohibens, & indicans proponit; nec est diminutus, licet non proponat vires, eò quod proponens pharmacũ electiuum, proponit validum auxilium: ideo proponit validum indicans, id est vires robustas; quod cum ita se habeat, hoc tanquam notissimum non erat proponendum: Quare proposuit materiam crudam, coctam, & turgentem.

Quæstio.

Responsio.

Cur nec plura, nec pauciora proposuit? cur dicit, vt plurimum autem non turgent? Dico, quod Hipp. proponit id, quod necessario requiritur ad exhibitionem pharmaci, id autem est materia excrementitia, in qua est virtus vel simplex, vel mista, per virtutem simplicem intelligo materiam, quæ habet vim tantum indicandi pharmacum, per mistam intelligo materiam, quæ habet vim & indicandi, & prohibendi pharmacum: primum proposuit Hippoc. quando dixit *concocta*: in hac enim dictione sunt duo, materia scilicet excrementitia, & materia excrementitia concocta; materia quatenus excrementitia indicat pharmacum, quatenus verò concocta indicat pharmacum, illico esse propinandum: ex quibus apparet nullum adesse prohibens, quoniam materia hæc habet vim indicandi tantum.

Necesse igitur fuit, vt Hippocr. consideraret materiam, quæ habet vim mistam, & indicandi, & prohibendi: hæc autem non potest esse nisi duplex; vel enim præualet vis indicandi, vel vis prohibendi, aliud membrum ne animo quidem concipi potest. Quò ad materiam, in qua vis prohibens dominatur, hæc proponitur ab Hipp. quando proponit materiam crudam, in qua duo sunt, nempe materia excrementitia, & materia cruda: materia vt excrementitia indicat pharmacum: materia verò vt cruda illud prohibet, tanquã causa sine qua non, quoniam primò occurrendum est materiæ, vt cruda est, deindè verò vt est excrementitia, & plus potest cruditas quam materia excrementitia: quare non licet vti pharmaco purgante.

Materia cruda duo includit.

Postremò proponit Hipp. materiam, in qua est vis mista, sed tamen plus potest vis indicantis, quam vis prohibentis, illud autem est materia turgẽs, & vt hoc verum esse intelligatis scire debetis, quod in materia furiosa sunt tria, materia scilicet excrementitia, cruditas, & furor; materia vt excrementitia indicat: vt cruda prohibet: vt furiosa indicat. Quid ergo agendum? licet ne dare pharmacum, an non?

Materia turgens tria cõtinet.

Ex Hipp. in materia turgente vis est mista, in ea tamen plus potest vis indicantis: nam materia vt excrementitia indicat: cruditas materiæ prohibet, vt causa sine qua non; materia furiosa indicat vt vrgens: at plus potest vrgens, quam causa efficiens, & q̃ causa sine qua non: si ergo in materia excre

mentitia,

mentitia cruda,& furiosa, furor habet rationem vrgentis, cruditas autem habet rationem causæ sine qua non, quis nō videt indicans superare prohibēs? Ideo Pharmacum est exhibendum; aliter enim periculum erit, ne materia petat partem aliquam præcipuam,& repentina mors superueniat.

Cur in materia turgente liceat dare pharmacum.

Dicit autem Hipp. *vt plurimum autem non turget*, non tantum, vt indicaret materiā raro turgere, sed potius vt significaret, materiā, licèt nō turgeat, ipsā tamen minorandam esse. Nec hoc mirum videatur, quoniam diuinus hic senex cum dixerit materiam furiosam esse purgandam, voluit etiam significare, si fuerit materia quæ rationem habeat vrgentis, licèt sit cruda, hanc tamen esse euacuandam,& per hanc materiam turgentem intelligit omnes alias materias turgentes: hanc tamen solum proponit, & summo quidem cum artificio, quoniam si conferatur materia furiosa cum reliquis materiebus turgentibus, minus vrget materia furiosa, quam reliquæ materiæ: si ergo hæc minus vrget,& tñ plus potest ad indicandum, quā cruditas ad prohibendum, cui dubium, quod vbi aderunt materiæ illæ audacius erit purgandum? Hæc autem materia est & venefica,& non venefica, venefica hoc hēt, vt celerrimè possit cor occupare,& ita mortem inferre,& maius vitæ discrimen impendet ex materia venefica, quam ex materia furiosa: plus igitur potest venenositas, quam cruditas. Ideo primò de diff. feb. 4. item 5. meth. 14. dicit Gal. in magna illa pestillentia sanatos fuisse illos, in quibus aderat vomitus, & alui fluxus, quoniam sic euacuabatur materia venefica pestilens. Nec est dicendum Hipp. primo Epid. 2. 37. oppositum dixisse, vbi scribit, omnes mortuos esse, in quib⁹ aderat alui fluxus & vomitus; quia cum vidisset Galenus hanc difficultatē, ibi ait hos mortuos esse ob copiam crudorum humorum, non autem ratione materiæ; quantum enim ad materiam, optimum erat ipsam euacuari: at cum ratione cruditatis non possent ali corpora,& corpora, quando priuantur alimento, necessariò concidant, propterea moriebantur. Quare concludendum est, quando materia est venefica, & potissimum copiosa, vt non cedat alterantibus, optimum, immò necessarium esse ante coctionem ipsius vti minorantibus.

Hipp. locus explicatur.

Dubitatio.

Solutio.

Quando vti liceat minorantibus.

Nec obstat quod dicit Hipp. 4. Aphor. 22. *In morbis inchoantibus si atrabilis vel supra, vel infra exient, lethale*; & Gal. in commento dicit, hoc esse lethale, quia in principijs morborum nil excernitur ratione naturę, idest criticè, sed symptomaticè, idest cum virium iactura, cur igitur dictum fuit materiam veneficam inter initia esse purgandam, cum nihil in principio excernatur criticè, sed potius symptomatice? Vnde cum oporteat materiam minorare, & natura nunquam inter initia rectè operans euacuet, ideo nihil debet euacuari. Quò ad Hipp. ipse loquitur de atrabile, quæ non est venefica, nec furiosa materia, sed cruda,& ideo euacuatur cum iactura virium, & tunc natura regulariter nequaquam operatur, quoniam materia non est venefica, nec furiosa. At non ita facilè est satisfacere huic difficultati, si concedimus Gal. fundamentum in commento, cum dicat principio nil excerni ratione naturæ, & ibi loquatur non tantum de atrabile, sed & de qualibet materia in principio morbi.

Dubitatio.

Solutio:

Si superficietenus intelligatur Galenus, nec furiosam materiam liceret in principio euacuare; materia enim turgens euacuatur in principio ante coctionem, tuncquè medicus non immitatur naturam: male igitur faceret, si tunc materiam turgentem euacuaret, quare Galenus & Hipp. & sibimet ipsi

esset

Dissentientibus indicantibus quomodo agendum.

esset contrarius. Verum pro huius loci intelligentia,& dubitationis perfecta solutione confugiendum est ad methodum medendi,in qua interdum cõsentiunt indicantia,& tunc licet medico operari; interdum verò dissentiunt, & tunc ex duobus malis,minus eligendum est,vt si peccet materia furiosa,quantum sit ratione cruditatis materiæ optimum est coctionem ipsius expectare, attamen hoc fieri non potest,eò quod plus vrget furiositas materiæ,& si medicus vellet expectare coctionem,dubio procul interim moreretur ęger,& si materia posset concoqui fieret euacuatio maiori cum detrimento, quam dum in principio euacuatur. Si hoc est verum de materia furiosa,multo verius est de materia venefica; eò quod hæc magis vrget, quam furiosa; venefica enim illico interficit,& præsertim si sit copiosa,& si non cedat alterantibus; & ideo non licet expectare coctionem materiæ,sed si id tuto facere liceret; optimum quidem esset: idem igitur dicendum est de materia venefica,quod dicit Hippocr.& Galenus de materia turgente. Quare dicta illorum non aduersantur nostris.

Per mobilẽ materiã q d sit intelligẽdum.

At si hæc materia non sit venefica, quę nam est hæc materia,in qua plus potest vis indicantis,quam uis prohibentis?est materia mobilis; & per mobilem intelligimus materiam non eam, quæ habet potentiam ad motum, sed eam, quæ actu mouetur. Et ne quis in verbis nos capiat, per materiam mobilem intelligimus materiam differentem à materia turgente: nam licet vtraq; materia moueatur, turgens videlicet, & non turgens; differentia tamen est, quĩ turgens non habet determinatum motum; ignoramus enim quo ipsa tendat, sed tantum imminet periculum, ne raptum habeat ad partem aliquam principalem, at materia, de qua nunc fit sermo,quæ mouetur, ad differentiã turgentis,inclinationem habet ad partem determinatam, ita vt constet etiam, quæ nam sit pars hæc. Quæ quidem pars potest esse duplex,principalis videlicet,& non principalis habens tamen consensum maximum cum principali, cuius consensus ratione fit, vt læsa parte non principali, lædatur etiam principalis: vtcunque igitur capiatur materia, in hac plus potest vis indicantis, quam uis prohibentis; nil enim est quod prohibeat præter cruditatem,nã materia, vt excrementitia indicat pharmacum, vt verò raptum habet ad partes principales,indicat similiter pharmacum; & sic plus potest vis indicantis, quamuis prohibentis. Hoc demonstro, quoniam in hac materia est vis insignior magis vrgens, quam in materia furiosa: materiam namque furiosam quamprimum purgamus, quoniam timemus, ne aliqua pars præcipua lędatur: nondum tamen materia hæc furens, quæ huc illucquè per corpus vagatur, raptum habet ad partem principalem: at materia,de qua loquimur,iam actu habet raptum ad partem præcipuam, & ideo, nisi celerrimè occurram?, ab hac materia pars ipsa principalis corripietur,& sic succedet mors. Quare hæc non modo est purganda simpliciter,sed citius etiam purganda,quam materia furiosa; in hac enim non est cunctandum, quoniam maximè vrget vis huius materiæ. Quoniam autem res hæc est maximi momenti,ideo præter rationes adductas,liceat etiam nobis veritatem hanc stabilire Galeni auctoritatibus. Galenus itaque lib.curat.per venæ sect.cap. 8. uult cum incipiunt inflammationes, auspicandum esse ab inanitione, & considerandũ esse quid nam peccet, vt cognoscatur an liceat venam secare, vel potius vti pharmaco. Ecce ergo quo modo incipiendum est à purgatione,quando non licet venam secare.

Differentia inter materiam turgentem & non turgentem.

Pars determinata est duplex.

Quando curatio incipiẽda sit a purtione.

Nec est, quod quis dicat, in inflammatione vrgente cacochimia esse purgandum, sed tamen seruatis seruandis, vt scilicet quam primum secetur vena, si adsit plenitudo: si verò adsit cacochimia fiat purgatio, præmissa tamen coctione; Hoc (inquam) non est dicendum, quoniam Galenus seipsum explicat, quando ait, auspicandum esse vel à sectione venæ, vel à pharmaco, & (quod magis est) addit & loco citato, & cap. decimo, opus esse minorare materiam, antequam inflammatio augeatur, quod eueniet, si vtemur concoquentibus, nec corpus euacuemus: & propterea iubet, vt cruda existente materia fiat purgatio, nisi adsit febris; quoniam cum adest febris, nequaquã est purgandum. Obiectio.

Hanc Galeni authoritatem oportet rectè intelligere, ne quis forte vestrum de more quorundam practicantium vtatur minoratiuis, quando non adest febris, etiam si materia sit quieta non venefica, ita vt intelligendus sit Hipp. Aphor. de materia redundante in corpore febricitante: hæ enim sunt nugæ, nam Aphor. Hipp. est vniuersalissimus, & ideo verificatur in corpore & febricitante, & non febricitante; eadem enim contingunt absurda, quando cruda euacuatur materia siue adsit, siue non adsit febris, licet maius succedat detrimentum si adsit febris. At licèt etiam non adsit febris, maximo tamen cum discrimine purgatur materia cruda, non furiosa, non venefica, & quandoque experientia comprobatum fuit, medicos, qui purgant corpora, vt ea præseruent à malis, & inter initia præbent minoratiua, excitare febrem adeò vt aliquando miseri homines moriantur, quare dico Aphorismum esse vniuersalem. Galenus igitur lib. curatiuo cap. octauo, & decimo voluit significare purgandum esse in principio inflammationis, quando inflammatio est exigua, quando fluit, & mouetur materia ad locum determinatum: nam quando insignis est inflammatio, materia maxima ex parte est fluxa, & non cedit medicamento purgante, quia non mouetur amplius, sed detinetur in parte inflammata: secus autem est quando confluit, & mouetur materia, & raptum habet; quando enim magna est inflammatio, adest febris, & propterea Galenus non proposuit febrem, vt febris est prohibens, eò quod in febricitate, vbi turget materia exhibemus pharmacum; sed proposuit febrẽ, vt esset signum quoddam magnę inflammationis, & ideò vbi adest febris, quę indicat magnam inflammationẽ, non est amplius occasio exhibendi pharmacum. Constat igitur, quò licet in initio inflammationis vti medicamento electiuè educente, & præcipuè quando pars aliqua principalis inflammatur, vt cerebrum, vel cor. Sed hoc est obseruandum non modo de materia petente partem principalem, sed etiam de materia quæ petit partem non principalem, cum qua tamen principalis consentit. Hoc proponit Galenus 6. meth. 2. vbi in punctura nerui iubet illico purgandum esse. Non dicatis vos seruatis seruandis, quoniam si volueritis differre purgationem usque ad coctionem materiæ, adeo copiosa ratione doloris attrahetur materia, vt dolor deinde fiat insignis, & in consensum trahatur cerebrum, & succedat mors; & ideo est necessarium minorare. Hoc idem significauit Galenus 13. meth. 11. & 14. meth. 8. vbi ait, sanandas esse oculorum & linguæ inflammationes per purgationem eadem die.

Responsio.

Abusus minoratiuorũ excitat febrẽ

Explicatio loci Gal.

Quando in principio licèt purgare.

Sed ibi addit Galenus vnum notatu dignum, nempè plurimum expedire, vt inter initia quamprimum fiat euacuatio à partibus longinquis: & ideo in

Cur in oculorum inflãmatione, liceat purgare per seccesſũ.

inflammatione oculorum licet vti medicamento purgante per ſeceſſum, quoniam fit reuulſio materiæ ad partes longinquas; quod erit in cauſa maximæ vtilitatis. Si verò fuerit inflammatio iecoris etiam exiſtente cacochimia, (de hac enim loquimur) abſtinendum eſt ab electiuè educentibus, quoniã vt dicit Galenus, attrahitur materia ad locum lęſum, quod non eſt dicendũ, quando materia raptum habet ad oculos, ad linguam, ad cerebrum, & ad alias ſimiles partes. Verum conſiderandum eſt cur non licet purgare, quoniam tanti fuit momenti authoritas hæc apud quoſdam, vt dixerint Hippocratem intelligendum eſſe de euacuatione, non de reuulſione: vt liceat materiam crudam reuellere quidem, non tamen euacuare. Sed iſti grauiter errant; primum enim idem ſuccedit nocumentum, ſiue euacuare, ſiue reuellere vellimus; vtrinque materia eſt cruda, & mala eſt miſta cum bona, neutroquè modo cedit. Pręterea licèt fiat reuulſio, fit tamen etiam euacuatio. Inſuper Hippocr. non reſpicit purgationem, nec euacuationem, nec reuulnem, ſed loquitur de tempore purgandi in illo Aphor. & ideo indicatur ex præſentia indicantis, & ex abſentia prohibentis, neque ex vllo alio: quare Hipp. Aphor. eſt vniuerſaliſſimus.

Error quorũ dam.

Hic igitur confugiendum eſt ad methodum medendi, nam cum adſit materia excrementitia cruda, quæ habet impetum ad iecur partem præcipuam, materia quatenus excrementitia indicat purgans, quatenus etiam raptum habet ad partem principalem, habet ſimiliter vim indicandi purgans, quia iam incipit occupare partem principalem; at cruditas materiæ prohibet, attamen plus poteſt uis indicantis, quam vis prohibentis.

Quò ad partem affectam; hæc & ipſa eſt indicans, & tunc habet vim prohibentis, & ideo ſitus partis præſtantis, ideſt iecoris prohibet. Ex his autem maiorem vim habet prohibens, quam indicans, quoniam indicatio, quæ ſumitur à parte præſtanti, ſuperat indicationem, quæ ſumitur à materia excrementitia, & indicationem etiam, quæ ſumitur à materia, quæ mouetur ad iecur; ideò rectè ſtatuit Galenus in uehementi iecoris inflammatione eſſe cauendum à pharmaco, eò quod plus poteſt pars affecta, quam reliqua. Propterea concludendum eſt, materiam excrementitiam vel eſſe coctam, vel crudam, ſi ſit cocta expedit purgare; nihil enim eſt, quod impediat: ſi ſit cruda, tunc vel eſt quieta, vel eſt mobilis, ſi quieſcit, vel eſt venefica, vel non, ſi ſit venefica, plus poteſt vis indicans purgationem, & ob id eſt purgandum, ſi non ſit venefica, plus poteſt vis prohibendi, ideſt cruditas.

Cur in magna iecoris inflammatione ſit cauendum a pharmaco.

Methodus inueſtigandi an liceat purgare nec ne.

Sed conſiderandum eſt, an materia hæc quieſcens non venefica ſit copioſa, nec ne, ſi non ſit copioſa, tunc primùm eſt coquenda, deinde verò purganda: ſi verò ſit copioſa, vt euenit in febribus pituitoſis & melãcholicis, partim eſt coquenda, partim etiam euacuanda; non enim tutum eſt expectare, quouſque tota materia concoquatur. Si autem materia moueatur, ſiue ad partẽ principẽ, ſiue ad partem non principem, cum principe tamen conſentientem, tunc, quantum ad materiam attinet, plus poteſt vis indicantis materię, vt moueatur, quam uis materiæ vt cruda eſt, & ideo etiam purgandum eſt, niſi quid obſtet; quod non proponitur ab Hipp. tanquam per ſe ſatis manifeſtum; & quòd hoc ſit verum patet, quoniam in illo Aphor. ait, materiam furioſam eſſe purgandam: ſi vires ſint debiles, non poterunt ferre validum auxilium, & ideo ſupponit Hippoc. alia indicantia, aliaſquè indicationes,

quæ

quæ desumuntur à virtute, & à parte, & ideo nulla est difficultas. Nec etiam obstat, quod etiam citra concoctionem materię in hydropicis medici vtuntur pharmacis electiuè educentibus, quoniam illa materia excrementitia dubio procul non est venefica, nec mobilis. Sed cum illa sit separata à bona materia, potest inter coctas materias recenseri; nam licèt exhiberemus sexcentos syrupos, nunquam maior fieret separatio, & ideo optime agunt, qui non expectata alia coctione illam euacuant.

Cur in hydrope incon cocta etiam materialiceat purgare.

Quod dictum fuit de purgantibus, idem etiam est dicendum de alterantibus, de quibus suo loco agemus: monet tamen Auic. ab adstringentibus esse abstinendum in febribus putridis; (in his enim vigent obstructiones) & potissimum ab adstringentibus quæ intus assumuntur. Vnde dicit Gal. 12. meth. 3. cauendum esse à laxantibus, & ideo vtitur absynthio ad corroborandum ventriculum; addit tamen, nisi febris sit magna; & propterea est aduertendũ, vbi febres sunt insignes, non inungendum esse ventriculum cum oleo de absynthio, vt pleriq; faciunt; febris enim magnitudo hoc prohibet, sed vtendũ est oleo mastichino cum speciebus quandoque diarrhodonis Abbatis, & huiusmodi. Quantum ad quantitatem spectat, hoc tantum moneo, vt quando dabitis conseruam aut ex cichoreo, aut ex borragine, & cum hac miscebitis pulueres, veluti species Diarrhodonis Abbatis, aut speties aromatici rosati pro ℥.1. conseruæ misceatis puluerum ℈. ſ. vsque ad ʒ.ſ. ita tamen vt in tempore frigidiori ascendatis ad ʒ.ſ. econtra verò in calidiori.

Adstringentia vitanda esse in feb. putridis.

Quando nõ est vngẽdus ventriculis ol. de Absynthio in feb. putridis.

Quantitas.

Quò ad modum, potestis vti his secundum varios modos, in potu, in bolo, in pilulis intus: foris verò in sacculis, & inunctionibus, quæ breuitatis causa prætermito. Pro cognoscendo tempore administrandi hæc remedia, animaduertendum est materiam hanc habere rationem antecedentis, idest causæ sine qua non, & ideo dicit Auic. non esse confugiendum ad corroborantia nisi concocta prius, & euacuata materia; hoc tamen est intelligendum, nisi febris vrgeat: At cum febris sit morbus insignis, cogimur vti corroborantibus, vt dicemus suo loco, & hoc etiam cum Galeno 11. meth. vbi admonet, non confugiendum esse ad ea, quæ extra applicantur nisi corpore maiori ex parte euacuato; quod intelligendum est præcipuè de laxantibus. Vnde vt colligitur ex Galeno primo ad Glauc. 14. cum languet ventriculus, saltem post lenitionem alui, & euacuationem per sanguinis missionem, & perinde ante coctionẽ materiæ expedit consulere ventriculo, etiam si corpus non sit ex toto euacuatum; cauendum tamen est à laxantibus, insigniterquè adstringentibus. Quò ad locum, aliqua intus, aliqua foris sunt adhibenda, sed de his commodius suo loco agetur. Hęc de curatione febrium putridarum in generali dicta sufficiant, quatenus pertinet ad Chyrurgiam, & Pharmaciam: deueniendum modo est ad rationem victus.

Modus.

Tempus.

Extrinsecis prẽsidijs nõ esse vtẽdum nisi purgato corpore.

Locus.

DE RATIONE VICTVS.

Auic. lib. 4. fen prima tract. 2. cap. 8. loquitur de victus ratione, quæ in febribus putridis est instituenda: Ordinis huius ratio est, quoniam cum oporteat febrẽ curare ope instrumenti chyrurgici, pharmaceuti, & diætetici, ideo iure post tractatum de chyrurgia, & pharmacia, necesse fuit, vt de viuendi ratione ageret, quod facit in hoc capite: Vnde cum viuendi ratio consistat in sex rebus non naturalibus, Auicena tamen loquitur solum de cibo & potu: de cibo

Ordinis ratio.

Cur Auic. de cibo & potu tantum agat

quidem in capite præsenti, de potu verò in capite sequenti: & huius ratio est, quoniam eius institutum est tradere curationem generalem, non autem specificam febrium. Nos tamen, ne vlla in parte deficiamus, agemus non de cibo, & potu tantum, sed etiam de reliquis rebus non naturalibus. Auic. hic duo facit: primùm loquitur de qualitate: secundò autem de quantitate cibi. Vnde is videtur seruare ordinem oppositum ordini, qui seruatur ab Hippoc. in Aphor. particula prima; ibi enim primum loquitur de victu ratione quantitatis; mox verò de victu ratione qualitatis. Huius discriminis causa fuit, quoniam Auic. vnum; Hipp. autem aliud respexit; Auic. enim cum in initio superioris capitis locutus esset de indicationibus, quæ desumũtur a febre, & à causa febris, & in primis ęgisset de indicationibus, quæ desumuntur à febre, cuius ratione requiritur victus, ratione non quantitatis, sed qualitatis: ideo eũdem seruans ordinem in hoc capite loquitur de qualitate; in sequenti verò de quantitate. Hipp. verò cum in principio illius libri ageret de auxilijs inanientibus, quæ quidem sunt venæ sectio, pharmacum, & victus, qui considera tur ratione non qualitatis, sed quantitatis: iccirco ordinis ratio exhigebat, vt Hipp. primum loqueretur de victu penes quantitatem, deinde de victu penes qualitatem; quare eorum vterque optimè est progressus.

Scopus proprius.

Dubitatio circa ordinẽ

Ratio diuersitatis ordinis inter Auic. & Hipp.

Sed iam negotium nostrum aggrediamur, & prius de Aere agamus. Quod itaque spectat ad Aerem, ipse dupliciter accipitur, vno modo, vt est indicãs iuuans, altero modo, vt est materia indicati iuuantis, & in hoc secundo sensu in præsentia nos aerem intelligimus: gratia exempli, febris indicat auxilium frigidum, cuius materia est aer refrigerans. Aerem primo modo accepit Gal. 9. meth. 14. at nos per aerem intelligimus tantum materiam indicati iuuantis.

Aer.

Aer dupliciter capitur.

Aer vt materia iuuantis accipitur dupliciter.

Aer rursus, vt est materia iuuantis, debet accipi duobus modis, vno, vt est materia iuuantis alimenti; altero, vt est materia iuuantis remedij, sicut etiam distinguitur à Galeno lib. ad Thras. cap. 43. vbi seiungit medicamentum ab alimento. Vnde si consideretur aer, vt est materia iuuantis alimenti, consideratur solum gratia vitæ, & indicatur principaliter tantum à virtute: si verò cõsideretur, vt est materia iuuantis remedij, contemplatur gratia sanitatis, & principaliter indicatur à re præter naturam: quæ omnia probabo ex Galeni sententia.

Quod itaque spectat ad aerem, vt est materia alimenti, & proinde indicatur à virtute, de hoc loquitur Galenus vndecimo meth. 3. item 12. meth. quinto, vbi dicit ad tuendas vires ratione spirituum opus esse alimento: vnde virtus valida indicat alimentum consistens: partes carnosæ indicant alimentum mediocre: partes spirituales & tenuiores pro vitæ custodia indicant alimentum tenue, quod facilè dissipetur, cuius materia est aer, non caro caponis. Aer ergo est materia alimenti indicati à virtute, & ob id loco citato dicit Galenus eligendum esse aerem purum, & ab omni inquinamento alienum, optimaquè temperie affectum; talis enim est materia indicati à virtute alimenti pro ipsius custodia. Consideratur etiam aer, vt est materia remedij, sed indicati à re morbosa, verbi gratia à febre, quo modo capitur a Galeno 9. methodi 14. vbi ait, quod si morbus postulat auxilium frigidum, & humidum, contingatq; aerem esse talem, tũc aer ipse habet rationem materiæ sanantis: aer igitur est materia & alimenti, & remedij. Hoc etiam confirmatur à Gal. 10. meth. 7. vbi vult, ratione febris refrigerandam esse, &

hume-

humectandum: deinde subdit, refrigerantis, & humectantis auxilij plures esse materias, inter quas recenset aerem: ex quibus patet aerem esse materiam remedij refrigerantis, & humectantis indicati à re præter naturam, idest a febre. Cum igitur hæc sit vis aeris, tunc est inquirendum, qualis nam aer sit in febribus putridis instituendus: vnde si talis sit qualis requiritur, huiusmodi seruetur: sin minus, talis arte fiat. Breuiter itaq; ex Gal. sententia decimo meth. 8. quemadmodum in morbis ventriculi, & iecoris ęgrotantes summum consequuntur emolumentum ex recta administratione cibi & potus, ita in affectibus cordis, & proinde in febre, ex aere maximum percipiunt iuuamentum: de aere igitur diligenter agendum.

Fuit itaque Gal. sentẽtia 10. meth. primo, in febribus putridis tria esse principaliter indicãtia, virtutem. s. causam febris, & febrem: Quantum ad virtutẽ attinet dicimus ipsam indicare sui custodiã, & proinde alimentum, cuius materia est aer, non quilibet tamen, sed purus, & temperatus; ex tali enim spiritus reficiuntur, virtusquè custoditur, causa verò febris putridæ est materia, quæ vel iam est, vel nondum est putrida: si consideremus materiam putridã, ex Gal. 10. meth. 8. est eligendus aer putridæ materiæ contrarius: cum autem materia putrida non sit expers caliditatis extraneæ, & egeat maximè transpiratione, propterea occurrendum est illi aere, qui sit materia indicati à materia putrida. At cum aer ex Gal. 10. meth. 3. sit materia, quæ & intus, & foris administrari potest: si consideretur quatenus est materia remedij, quo intus vtimur, oportet ipsum refrigerare, & exiccare, eò quod in materia putrida ratione caliditatis, & humiditatis indicatur auxilium refrigerans, & exiccans, cuius materia est aer frigidus, & siccus. Si vero consideretur quatenus est materia foris occurrens, non debet esse frigidus, quia sui frigiditate densaret cutim, & transpirationem, quæ maximè desideratur, prohiberet, sicquè nõ esset materia sanans, sed potius nocens. Quare in febre putrida requiritur aer purus, & temperatus, & ideo illi occurrendum est aere, qui sit materia indicati à materia putrida.

In febribus putridis tria sunt principaliter indicantia.

Cur aer debeat esse purus atque tẽperatus.

At si materia non sit putrida, requiritur auxilium varium pro varietate febris: exempli gratia, materia biliosa indicat auxilium frigidum, & humidum, cuius materia est aer frigidus & humidus, quod etiam dicendum est de reliqs materiebus: De hoc autem aere non loquitur Galenus vndecimo meth. 8. sed de aere tantum ratione materiæ putridæ, & dispositionis febrilis: ratio est eadem, quæ proposita fuit ab ipso decimo meth. 8. quoniam aer plurimum prodest præcipuè ratione cordis: cum enim fuligines in febribus putridis plurimum cordi obsint, cum ipsius spiritus lædantur, calorquè eius accendatur, ob id maximè confert aer propositus. At cum materia putrida resideat potius circa iecur in venis ita vt vel nullum, aut certè perexiguum consequatur emolumentum ratione aeris, ideo mirum non est, si de aere materierum nullam facit mẽtionẽ: cui accedit ẽt Gal. respicere potius curationẽ febriũ putridarum in spetie, quam in genere. Postremò quantum sit ratione febris ex Galeno vndecimo meth. 8. atque decimo meth. 7. ratione febris indicatur auxilium refrigerans, & humectans, cuius materia est aer frigidus & humidus. Vnde ex his colligi potest aerem esse materiam alimenti indicati à sola virtute, & etiã esse materiam remedij præseruantis indicati à causa: denique esse materiam remedij etiam indicati à febre, & esse materiam sanantem: Si ergo contingat aerem propositum a febricitante optari, tunc is arte parandus est; si verò sit

 talis

Alteratio Aeris.

talis sua natura, tunc nil est moliendum. Quare, quantum sit ratione virtutis, oportet in primis alterare aerem aqua rosata, succo citri, aranciorum, & demum odoratis, & ijs, quæ reddãt aerem purum, talemq; vt ex ipso natura spirituum reficiatur; quæ odorum beneficio restauratur. Ratione autem causæ febris, materiæ scilicet putridæ, expedit maximè alterare aerem aceto, & in summa refrigerantibus & siccantibus, quod intelligendum est de aere quatenus est materia, quæ intus assumitur; nam aer quatenus est materia extra occurrens non debet esse calidus, nec frigidus, sed temperatus; at ratione materiæ putridæ debet esse frigidus. Quare medici in arte experti, alterant aerem ad frigidum, quatenus est materia intus assumenda, & per inspirationẽ attrahenda: extra verò occurrunt imperando, ægrotantes continuo tectos decumbere, vt caliditatis moderatio seruetur, ne dum detecti iacerent, ab aeris, frigiditate meatus cutis constiparentur, quibus constipatis perspiratio interciperetur, & per consequens febris augeretur. Quare ratione febris, vt monet Galenus decimo meth. 8. oportet ęgrotantes collocare in cubiculis subterraneis ad septentrionem vergentibus, & eorum pauimentum irrorare frigida, inspergereque folijs lactucæ, nympheę, & huiusmodi, de quibus agemus in tractatu de hecticis: Sufficiat igitur hoc in loco, quod quilibet aer est arte parandus, siue ipsæ sit materia alimenti, siue sit materia remedij, & indicati auxilium, cuius materia est aer modo à virtute, modo a causa morbi, modo à morbo indicatus, quod meo iudicio, necessariò est asserendum, dicãt alij quicquid velint.

Cibus dupliciter capi potest.

At quod dictum est, non solum asserendum est de aere, sed etiam de cibo; cibus enim & ipsæ consideratur vt est materia iuuantis alimenti, & vt est materia iuuantis remedij: proinde consideratur aliquando gratia vitę, quandoque gratia sanitatis, quod declaro: accipitur cibus, vt est materia alimenti qñ consideratur, verbi gratia ptissana, vel lactuca, pro ut habet vim alterandi partes corporis, in quibus consistit virtus; tunc enim est materia alimenti, idest indicati à sola virtute, quia virtutis custodia consistit, non modo in quanto, sed etiam *in quali, quando virtus consistit in substantia & temperatura partium*; & ideo labitur virtus vbi intemperatæ euadunt partes: consistit verò, *vbi partes suum conseruant temperamentum. Præterea consideratur etiam* cibus, quatenus est materia remedij indicati, non a virtute, sed à re præter naturam, veluti est ptissana, quatenus habet vim detergẽdi materias morbificas viscidas, & quatenus habet vim refrigerandi materias calidas morbificas, atque intemperantias etiam febriles. Veritas hæc confirmatur ex Galeno qui primum vult in primo de rat. vict. 44. alimentum indicari à sola virtute, ita vt tempore ægritudinis, nisi ægritudo prohiberet, eo penè modo ægrotantes cibaremus, quo tempore sanitatis; hoc tamen non facimus, quia affectio morbosa prohibet, huiusquè rationem reddit dicens, quoniam alimentũ, & proinde cibus, vt materia alimenti propria ratione iuuat; cum enim cibus respiciat vires, non morbos, ideo principaliter à sola virtute indicatur. Hoc idem colligitur etiam ex Galeno 11. meth. 3. vbi dicit particulares materias alimenti desumi ex virtute. Per particulares autem materias intelligit Galenus materiam alimenti specifici, seu iuuantis specifici, ad differentiam materiæ iuuantis generici: Cũ.n. iuuans genericũ sit alimentũ, iuuans verò specificum sit alimentum, ratione vel quantitatis, vel qualitatis, consideratũ, hinc fit, vt virtus indicet nõ modo genus alimenti, sed & speciem, idest quantitatem,

Cibus vt est materia alimenti.

Gal. verba interpretãtur.

Iuuans duplex.

vel qualitatem alimenti; & ideo dicit Gal. lib. ad Thras. cap. 39. vires indicare escam exiguam; vnde ibi etiam concludit quantitatem alimenti indicari à virtute. Quare à virtute indicatur non modo victus plenus augens, conseruans mediocris, sed etiam exiguus. Ideo Galenus decimo meth. 8. dicit, si cõsideremus alimentum, hoc nullo modo indicatur à febre; non enim est vt ratione febris vlla ex parte alimentum respiciamus, cum alimenti respectus ex virtute sola desumatur. Et propterea cum Galeno est concludendum, quod virtus indicat, & quãtitatem & qualitatem alimenti; & ideò Hipp. respiciẽs quantitatem primo Aphor. 14. dicit; *Qui crescunt plurimum habent calidi innati plurimo igitur egent alimento*. Virtus autem valida indicat alimentũ copiosum, debilis verò paucum, quoniam hæc copiosum regere non potest: Vnde Galenus lib. ad Thras. cap. 14. habet, in tempore status exhibendum esse alimentũ in pauca admodum quantitate respectu aliorum temporum morbi. Et ex Galeno colligitur, hoc non desumi ex temporibus morborum, sed ex virtute; ratio est, quoniam virtus tempore status est debilis magis, quã sit in principio, & augumento. Sed diligenter aduertendum, licet contingat in morbis, virtutem esse robustã, vt in morbis acutis, & proinde indicare alimentum copiosum; attamen cum ait Gal. primo de rat. vict. 44. victũ copiosum prohiberi ab affectione morbosa; propterea non possumus exhibere victum illum, qui indicatur a virtute valida; eò quod si exhiberemus, ægrotanres interficeremus: quare exhibendus est tantum tenuis victus.

Sed dicet quis victus hic tenuis à quonam indicatur? non enim credendũ est tale alimentum indicari à virtute, quoniam virtus est valida, supponis. n. morbum acutum esse cum virtute robusta; nec indicari à morbo acuto, eò quod ab hoc non potest indicari alimentum; cum ex Galeno loco citato indicetur à sola virtute, à quo igitur indicatur? Pro solutione dicendum, alimentum exiguum indicari a virtute in morbo acuto valida tamen. Sed aduertendum, virtutem validam posse dupliciter considerari, & concurrere ad indicãdum, vno modo pro vt virtus valida debet valida conseruari, alterum modo quatenus virtus valida, debet conseruari moderatè debilitata; quæ distinctio colligitur à est Gal. primo Aph. 4. vbi ait, opus esse in morbis acutis virtutem moderatè debilitatam conseruare. Quare stante hac distinctione, facile est respondere hoc modo. Virtus robusta si consideretur, prout debet robusta conseruari, indicat alimentum copiosum; si verò consideretur prout moderatè debilitata est conseruanda (aliter enim conseruari non potest, quoniam morbus prohibet, eam validam conseruari) indicat alimentum exiguum. Quare si sermo fiat de quantitate alimenti, hæc indicatur à virtute tantum; si verò consideremus etiam qualitatem, hæc ẽt indicatur à virtute sola. Hoc proponit Gal. 11. meth. 3. quod fortasse dessumpsit ex Hipp. lib. de alimento, vbi habet, *Cibus in florenti ætate non mutatus, in senectute autem mutatus*; Quibus inferre voluit, quòd cum virtus consistat tum in alijs, tum etiam in partium temperamento, si contingat temperamentum partium esse probum, debet seruari; si vero contingat, esse improbum, tunc debet corrigi: quare oportet vti cibo alterante, & mutante mallam temperaturam. Vnde cum in florenti ętate temperies sit optima; in senectute verò sit vitiosa, iure dicit Hipp. in florenti ætate cibum non esse mutandum, in senectute vero esse mutandum, & eligẽdum esse cibum, qui possit temperiem malam mutare: Patet igitur cibum, pro ut est materia alimenti, esse materiam iuuantis, quod principaliter indicatur

Dubitatio de victu tenui.

Solutio. Virtus valida dupliciter capi potest.

Hipp. locus explicatur.

catur à sola virtute: quatenus verò est materia remedij, indicatur à re præter naturam, & hoc ex Gal. 10. meth. 7. vbi ait, febrem indicare auxilia refrigerãtia, & humectantia, quorum materia est, non modo aer, sed etiam ea quæ edũtur, & bibuntur; ex quibus patet, cibaria esse materiam remedij, quod indicatur à re præter naturam, idest à febre.

Respunsio tacite dubitationi.

Nec est quod quis dicat, Galenum per ea, quæ eduntur & bibuntur, intelligere medicamenta, quæ intus assumuntur, ad differentiam eorum quæ foris adhibentur; quoniam hæc esset mera fuga puerilis; nam Galenus loco citato postquam proposuit materias auxilij refrigerantis, & humectantis, sigillatim discurrit circa quaslibet materias. Vnde cap. vndecimo discurrens circa ea, quæ eduntur, & bibuntur, non proponit medicamenta, vt quidam somniarunt, sed proponit lac, & alia cibaria. Hæc veritas adhuc magis stabilitur ex Galeni testimonio primo de rat. vic. 44. vbi ait *non esse impossibile, vt eadẽ materia sit materia & alimenti & remedij*; & afferens exemplum dicit, exempli gratia ptissana est materia alimenti quatenus roborat vires, & dubio procul alimentum à sola virtute indicatur; eadem etiam est materia remedij, quatenus abstergit, attenuatquè, & cum abstergat, attenuetquè, est materia iuuãtis, quod indicatur quidem à virtute, sed necessariò à re morbosa.

Verum hoc decuisse non sufficit, sed oportet etiam vt vlterius progrediamur, sicut etiam dictum fuit de cibo, vt est materia alimenti, & inquiramus à qua re præter naturam indicetur; Dico itaque indicari à re morbifica, à materia, & à morbo, differentia tamen est, quoniam à materia indicatur quantitas, qualitasq;, à morbo autẽ indicatur qualitas tantum. Aduertendum tamen cum nunc sermo fiat de quantitate, sermonem fieri non de administratione auxilij, sed de inuentione; quantitas enim potest dupliciter considerari, primò pro auxilio, secũdo pro administratione auxilij; pro auxilio quidem, sicuti nunc consideratur, quando accipitur pro specifico auxilio ad differentiam generici, quod declaro, si cibus consideratur vt est materia remedij, accipitur, vt materia remedij generici: si verò accipiatur, vt materia remedij vel vacuantis, vel replentis, tunc est materia remedij specifici, quia cõtrahitur remedium ad specificum, nempe ad vacuans & replens, sicuti contrahitur etiam, quando cibus consideratur ratione qualitatis; cibus enim est materia remedij alterantis. Vnde remedium & quantum & quale est remedium specificum, ad differentiam generici remedij. Quod si consideretur cibus vt debet exhiberi in maiori, vel minori quantitate, & in pluribus, vel paucioribus vicibus, hoc non est considerare auxilium, sed auxilij rectam administrationem: nunc autem per quantitatem intelligimus auxilium specificũ, & inuentionem auxilij, non autem administrationem. Constitutum igitur sit cibum esse materiam remedij indicati à causa morbi, & à morbo.

Cibus indicatur & a materia, & a morbo sed tamen differenter.

Quantitas cibi dupliciter potest considerari.

Cibus potest dupliciter capi.

Quid p quãtitatem intelligatur.

Cibus a quibus indicet.

Declarãdum autem est discrimen propositum inter causam morbi, & morbum, quoniam diximus à materia indicari quantitatem & qualitatem remedij, à morbo autem qualitatem tantum. Hæc veritas fundamentum habet in natura indicantium, ex quibus colligitur vera differentia inter materiam, & morbum; materia enim est substantia & quantitas, morbus verò dicit tantum qualitatem, quia est affectus præter naturam, qui est qualitas. Quare cũ in materia locum habeat non modo qualitas, sed & quantitas, hinc fit quod materia indicat remedium non modo quale, sed etiam quantum: at morbus, quoniam non est quantus, ideo non quantitatem, sed qualitatem tantum re-

Differentia inter materiam & morbum.

medij

medij poteſt indicare. Sed hic aduertendum, vt rectè intelligatur Galenus, qui lib. ad Thraſib. cap. 45. dicit, *Quod indicat genus, indicat & differentias ſub eodem genere contentas*. Poſſet enim dubitari, ſi morbus indicat remedium, ſi cibus eſt materia remedij indicantis in genere, quod indicatur à morbo, ſi quod indicat genus, indicat etiam differentias, ergo morbus debet indicare & quantitatem & qualitatem, quoniam quantitas & qualitas ſunt differentiæ ſub eodem genere conſtitutæ: at non eſt poſſibile, quantitatem indicari à morbo: Quare ita intelligi debet Galenus. Quod indicat genus, indicat differentias contentas ſub eò genere, non tamen omnes, quia hoc eſt impoſſibile, ſed eas tantum, quæ poſſunt indicari ex natura indicantis. Cum igitur ad indicandum concurrat & materia, & etiam morbus, explicemus quomodo concurrat materia, & primum ratione quantitatis, deinde ratione qualitatis. Dubitatio. Solutio. Galeni loc⁹ declaratur.

Quò ad quantitatem, hæc indicatur à materia prout vel deſſicit, vel abundat: materia prout deficit indicat iuuans addens, non demens, vnde materia eſt additio, & ablatio, & proinde occurrendum eſt materia remedij iuuantis addentis, quod indicatur à re morboſa, ideſt à materia deficiente: Sed quoniam in hoc à pleriſque diſcrepamus, ob id veritatem hanc Gal. authoritate confirmabimus. Quid indicet quãtitas.

Videatis igitur Galenum 12. meth. 2. vbi ex ſententia Hipp. dicit, *In doloribus oculorum prodeſt venæ ſectio, fomentum, balneum, vini potus & reliqua, quæ ita concurrunt, vt ſanent affectum, ipſumquè ſanando tollant dolorem*: Quare auxiliorum materiæ, primariò reſpiciunt affectum, ſecundariò autem dolorem: quoniam ad remotionem materiæ remouetur dolor: Quare illa ſunt auxilia, quæ indicantur non à ſymptomate, ſed à cauſa ſymptomatis, & proinde à re præter naturam. Quò propoſito ſubdit Galenus, *idem dicendum eſſe de materia in corpore ſqualido*, ideſt in corpore, in quo deficit materia, quo quidem in corpore ſi ventriculus laboret, ita vt ſyncopis periculum immineat, cibariis eſt occurrendum. At cibus, qui eſt materia iuuantis, eſt ne materia iuuantis indicati à re præter naturam, an à virtute? Si à virtute; fateor, me hactenus ſemper fuiſſe in errore; Sed cum indicetur à re præter naturã, dubio procul oportet aduerſarios ipſos cedere. Audiatis Galenum, qui dicit, *in tali corpore ad ſimilitudinem doloris oculorum affectum deſiderare alimentum*, ideſt cibum, qui ſit materia remedij iuuantis indicati ab affectu. Vnde ſubdit etiam, *Et huiuſmodi cibo nos occurrimus affectui; & occurrendo affectui præſeruamus à ſyncope*: ex quibus apparet cibum primario reſpicere affectum, ſicut etiam in dolore oculorum venę ſectio reſpicit primariò materiam, ſecundariò dolorem, ita etiam cibus reſpicit affectum, & affectum reſpiciendo quia auget, ſecundariò reſpicit ſyncopim, quia præſeruat à ſyncope. Quod adhuc magis confirmo ex Galeno dicente ibidem. *Si contingat, vt immineat ſyncopis non ex defectu, vt iam locutus eſt, ſed ex reddundantia ſuccorum frigidorum, tunc affectus non indicat alimentum, ſicut ſyncopis ex defectu, ſed potius auxilium euacuans: quoniam vbi imminet ſyncopis ex repletione, oritur indicatio euacuandi: & remedium conſiſtit in euacuatione*. Et omnem dirimens difficultatem ſubdit. *Si cogamur in ſyncope ex repletione ſuccorum frigidorum exhibere vel cibum, vel etiam vinum, hoc non fit ratione affectus*: Hæc non eſt materia iuuantis, quæ reſpiciat affectum, atque indicetur ab affectu, ſicuti etiam in ſyncope ex deſſectu, ſed hoc fit ratione ſyncopis. Et ideò in ſyncope ex repletione tantum cibus eſt materia iuuantis, quæ indicatur à virtute; ſed in ſyncope ex defectu cibus eſt materia iuuan- Cibus indicatur a re p̃ter naturam.

tis,

tis, quæ indicatur non à syncope, non à virtute, sed à materia morbosa, idest à defectu.

Victus augēs à quo indicatur.

Quare victus augens, quando indicatur ratione remedij, indicatur à re morbosa. Ideo necesse est nos, velimus, nolimus, fateri, cibum esse materiam remedij iuuantis minuentis, similiter victus, vt indicatur à re morbosa, nil aliud est quam victus minuens. Aduertatis tamen victum hunc esse duplicem; vel enim est simpliciter euacuans, vel paulatim euacuans; quod declaro sic. Per victum, qui est materia remedij simpliciter euacuantis, intelligimus illum, qui est ad differentiam remedij replentis. Per victum verò, qui est materia remedij euacuantis paulatim & citra impetum, intelligimus illum, qui est ad differentiam remedij, quod velociter, & cum impetu euacuat, veluti (exempli gratia) venæ sectio celerrimè euacuat, paulatim euacuat victus minuens: & hæc fuit sententia Gal.4.meth.6.vbi affert distinctionem inter venæ sectionem, & parcitatem cibi, vultq; celerrimè euacuari corpus per venæ sectionem, sensim verò ac sensim per cibi parcitatem. Vnde diligenter aduertendum est discrimē inter sectionem venæ, & cibi parcitatē; nam si sermo fiat de venæ sectione, cibiq; parcitate, venæ sectio semper indicatur à plenitudine insigni; cibi verò parcitas potest indicari à plenitudine, & insigni, & debili: à plenitudine quidem debili, quando non secatur vena, quando non indicatur venæ sectio: Hoc proponit Galenus loco citato vbi ait existente plenitudine nos interdum satisfacere venæ sectione, interdum cibi parcitate, vt desistendum sit à venæ sectione. Si plenitudo sit valida, idest faciat, uel facere possit morbum vehementem, occurrendum est venæ sectione, quia ab illa indicatur: si verò sit debilis, idest si nec faciat, nec facere possit morbum magnum, occurrendum est debili auxilio paulatim euacuante, cuius materia est cibi parcitas. Verum vtendum est etiam cibi parcitate simul cum venæ sectione, quando plenitudo est insignis indicans venæ sectionem, & præterea efficit morbum acutum; in acuto enim morbo oportet vti victu minuente; qui quidem victus minuens modo est tenuis, modo tenuissimus; tenuis autem est duplex, vel.s.exquisitè tenuis, vel simpliciter tenuis: simpliciter tenuis est veluti ptissana integra, exquisitè tenuis est veluti ptissana colata. Tenuissimus ēt est duplex, exactè, & non exactè; non exactè, vt cremor ptissanæ, in pauca quantitate; exactè, vt oximel. Victus igitur tenuissimus non in extremo indicatur à materia redundante, quæ efficit morbum peracutum non exactè, qui producitur quidem vltra quartam, non tamen vltra septimam. Victus verò tenuissimus in extremo indicatur à materia redūdante, quæ facit morbum peracutum exactè, qui non pertransit quartam. Ex his igitur constitutum sit, victum minuentem qui est quadruplex, indicari à materia, prout quatuor modis potest considerari. Vnde quando Hipp. dicit in primo Aph. & ibi Galenus passim, in morbo acuto instituendum esse victum minuentem, non intelligatis, victum minuentem indicari à morbo acuto; hoc enim est falsissimum, quoniam morbus indicat non quantitatem, sed qualitatem auxilij; sed eodem modo quem supra diximus de venæ sectionæ: nam cum venæ sectio sit auxilium præseruatiuum, non potest indicari à morbo, sed à plenitudine valida: cum igitur Galenus quando dicit venæ sectionem indicari à morbo vehementi, per vehementem intelligat plenitudinem validam, quæ vel efficit, vel efficere potest morbum vehementem, propterea à simili nunc dicendum est, per morbum acutum intelligendam esse materiā

Victus minuens est duplex.

Differentia inter sectionem venç & parcitatem cibi penes indicationes.

Tenuis vict⁹ est duplex.

Victus tenuissimus est duplex.

Per morbū vehementē quid intelligat Galenus Gal. locus explicatur.

redundantem, non quamlibet tamen, sed eam, quę causat morbum acutum, vel acutissimum: quare nulla ex his est difficultas. Per morbũ acutum q.d sit intelligẽdum.

Superest tantummodo, vt explicemus, an hæc fuerit sententia Gal. quod videlicet vict⁹ tenuis, ac tenuissimus indicetur à morbo .i. à materia morbi, an potius à viribus. Pro cuius rei declaratione dicimus, quòd cum sit Gal. sententia in lib. ad Thras. cap. 39. victum tenuem esse materiam iuuantis, quæ indicatur à virtute, ideo ibi non loqui de quocunque victu, sed de victu tantũ, quatenus habet rationem alimenti, ad differentiam remedij, qua ratione in præsentia victum non accipimus; sermo enim noster nunc est de cibo, vt est materia remedij, & ita de victu minuente, qua quidem ratione non considerauit ipsum Galen. vndecimo meth. 5. Quare dicimus nos nihil aliud Galenũ in eò capite significare voluisse, nisi victum tenuissimum indicari à materia, & coindicari à virtute: quod probo, quoniam ipse cap. 4. loquens de curatione synochi cum putredine, seu febris continentis dicit *opus esse venam secare, & abstergere, quæ quidem indicatiuè dessumitur ab affectu*. dicit autem, *indicatiuè desumi ab effectu*, vt significaret rem præter naturam esse indicantem, ad differentiam virium, quæ sunt coindicantes. Et ideo subdit in cap. 5. *Cum hæc indicatiuè desumantur ab affectu, oportet æstimare vires, & si vires fuerint valentes, audacter euacuare oportet*, vires enim validæ coindicant id, quod est indicatum ab affectu præter naturam, si verò dicit, *vires non fuerint robustæ, cautius ages*, idest cautius euacuare oportet, eo quod vires non ita permittunt; immo quandoque prohibent: deinde vbi proposuit hæc indicari ab affectu, subdit, *Similiter, & nutrimenti modus*, vt significaret, quod vt quemadmodum iuuantia illa indicantur ab affectu præter naturam, ita etiam nutrimenti modus debet ab eodem indicari, alioquin nulla esset similitudo. Vnde Galenus hanc exprimẽs similitudinem dicit, *Si morbus fuerit is in quo summus vigor futurus est, tunc victu tenuissimo vti oportet, si vires fuerint robustæ*: in quibus proponens victum tenuissimum, proponit vnum indicatum: inter indicantia verò proponit morbum, in quo summus vigor est futurus, morbum, idest peracutum, & vires robustas: considerandum igitur est quid sit indicans principale, & coindicans, morbus ne acutus, seu acutissimus, an potius virtus robusta. Per morbum peracutum Galenus insinuauit materiam quæ est causa morbi peracuti: Dico igitur indicans esse morbum peracutum, quem proponens Gal. simul etiam insinuauit materiam, quæ ipsum producit: coindicans verò esse virtutem robustam, ratio est, quoniam Galenus dicit: *similiter, & nutrimenti modus*, dictio *similiter* cum intelligi debeat eo modo, quem diximus supra, de sectione venæ cap. 5. in principio, igitur patet affectum præter naturam esse indicantem, vires verò esse coindicantes. Gal. locus declaratur.

Præterea Galenus proponit victum tenuissimum, viresquè, robustas: at vires robustæ indicant non victum tenuissimum, sed plenum, ex Hipp. 1. Aphor. 14. vbi ait, *Qui crescunt, plurimum habent calidi innati, ideo plurimo egent alimento*, Quare cum ibi proponat Galenus vires robustas respectu victus tenuissimi, cõferendo vires robustas cum debilibus, vires robustæ permittunt victum tenuissimum; debiles verò prohibent. Præterea hoc adhuc magis confirmat: nam cum victus consideretur merito, & quantitatis, & qualitatis: atque Gal. vndecimo meth. 3. sit locutus de quantitate, & qualitate, vt indicatur à virtute, ideo in cap. 5. debet considerare & quantitatem, & qualitatem non eodẽ modo, sed vt indicatur ab affectu; & propterea cap. 5. ait qualitatem nutrimenti

menti sumi ab affectu, & à temperamento partium. Sed dicet aliquis quando qualitas sumitur ab affectu, & à temperamento partium (per temperamentum oportet intelligere temperamentum, vt refertur ad vires) quod nam concurrit tanquam indicans, & tanquam coindicans? cui respondetur dubio procul affectum concurrere vt indicans, temperamentum verò, & proinde virtutem concurrere vt coindicans; datur enim vnicum indicãs: Quod hoc sit verum, colligitur ex Galeno, tum quia is capit. tertio locutus est de qualitate, vt indicatur à virtute, tum etiam quia cum in capit. 5. in principio locutus sit de auxilijs, quæ indicantur ab affectu, & coindicantur à virtute, deinde subdit, *similiter, & nutrimenti modus*: tum præterea, quia Galenus explicans, quomodo qualitas nutrimenti desumitur ab affectu dicit, *si obstructio fuerit, opus est vti ijs, quæ extenuant*. at cum attenuantia auxilia primario respiciant obstructionem, idest obstructionis materiam, quæ crassa est ac viscida, dubio procul auxilium hoc à causa morbifica indicatur, quam propria ratione respicit, non autem à temperamento, à quo quidem coindicatur. Quod cũ ita se habeat, & qualitas cibi desumatur ab affectu seu à causa morbifica, & id quod indicat genus, indicet etiam generis differentias, propterea ab eadem etiam indicabitur illius quantitas, & sic materia morbifica indicabit non modo cibi qualitatem, sed etiam quantitatem. Quare Galenus vndecimo meth. 3. euidentissimè demonstrat cibum, prout est materia remedij, ratione & qualitatis, & quantitatis, indicati ab affectu præter naturam.

Indicans, & coindicans qualitatem alimenti.

Attenuantia quid primo respiciant.

Causa morbi indicat tũ qualitatem tum quantitatem alimẽti.

Sed quid statuendum est de inedia? Fuit sententia Galeni lib. de venæ sectione aduersus Erasist. cap. 4. & præcipuè penultimo, inædiam esse quid inexistens, seu priuatiuum, eo scilicet modo, quo surditas & cæcitas: atque addit etiam, inædiam non euacuare nisi ex accidenti, immò subdit, nec euacuare ex accidenti, quando videlicet est sola: voluit ergo Galenus inædiam non ex accidenti euacuare, si sola sit, sed opus esse, vt concurrat vel motus, vel ambientis caliditas; hinc fit, vt animalia in latebris degentia non inaniãtur per inediam, eò quod quiescunt, nec occurrunt caliditati aeris. Quid igitur est inędia? aduertatis inædiam nec indicatum esse, nec per ipsam indicari materiam: non est indicatum, quoniam quodlibet indicatum suam habet materiam; & materia per se existit, inædia verò est quid inexistens, nullamquè habet materiam, ideo non potest esse indicatum, nec materia indicati, quoniam nihil est.

Inædia est quid inexistens.

Quid requiratur, vt inędia ex accidenti euacuet.

Cur animalia in cauernis non euacuentur per inædiam.

Quare in curatione inædia emergit per viam cuiusdam sequelæ, verbi gratia, si morbus sit acutissimus, & virtus sit robustissima, expedit venam secare, quoniam materia indicat, & virtus coindicat: ratione victus virtus robustissima indicat cibum copiosum; morbus autem acutissimus prohibet, vt testatũ reliquit Galenus primo de rat. vict. 44. cum igitur virtus indicet, morbus prohibeat, quid agendum? dissentientibus inuicem indicantibus oportet ea perpendere, deinde id præstare, quod indicat indicans magis vrgens & potentius; in præsentia, nulla est vis virtutis, quoniam virtus est robustissima, & quibus in morbis virtus est robustissima, omnia quodammodo contemnit; secus autem res se habet, quãdo virtus est debilis: at cum summa sit vis morbi; est enim acutissimus, ideo licet virtus indicet alimentum, & id quidem copiosum, & morbus prohibeat, tamen id agere oportet quod iubet uis morbi, & propterea nullum est dandum alimentum, ex quibus apparet emergere inædiam per viam sequelę, neque esse indicatum: nam indicatum est cibus, qui

Quomodo inædia in curatione concurrat ad indicandum p viam sequelæ.

Dissentientibus indicantibus quid agendum.

qui tamen non est dandus, quia prohibet morbus. Sicut etiam venam non secare, est priuatio sectionis venæ, quæ à nullo indicatur, sed emergit tantum per viam sequelæ; quoniam licèt à plenitudinem indicetur venæ sectio, cum tñ virtus est debilis, illã prohibet, & propterea non est secanda vena, quod etiam dicendum est de inædia: secus tantum dicendum est de victu tenui, idest de victu materiam habente, quoniam probatum fuit, quomodo quantitas cibi desumatur à materia, à qua desumitur etiã qualitas ex Galeno 11. meth. 5. ratione enim obstructionis, idest materiæ obstruentis, indicatur iuuans extenuans; cuius materia est cibus attenuans. Idem etiam dicendum est de morbo, qui sanè non indicat quantitatem, sed qualitatem, ex Galeno 10. meth. 7. vbi vult à morbo indicari auxilium refrigerans, & humectans, cuius materia sunt cibaria, & potiones.

Hoc fuit etiam propositum ab Hipp. primo Aphor. 16. vbi præcipit instituẽdum esse victum humidum in febribus. Victum autem hunc indicari à febre, non autem coindicari colligitur ex traditis ibi à Galeno, vbi ait, victum talem esse instituendum, quoniam febris est passio calida & sicca; humidum autem aduersatur succo: Sed cum Galenus ibi sic scribat. *Cum Hipp. prius ægerit de quantitate cibi, modo loquitur de qualitate,* Et si loquitur de qualitate, vt indicatur à re præter naturam, cur etiam loqui non debuit de quantitate vt indicatur à re prẹter naturam? quenam debet esse diuersitas? Nec est quod quis dubitet cur Hipp. proposuerit humidum tantum: cum id fecerit, quoniam in illo Aphor. loquitur de indicantibus, & coindicantibus; & febrem proposuit loco exempli; vt ex proposito loquatur de febre. Vnde si proposuisset, frigidum & humidum, falsa fuisset ipsius sententia, non ratione indicantis. i. febris, sed ratione coindicantis. i. ẹtatis puerilis: hæc enim ætas coindicat victum humidum, non autem frigidum. Quare concludatis ex Gal. sententia 10. meth. primo in febre putrida oportere considerare vires, causam febris, & febrẽ ipsam. Quando considerantur vires, tunc institui debet victus, cuius materia sit optimi succi, paucarum superfluitatum, facilis concoctionis, distributionisq́; vnde dicit Galenus 2. de Facult. natur. 8. vi febris concoctiones lædi, ideo ibidem inquit: si excitetur bubo, non lẹditur coctio, nisi succedat febris; cũ subsequitur febris, lẹditur coctio, eò quod ipsa fit à calore temperato, non autẽ ab extraneo & febrili. Quare febri occurrendum est cibis, qui facile concoquantur, distribuantur, & optimum succum gignant, quorum quidem materiæ sunt complures, nempè carnes vituli, caponis, pulli, perdicis, auicularum montanarum: item oua recenter nata, vitellum silicet tantum ipsorum: item ex Galeno primo ad Glauc. cap. de cura tertianæ exquisitæ, testiculi gallorũ, & pisces saxatiles.

Cur Hippo. meminit de humido tantũ in Aphor.

In febribus putridis quæ sint consideranda.

Vi febris cõctiones leduntur.

Victus ratio.

Vnde quantum sit ratione materiæ, in febre putrida consideratur materia quatenus est vel putrida, vel non putrida; si materia sit putrida, hæc exigit remedium, quod habeat vim refrigerandi & exiccandi, cuius materia est multiplex, nempe acetosa, acetositas citri, succus arantij maturi, acetum, & huiusmodi alia: si verò non sit putrida, tunc varia debent esse cibaria, pro varietate materiæ; de quibus agemus in sermone de febribus in spetie.

Si materia putrida quid indicet.

Sed in febre putrida aduertendum ratione, materiæ obstruentis vtendum esse cibis deobstruentibus, detergentibus, attenuantibusquè veluti ptissana, seminibus melonum, & huiusmodi alijs, de quibus in tractatu de febribus specificis agemus.

Materia obstruens quid indicet.

K Postremò

Febris quid indicet.

Postremò ratione febris auxilium debet esse refrigerans,& humectans,cuius plurimæ sunt materiæ, vt ptissana, lactuca, semina melonum,& alia id genus. Ex his itaque patet, quænam indicentur à febre,causa febris,& virib⁹, & quæ nam sint istorum materiæ.

Diximus aliàs per indicationes opus esse & inuenire remedia; & inuentorum remediorum rectam indagare administrationem; Quare postquam hactenus egimus de inuentione cibi, nunc modo restat, vt de recta illi⁹ administratione tractemus, & proinde declarare nos oportet & quantitatem, & modum, & tempus: Quod itaque pertinet ad quantitatem, ex alibi traditis apertum esse dēt; quantum agendum sit,indicari ex ijsdem indicationibus, ex quibus indicatur etiam auxilium; sed ex ijs tamen, prout differunt secũdum magis, & minus. Vnde cum sermo sit de febribus putridis, in quibus considerare oportet vires, causam morbi,dispositionemquè febrilem; si considerẽtur vires, hæ, quò debiliores sunt, eò etiam maius requirunt nutrimentum: affectus verò morbifici, quantò vehementiores erunt, tantò etiam magis mĩnuente,& alterante victu vtendum esse indicabunt. Vnde si contingat,quòd in febre putrida, & quidem insigni, virtus sit valida, non est vtendum carnibus, nec contusis, nec destillatis, nec alijs huiusmodi plurimum nutrientibus: si autem virtus sit debilis, licet affectiones morbosæ sint insigniores,plus tamen potest vis virtutis debilis indicando alimentum, quam uis affectionis morbosę illud prohibendo; & ideo vtendum est victu plurimum nutriente,victu, inquam, non modo conseruante, sed etiam augente vires.

Quantitas cibi a quo indicetur.

Quõ sit procedendum in febre putrida circa victum.

Contra verò si virtus sit robusta, & affectio morbosa sit insignis, vtendum est victu valdè minuente,& alterante,quod proponitur à Galeno primo Aph. 17.vbi habet, *Si fuerit affectio morbosa, & insignis, vtendum est cibo copioso*, per cibum copiosum oportet intelligere cibum copiosum alterantem non nutrientem; dicit enim Hippocrates secundo Aphor. decimo. *Impura corpora quanto plus nutries, tanto magis lædes*, Galenus tamen in magna corporis impuritate primo Aphor. 17.proponit cibum copiosum.

Gal. locus explicatur.

Quare ita intelligatis, vt Hippocrates loco citato loquatur de cibo nutriẽte; Galenus verò primo Aphor. 17. de cibo alterante; vnde in febribus, in quibus est materia putrida insigniter, & valde copiosa, oportet alterare cibaria cum acetosa, cum copioso succo citri, cum copioso aceto,& id genus alijs,in quibus est vis alterandi, non nutriendi.

Explicatio loci Hippoc.

Aduertendum autem, quando indicatur uel cibus copiosus alimentalis, vel cibus copiosus alterans, an debeat dari copiosus vnica vice, an vero per plures vices: Hoc indicat virtus; & ratio est, quoniam siue sit cibus alimentalis, qui sit materia alimenti, siue alterans, qui sit materia remedij,qualiscũque sit,regitur a uirtute; virtus enim regit & cibum, & etiam materiam, quæ est materia præsidij. Vnde considerandum ex Galeno primo Aphor. 17.an virtus sit robusta,an verò debilis; Si enim sit robusta, vnica vice licet dare cibum copiosum,quoniã talis virtus potest copiosum cibum cõcoquere: si verò sit debilis,cibus dari debet in pauca quãtitate,& pluribus vicibus: nam licèt ratione affectus opus sit cibo copioso,quoniam tamen virtus est ita debilis, vt non possit cibum copiosum concoquere, ideo hunc per vices partiri oportet.

Quantitas discreta cibi a quo indicetur.

De quantitate discreta cibi.

Quò ad modũ, exhibendi sunt cibi iucundi; qñ.n.cibus est iniucũdus maxime nocet,nec ita gubernatur à uirtute; & propterea vult Gal. 12.meth.4.cibũ iniucundum

De modo dãdi cibos.

iniucũ dũ plurimũ nocere ventriculo; qm̃ ab ipso non amplexatur, sed redditur potius nauseabundus. Idem desumi potest etiam ex Hipp. 2. Aphor. 28. vbi vult, *cibum paulo deteriorem, sed iucundum præferendum esse cibo meliori, sed iniucundo*. Institutum ergo nostrum sit, vt ægris cibum quam maximè fieri possit gratum demus. Et si licet ad magis determinata descendere, in febre putrida, in qua vires potissimum diu laborarunt, cum hæ ita etiam coindicent, ita paranda sunt cibaria, vt quàm facillimè fieri potest concoquantur, vincanturquè à natura, quare vti oportet potius elixis quam assis. Et si virtus supra modum debilis videatur, vtendum est potius liquidis, quam consistentibus, *facilius enim est* ex Hipp. *impleri potu, quam cibo*. Quare vti oportet non solum contuso, sed etiam consumato; hæc enim maximè nutriunt. Præterea est & destillatum, idest aqua carnis, de qua loquens Auicena lib. 3. cap. de cura syncopis, dicit, ipsam plus nutrire, quam vinum: nam licet vinum citius nutriat, non tamen tantum nutrit, quantum aqua carnis. Præterea sunt & oua, quæ quando sorbilia conceduntur, ita coqui debent, vt leuem quandã acquirant consistentiam, non enim dari debent ita fluida. Hoc colligitur ex Gal. primo de ratione vic. 18. vbi ait, oua sorbilia lædere stomachum, ita vt ventriculus veluti subuerti videatur; & hoc est intelligendum de ouis sorbilibus, quæ nimis fluida sunt, & parum cocta. Sed si ęger ouis non delectetur cis illa non exhibeatis; non enim alia desunt, quæ loco ouorum dari possunt, quemadmodum, est panatella in iure consumpto. Præterea notandum est circa acetum ex Galeno 3. de rat. vic. 37. cò quod solet lædere ventriculum, neruosasquè partes: vt igitur remoueatis nocumentum ab illo, curetis acetum decoqui cum mulsa, cum passulis, & cum aqua herbæ illius, ex qua fit acetarium.

Si virtus sit debilis quales cibi conueniant.

*A*quam carnis pl⁹ nutrire q̃ vinum. Oua sorbilia debent habere aliquã cõsistentiam.

Acetum quomodo pręparetur noceat ventriculo.

Postremò quò ad tempus vniuersale, cognoscendum est quando danda sint cibaria: in re igitur tanti momenti distinctè procedendo oportet considerare imprimis cibum, quatenus est materia alimenti, idest quatenus est materia iuuantis indicati à virtute. Virtus itaque, cum sit illa, quæ indicat, potest considerari, vel vt valida, vel vt debilis est, & in præsentia nos consideramus virtutem in corpore febricitante: Si virtus sit valida, tunc considerandum, an adsit aliquod prohibens nec ne; tunc enim offerri debet cibus, quando adest præsentia indicantis, & nullum adest prohibens: adest autem præsentia indicantis, quando virtus est robusta: Si consideremus febrem, seu morbosã affectionem, hæc vel est cronica, vel est acuta; si sit cronica, tunc non prohibet alimentum nisi in tempore status; & ideo licet vti victu habente vim non minuendi, sed conseruandi virtutem. Si verò sit acuta, tunc virtus valida indicat conseruationem (virtus enim semper conseruationem indicat) sed indicat etiam vt ipsa moderatè debilitata conseruetur. Quare non expedit vti victu conseruante vires, prout validæ sunt, sed cibum subtrahere oportet. At si virtus sit debilis, morbus non potest prohibere; plus enim potest vis virtutis, quam vis morbi: secus autem res se habet, si virtus sit robusta. Et hoc est quod proponit Gal. primo Aphor. 9. vbi dicit. *In vigore morbi nos aliquãdo cogi dare cibum copiosum, & maximè nutrientem*. Cogimur autem ratione alicuius symptomatis, alicuiusuè casus, cuius vi vires prosternuntur, & hoc euenire solet in febribus putridis, & pestilentibus, & non modo in his, sed & in quibus apparent peticulæ, quæ non sunt febres verè pestilentes, sed accedũt quidem ad materiam verè pestilentem: in quibus cito concidunt vires,

Tempus vniuersale dandi cibaria. Virtus dupliciter potest considerari.

Febris dupliciter potest considerari.

Quando liceat cibare in statu morbi.

quæ plurimum debilitatæ conſeruari debent: vnde ſi in ipſis ex Hipp. vſi fue ritis in ſtatu victu tenuiſſimo, ęgros interficietis. Quare optimi practicantes in augumento, ſtatuquè præbent contuſum, & deſtillatum.

Quantum ſit ratione morboſæ affectionis, hæc non indicat cibum magis co pioſum in augumento, & ſtatu, ſed virtus eſt, q̃ illum indicat, & quidem maximè; hanc enim obſeruabitis ita debilitatam, vt cogamur non ſemel tantum in die dare contuſum, aut deſtillatum, ſed etiam ter, quaterq;, ſingulis videlicet ſex horis: vnde, cum dictum ſit ex Hipp. Gal. & Auic. & omnium ſententia, vbi inter ſe diſcrepant indicantia, eorum vim eſſe conſiderandam diligenter, & deinde inſeruiendum magis vrgenti, altero tamen non neglecto, & cum virtus omnium indicantium ſit regina, & ideo quando eſt debilis omnium magis vrgeat: propterea quotieſcunque illa ſit debilis vobis conſulo, vt exhibeatis cibum & in augumento, & in ſtatu alioquin, ſuccumbet virtus. Veſtrum tamen erit dare cibaria, quæ facile coquantur, & liquida, vt aquam carnis, & huiuſmodi alia, atque vt occurratis materiæ morbificæ corruptæ, malignæquè, alteretis ea multa copia acetoſæ, vel aliorum id genus.

De cibo ut eſt materia remedij.

Quod ſi conſideremus cibum, quatenus eſt materia remedij, ideſt quatenus eſt materia iuuantis, quod indicatur ab affectu morboſo, tunc conſiderãdum, qualis ſit hic affectus; nam ſi hic ſit cronicus, vno modo; ſi verò ſit acutus, alio modo illi eſt occurrendum; quod autem indicat eſt materia ratione & quantitatis, & qualitatis: quare opere prætium eſt inter initia vti cibo potius, quam in augumento, & ſtatu ratione alterationis. Quantum verò ſit ratione euacuationis, victus debet eſſe magis vacuans circa augumentum, & ſtatum, & præcipuè circa ſtatum, nullum namque tempus eſt, in quo melius ſit vti victu magis minuente, quam in tempore ſtatus; in ſtatu enim tenuiſſimo victu vtendum eſt, modo tamen vires ferrant. Quare optimi medici ante ſtatum ſolent occurrere viribus eas roborando, vt poſſint tempore ſtatus perferre victum illud tenuiſsimum, qui à materia morboſa indicatur.

Hic tamen aduertendum, quòd licèt verum ſit in ſtatu, quantum ſit ratione ipſius relati ad reliqua tempora, tenuiſſimo victu vtendum eſſe, non tamen ob hoc inferrendum eſt eodem modo in augumento ad principium relato, licere vti cibo magis minuente, quam in ipſo principio; hoc enim non eſt ſemper verum, nec etiam ſi conſideremus principium quo ad ſuam latitudinem, nempe quo ad primam & vltimam partem; non enim ſemper vti licet victu magis minuente in vltima parte, quam in prima. Hoc autem videtur aduerſari Hipp. qui primo Aphor. 4. dicit, quod quanto magis diſtamus à ſtatu, tanto minus euacuantem cibum dare debemus: quanto autem magis accedimus ad ſtatum, tanto magis euacuantem cibum exhibere debemus. Quare cum augumentum ſit magis proximum ſtatui, oporteret vti victu euacuante, minuente vè magis in augumento, quam in principio, & ſimiliter magis minuente in vltima parte principij quam in prima. Aduertatis, nos interdum dare victum magis minuentem in principio, quam in augumento, & in prima parte principij, quam in poſtrema, ratione virtutis; interdum etiam ratione materię morbificę, quod vt cognoſcamus q̃n faciendum ſitc, õfugiendũ eſt ad indicantia, & primò quò ad virtutẽ, de hac nulla eſt difficultas, nam ſi virtus ſit debilis ob aliquẽ caſum, verbi gratia ob aliquã euacuationẽ, quæ fiat in augumento, tunc in ſtatu nos cogemur ratione virtutis dare cibum, & ideo

Dubitatio.

Solutio.

optimi practicantes in pleuritide dant cibum minus euacuantem in augumẽto, quam in principio: nam si sit pleuritis, in qua fiat expurgatio materię per tussim (datur enim pleuritis humida, in qua apparet sputum) in tali euacuatione maxime laborat virtus, propter maximum motum, qui fit per tussim; vnde in tanto labore nequaquam instituenda est inædia: & hac de causa debetis in augumento cibum minus minuentem, & magis nutrientem dare, quam in principio, & in hoc nulla est difficultas. Sed dubium est quomodo hoc indicatur à materia morbifica: Quare aduertatis, materiam morbificam dupliciter considerandam esse, vno modo, pro vt actu vehementiam ostendit; altero modo pro vt vehementiam efficere potest, quod declaro: Si consideremus materiam, quatenus actu est vehemens & vehementiam ostendit, quoniam in principio debiliter, in augumento valentius, in statu valentissimè agit; propterea oportet in statu vti victu tenuissimo, in augumento autem tenui, in principio verò adhuc minus tenui. Si consideremus materiam, pro ut facere potest vehementiam morbi, cum materia hæc peccans in corpore sit præsens, & à præsenti sumatur indicatio, vt si oriatur febris ex repletione, & adsit etiã suspitio febris cronicæ, dari debet cibus magis minuens in primis tribus, vel quatuor diebus, quam in reliquis, non ratione virtutis, quoniam hæc in principio est robusta, sed ratione materię replentis, quæ in principio morbi nõ vehementer, sed debiliter agit, imminet tamen periculum, ne validè agat, & suffocet calorem naturalem. Et hoc desumitur ex Gal. lib. de ptissana, vbi ait, non dandam esse ptissanam integram antequam leniatur aluus, & minoretur materia: ex quibus apparet Gale. ante minorationem materiæ dare ptissanam colatam; post vero minorationem dare integram. Sed dicet aliquis quare Galenus dat cibum minus minuentem post primos dies; magis verò minuentem in primis diebus? dicimus illum id efficere, quoniam considerat vim indicantis, idest morbificæ materiæ, quæ licet nondum actu ostendat suam vehementiam, eam tamen potest ostendere. Communis quidem videtur esse medicorum sententia in ordinanda victus ratione, vt circa initia morbi copiosior detur cibus, progrediente autem morbo subtrahatur cibus, & eo magis subtrahatur, quo magis accedit ad statum; ita vt in statu victu maximè tenui sit vtendum: veruntamen hoc non est agendum in quocunque morbo, quando scilicet materia morbifica licèt nondum actu suam ostendat vehemẽtiam, eius tamen sit naturæ, vt maximè lædere possit, veluti in febre etiam cronica ex repletione corporis. Et hoc viderunt Auicena, Aetius & Mesue & reliqui, qui de paralysi loquentes iubent, vt in primis diebus vtamur victu admodum tenui, deinde verò procedente morbo augeamus victum: ratio fuit quoniam isti respexere vim materiæ quæ maximè potest indicare. Vbi paralysis est recens, & incipit, tunc occurrendum est ne materia infigatur, pertinaciterquè adhereat; semel enim infixa vix deinde potest eradicari; vnde miseri paralytici vt plurimum non possunt sanari. Quare in principio quoniam ita indicat vis materiæ, oportet vti minuente victu: & hoc aliqua ex parte insinuat Gal. primo Aphor. 4. vbi ait, *in morbis longis oportere vires fouere magna ex parte*, non dicit semper, sed magna ex parte, seu vt in pluribus, vt significaret, si morbus sit longus, sed vehemens, (& vehemens est quoniam insignis potest esse vis in materia) ob id expedire quidem vires fouere magna ex parte, non tamen semper, quoniam aliquãdo tam magna est vis materiæ, vt plus possit indicare victum minuentem, quam uis virtutis prohibere. Quod autẽ

Materia morbifica dupliciter considerari potest

Num in febre cronica ex repletione vberius sit cibandum in primis quam in vltimis diebus.

Ptissana quãdo danda colata & quando integra.

Cur Auic. & reliqui in paralysi vtãtur victu tenuissimo in primis dieb*

Gal. locus explicatur.

virtus minus possit prohibere victum minuentem, quam materia indicare, ex hoc persuaderi potest, quoniam non aliam ob causam instituendus est victus non ita tenuis, nisi quia periculum est, ne in tempore status cogamur vberius nutrire, quod est absurdum; semper enim oportet minus nutrire in statu in quocunque morbo, siue acuto, siue cronico.

Quomodo instituendus sit victus ratione morbi

Quantum sit ratione affectuum, semper respiciendum est futurum statum, atque ita ordinare victum, vt non cogamur dare cibum copiosum in statu. Vnde si in morbo acuto demus victum tenuiorem in principio, periculum est ne adueniēte statu cogamur dare cibum copiosum, & hoc imminet in morbo acuto quia cito futurus est status. At hoc non est timendum in morbo cronico: nam verbi gratia duraturus est morbus vsque ad quadraginta dies; si ante statum per sex, vel septem dies primos dabitis cibum minuentem, poteritis postea vberius nutrire vsque ad vigesimam; transactis viginti diebus cū accedat morbus ad statum, poteritis paulatim, ac paulatim cibum subtrahere; ita vt maxima fiat cibi subtractio prope statum, & in statu. Ex Hipp. hoc colligitur primo Aphor. decimo vbi ait; *Quibus in morbis status posterior futurus est, cibum subtrahere oportet, & in statu, & paulo ante statum*: non dicit multo ante statum, sed paulo, & vt per sex, vel octo dies.

Quare in morbis cronicis apparet, quomodo inter initia plus possit materia ad indicandum quam virtus ad prohibendum. Quare comproba tum sit materiam morbificam prout agere potest, & etiam vehementer indicare victum minuentem. Vnde Galenus etiam 3. de fracturis 48. & 49. in luxatione magni articuli præcipit, vt victu valde minuente vtatur per septem dies, nisi adfuerit febris: si verò adsit febris per quatuordecim; constat enim luxationem talem esse affectum valde cronicum. Verum ita locutus est Galen. quia considerauit plus posse morbificam materiam ad indicandum victum tenuē, quam virtutem ad prohibendum: nam cum sit luxatio in magno articulo, periculum est ne materia confertim confluat in affectum locum, fiatquè inflammatio, atque non possit affectus vlla ex parte remoueri, vnde patet summam esse vim materiæ morbificæ, & ob id plus posse ad indicandum. Verum cum hæc materia maioris sit potentiæ, si coniunctam habeat febrem, propterea febris indicat materiam morbificam esse potentiorem. Cum igitur febris indicet maiorem efficatiam materiæ: hinc est quod dicit Galenus vtendum esse victu minuente, si adsit febris, per quatuordecim dies, eò quod maximè potest materia morbifica: febris autem non indicat, sed concurrit tanquam signum indicans præsentiam materiæ, & ita Galeni locus intelligi debet. Quare si confugietis ad indicantia, certè nunquam errabitis, sed hæc de tēpore vniuersali exhibendi cibum dicta sufficiant.

Gal. locus declaratur.

Hora dandi cibaria in febris putridis

Loquamur modo de tempore particulari, idest de hora exhibendi cibos in febribus putridis, in primis tamen tāquam notum supponere oportet sermonem esse de cibo vtroque modo considerato, siue sit materia iuuantis alimenti, siue materia iuuantis remedij, & hinc colligendum est indicantia non alia esse, quam affectionem morbosam, & virtutem, morbum quidem ratione iuuantis remedij, virtutem verò ratione iuuantis alimenti. Quare sufficit cōsiderare, quæ sint prohibentia, & quæ sint antecedentia: quò ad prohibentia, dicit Hipp. primo Aphor. vndecimo. *In accessionibus abstinere oportet*, dicit etiam primo Aphor. 19. *In febribus circuitus habentibus in accessione ipsa abstinendū est à cibo*, ideo dicit ibi Galenus ciborum particularium tempus colligi posse

Prohibentia cibum.

ex

ex accessionibus ipsis, & præsertim quando febres habent integritatem, & potissimum, vt dicit Galenus 11. meth. vltimo, quando habent integritatem longam. Et ob id non est inferrendum, horam cibandi desumendam esse aut ab accessione, aut ab interuallo, ita vt interuallum indicet, accessio autē prohibeat; eò quod à tempore non desumitur indicatio. Quare in exhibendis cibis oportet maximè respicere virtutem, seu naturam regentem cibaria, siue sint alimenta, siue sint remedia; natura enim laborat, defatigaturquè, siue concoquat cibum, qui est materia alimenti, siue regat cibum, qui est materia remedij; cibus enim quando est materia remedij, agit in virtutem, in corpusquè, & magis etiam, quam quando est materia alimenti; & ideo elligi debet hora illa, in qua natura minus laborat, tali nanque hora poterit natura regere cibum, quicunque ipse fuerit.

Cum autem sermo sit de febribus, declarandum quid agendum in febre intermittente, & quid in continua. Quò ad febres intermittentes ex Galeno vndecimo meth. 8. hæ sunt in duplici differentia, vel enim longam, vel breuem habent integritatem, si longam habent integritatem, facilè est nosse horam dandi cibum, nempe per quatuor, quinquæ, & sex horas ante futuram accessionē: ratio huius est quoniam sicut in accessione materia morbifica ꝓhibet cibum, cuius materia est alimentum, quod à virtute indicatur, ita etiā virtus in tempore accessionis, quoniam defatigatur, & agere debet contra materiam, prohibet cibum, qui est materia remedij indicati à materia morbifica, quare in accessione non est cibandum. In integritate verò adest materia morbifica, quæ indicat præsidium, quod non prohibet virtus. Præterea in integritate, alimentum indicatum à virtute, non prohibetur à materia morbifica: cum igitur hic adsint indicantia, & prohibentia, iure in interuallo exhibere oportet cibum. Vtrum autem offerendus sit cibus per quatuor, vel quinque, vel sex horas ante futuram accessionem, hoc indicatur ex virtute, prout silicet, vel potest, vel non potest cibum concoquere ante futuram accessionem. Si virtus sit robustior, per plures, si debilior, per paucio-res horas antè accessionem cibum dare oportet. Quare hoc non sumitur ex cibo, ita vt cibus sit indicans, sed ex virtute, quæ indicans existit. Quod si febris habeat breue interuallum, dicit Galenus vndecimo meth. vltimo, duorum alterum esse agendum; vel enim oportet exhibere cibum, dum ęger maximè, & euidenter calet, vel alia ex parte, quando imminet accessio, & iam futura est: exhibendus ergo est cibus modo in statu, modo circa statum, modo circa principium. Sed vnde nam conijciemus nos eligendam esse potius vnam horam, quam aliam? Oportet respicere affectus morbificos, vt dicit Galenus loco citato, & per affectum morbificum intelligo, non modo morbum, sed & morbi causam.

Hora dandi cibum in febribus intermittentibus

In febre breuis interualli quomodo sit agendum

Vnde sumi debeat hora cibandi.

Affectus autem morbificus potest esse duplex, vel enim virtutem suffocat, vel virtutem resoluit, verbi gratia, si fuerit febris cum caliditate, cum affectu iecoris, vel ventriculi, & in principio accessionis materia cum impetu confluat in iecur, in ventriculum, tunc affectus hic morbosus agit suffocando virtutem, imminetquè periculum, ne illa suffocetur: Contra verò si affectus fuerit ad summum calidus, agit in virtutem, dissipando, resoluendo, & euocando calorem. Itaque si primum adfuerit, tunc oportet cibare potius circa statum, quam circa principium, ratio est, quia in principio, & circa principium plus potest affectus ad prohibendum, quam virtus ad indicandum, ideò

Affectus morbificus est duplex.

si tunc

ſi tunc dabitis cibum, ſuffocabitis calorem ægrorum. Contrà verò in ſtatu plus poteſt virtus ad indicandum alimentum, quam materia ad prohibendũ; in ſtatu.n.materia morbifica non poteſt tãtum, vt poſſit ſuffocare, ſicuti poteſt in principio; in principio nanque illa confluit ad interiora, ad viſcera, vnde periculum ſuffocationis imminet; in ſtatu verò calor eſt expanſus per totum corpus. Quare non multum poteſt affectus morbificus ad prohibendum, maxime verò poteſt virtus ad indicandum: nam cum non liceat dare cibum in interuallo, nec circa principium, virtus ſuccumbet, ideo neceſſe eſt cibare in ſtatu ratione virtutis, quæ tunc exigit cibi exhibitionem. Quod ſi affectus morbificus agat reſoluendo, oppoſitum eſt ſtatuendum: nam plus poteſt affectus morboſus in ſtatu ad prohibendum, quam virtus ad indicandum; cum enim reſoluitur virtus, maximè reſoluitur in ſtatu, & ante ſtatum, quoniam affectus hic calidus viget præcipuè in ſtatu, quare non eſt expectandum febris acceſſionem ad ſtatum deuenire, quia interim reſoluetur virtus, ſed in principio dandus eſt cibus, quia plus poteſt virtus ad indicãdum, quam affectus calidus ad prohibendum, quia tunc non poteſt vires ita reſoluere, quemadmodum tempore ſtatus.

Hora cibãdi in febribus continuis, ꝓportionatis, & nõ proportionatis.

At ſi febris fuerit continua proportionata, eligatis horam minoris afflictionis, quoniam qua hora natura minus affligitur, ea etiam poteſt commodius cibum regulare. At ſi febris fuerit continua non proportionata tunc ex Gal. vndecimo meth.5.conſideretis conſuetudinem, dateque cibum ea hora, qua conſueuit æger in tempore ſanitatis illum ſumere: quoniam rationi conſonũ eſt, vt natura ratione conſuetudinis ea hora facilius poſſit cibum perferre. Sed aduertatis etiam, non eſſe præter rationem dare cibum hora, vel aere tepidiore, verbi gratia, tempore æſtatis, hora minus calida; nam licet febris ſeruet eundem tenorem, ægri tamen hora diei calidiore magis cruciantur aſſumpto cibo, eò quod ſentiunt afflictionem, & febris, & caliditatis aeris, potiſſimum tempore æſtiuo, ſecus autem euenit ſi aer ſit tepidior, veluti circa diluculum, veſperaſquè; ratio enim dictat, patiens tunc facilius febrem perferre. Aduertatis etiam inter omnia, ne exhibeatis cibum ſupra cibum; cibus enim nondum coctus habet rationem antecedentis, ita vt non liceat dare ſecundum cibum, niſi primus fuerit concoctus; & hoc ne fiant cruditates, augeanturquè obſtructiones. At quidem hoc ſcire non ſufficit, ſed oportet etiam cognoſcere, cum dantur febricitantibus varia cibaria vt carnes, oua, ptiſſana, quod nam ex his, ſit prius aſſumendum. Quare conſiderandum an cibus, qui exhibetur, habeat, præter vim nutrientem, vim etiam lubricãdi, nec ne; ſi enim conferatur caro pulli cum carne vituli, caro pulli eſt facilioris coctionis, quam caro vituli, ſed caro pulli non habet vim lubricandi. Cum igitur comparantur inuicem cibi facilioris, & difficilioris coctionis, tunc ſi cibus facilioris coctionis fuerit lubricans, hic prius eſt aſſumendus, deinde reliqui. Hoc deſumitur ex Galeno 3.de rati.vict.22.vbi ait, primum ingerenda eſse cibaria quæ ſubducãt cruditates, & ob id dat in primis mulſam, quę vim habet lubricandi deinde ptiſſanam: ratio eſt euidens, quia cibus hic cito cõcoquitur, & concoctus cito etiam deſcendit ob ſui lubricitatem. Oppoſitum autem eſt ſtatuendum de alimento facilioris coctionis non habentis vim lubricandi; non enim debent dari primum cibi facilioris: deinde verò difficilioris coctionis, ſed econtra, verbi gratia primo caro vituli, deinde caro pulli, ratio eſt quoniam, cum ſermo fiat de alimento non lubricante, ſi detur pri-

De ordine ſumendi cibos.

mum

mum carò pulli, deinde verò vituli, cum caro pulli sit facilioris coctionis, citius concoquetur, & præsertim quia residet in fundo ventriculi, vbi viget maximè concoctrix facultas: caro autem vituli tardius coquætur, & quia talis est sua natura, & etiam quia residet in parte supra fundum ventriculi, in qua non ita viget vis concoctrix. Quare citius concoquitur caro pulli: concocta autem non potest descendere, quia non habet vim lubricandi, sed detinetur, & quidem plus æquo, quia non habet vim dictam: concoctus autem cibus nō debet detineri, quoniam sic potius corrumpitur, & ob id, quando cibus non habet vim lubricandi, alio modo est procedendum, ita tamen, vt consuetudini aliquid condonetur.

Sed dicet aliquis id esse contra Galenum 3. de ratione victus 35. cum ibi dicat non exhibenda esse in eadem mensa cibaria diuersarum facultatum, quoniam ventriculus maximè turbatur, ideo ibi improbat exhibitionem ptissanę, & oximelitis simul, & iubet, exhibendum esse vel oximel tantum, vel ptissanā tantum. Cui respondemus nos animaduertēdum esse sermonem fieri posse de cibo dupliciter, vel silicet pro ut est alimentum, vel prout est alimenti condimentum; si primo modo fiat sermo de cibo, tunc non est tutum varia dare cibaria, & hoc modo intelligi debet Galenus: at si sermo fiat de cibo, prout est condimentum alterius cibi, tunc licet permiscere varia cibaria. Hoc colligitur ex Galeno primo ad Glauc. cap. de cura tertianæ nothæ, vbi dat ptissanā cum pipere, origano, & huiusmodi alijs. Si verò alia ex parte consideremus varia, quæ eodem prandio exhibentur, vt omnia habent rationem alimenti, considerandum an sermo fiat de morbo acuto, an verò de cronico; si sermo fiat de acuto, rursus coniectandum an virtus sit robusta, an potius debilis; si sit robusta, non licet cibarijs vti diuersæ facultatis: & hoc modo intelligendus est Galenus loco citato, vbi etiam loquitur de victu acutorum: sunt autem diuersæ facultatis cibaria, veluti ptissana, & oximel, quoniam ptissana est materia victus tenuis; oximel verò est materia victus tenuissimi.

Dubitatio circa cibos diuersarum facultatum.

Solutio.

Vtrum liceat vti cibis diuersarum facultatum.

Gal. locus declaratur.

Vnde animaduertatis differentiam esse inter oximel sumptum pro condimento, & eundem acceptum pro materia cibi; cum enim vtimur oximelite gratia condimenti, tunc nos simul cum ptissana dabimus oximelitis ℥. ſ. vsque ad ℥. 1. Si verò illo vtemur pro materia victus tenuissimi tantum, poterimus illius exhibere ℥. 3. vel 4. Præterea hæc eadem differunt inter se, eò quod oximel est alimentum multo magis medicinale quam ptissana; & si in morbo acuto aliqui dent ptissanam, & illi immisceant parum panis madefacti, quē panatam dicunt, ita vt ex his duobus prodeat materia victus tenuis, cibꝰ hic non est vndique improbandus; non enim est differentia inter hæc tanta, quāta est inter oximelitem & ptissanam. Quod si sermo fiat de febre acuta, in qua vires sunt debiles, non est præter rationem dare ptissanam colatam, & cū hac miscere contusum, destillatum, emulsionem seminum melonum, & emulsionem amygdalarum dulcium; quoniam in febre acuta egemus victu minuēte, quem materia morbifica indicat. Sed si supponatur virtus debilis, non coindicat minuentem victum, & si illo vteremur, virtus laberetur: quare ratione virtutis debilis dabimus destillatum, contusum; ratione verò febris exhibebimus ptissanam, vt refrigeremus, ac detergamus. Præterea ut prouocemus lotium, si hoc erit opus, permiscebimus expſſionē seminū melonum; seu amygdalarum si somnum prouocare maluerimus. Quare non est præter rationem diuersa respicientes diuersa etiam simul miscere. Sed animaduertendum

Differentia inter oximel pro condimento & pro cibo.

tendum, vt semper horum, quando his vti contingit, exacta fiat mistio: & ideò postquam illa sunt commista, non debent illicò exhiberi, sed oportet vt horum lento igne fiat ebullitio aliqua per quinque horas, cuius ope fiat omniū miscela, & veluti vnicus fiat cibus; & hoc, quia virtus est debilis, de qua nō loquitur Galenus loco citato: eò quod hæc non potest fere victum minuentē. At si morbus sit cronicus, licet exhibere cibaria plura; optimum tamen est pauciora dare: & ideò optimè faciunt medici, & multo etiam melius ægrotantes, quotiescunque vtuntur cibo syncero, vt quando sunt contenti sola carne uel pulli, uel perdicis; qui quidem modus non est improbandus, sed maximè laudandus. At quidam ægrotantes adeò nauseabundi sunt, ut si eis unus tm̄ cibus offeratur adeo parum comedunt, ut eorum tandem uires concidāt. Aliqui etiam tempore sanitatis consueuerunt uti diuersis cibarijs, quibus si præbeatur sola caro pulli, non est possibile seruare eorum uirtutem, & ideò consuetudini aliquid est condonandum. Galenus itaque tunc loquebatur de morbis acutis, in præsentia autem loquitur de febribus cronicis, & ideo in quartana cogimur uti, in eodem etiam prandio, diuersis cibis. Hæc de cibo & ordine illum sumendi dicta sufficiat.

DE POTV.

Potus est materia alimentalis, & materia remedij.

Sequitur autem ut de Potu loquamur, qui dupliciter considerari potest, uel quatenus est materia potus alimentalis, & quatenus est materia remedij; ita ut ex his sit inferendum, potum esse materiam iuuantis, quod indicatur à uirtute, à materia morbosa, & à febre. Quò ad uirtutem huius gratia conuenit potus, qui sit ualde tenuis, & purus: tenuis quidem, ut uehiculum sit alimenti: purus uerò, ut magis conseruentur uires. Vnde materia potus modo est aqua modo uinum, & si est aqua, interdum nutrit, aliquando non nutrit: si autem est uinum, necessario nutrit. Quantum ad aquam, ut colligitur ex Hipp. 3. de rat. uictus 40. optimum est eam eligere quæ sit potius cocta, quam cruda, quoniam per coctionem pars crassior, aquæ descendit atque rescidet, & ideo aqua depuratur, fitquè expers crassioris partis. Aqua uerò cruda ob sui crassitiem diutius immoratur in uentriculo, & si contingat illum esse biliosum, aqua corrumpitur. Quare eligi debet aqua cocta, quæ habet rationem uehiculi alimenti, non autem alimenti. Acquirit autem uim alimenti, si cum carne coquatur, cum ex ipsa fiat ius, quod si destilletur, fit ius destillatum, quod in potu optimum est, cum frigidum hauriri possit; est enim materia alimenti, seu indicati à uirtute. Quò ad uinum; oportet ratione uirtutis eligere uinum purum, ac tenuis substantiæ: & ideò oportet ipsum non esse recens, sed uetus; quia recens impurum, & excrementosum est ex Galeno tertio de ratio. uic. primo & secundo. Vt autem uinum sit substantiæ tenuis, oportet factum esse ex uuis optimè maturis: debet etiam esse, non quidem dulce, quia obstruit, sed boni saporis, ut sit gustui iucundum, siue album sit, siue rubrum.

De Aqua.

De Vino.

Quod si consideremus potum pro ut est materia iuuantis indicati à materia morbifica; materia in febre putrida est duplex, uel putrida, uel non putrida; ratione materiæ putridæ indicatur auxilium refrigerans, & exiccans, cuius materia est aqua, sed alterata aceto, syrupo acetoso, acetositate citri & huiusmodi: ratione autem materiæ non putridæ indicatur auxilium uarium,

prout

prout varia est materia, vt si materia sit pituitosa indicatur auxilium aliqua ex parte calefaciens, alterans, detergens, cuius materia est aqua alterata cum petrosellino, fęniculo, pipere, cinnamomo, & huiusmodi alijs. Præterea huius præsidij materia potest esse vinum; potius vinosum, vel mediocre, quam pauciferum: potest etiam esse vinum medicatum, vt vinum absynthite. Postremò quò ad febrem, hæc indicat refrigerans, & humectans auxilium, cuius materia est aqua hordeacea, aqua alterata cum seminibus melonum, vel cucurbitarum, cum lactuca, & huiusmodi alijs refrigerantibus, humectantibusquè.

His ita constitutis, sciendum est qua nam materia vti liceat in febribus putridis. Sed hoc scire impossibile est, nisi sciatur, an respiciendæ sint potius vires, an materia febrilis; ex his enim cognoscetur & quantitas, & tempus, & quæcunque demum concurrentia in materia proposita desiderari possunt. Primum ergo si consideremus vim febris, hæc tãtę est potestatis, vt prohibeat auxilium, cuius materia est vinum. Quod desumitur ex Gal. 7. meth. 6. vbi loquens de siccitate, & de affectu, in quo necessaria est refectio dicit, dandum esse vinum, nisi adsit febris, quo in loco loquitur de intemperie sicca, & tamẽ non audet dare vinum, si adiuncta sit febris in corpore squallido, consumptoquè. At forte dicit aliquis, dandum non esse vinum vinosum, quoniam tale prohibetur à Galeno. Cui respondeo Galenum ibi dicere, non dandum esse vinum aquosum, quia loquitur de vino paucifero. Quare uobis consulo, ne in febribus putridis cõcedatis vinum, quia à febre prohibetur. Sed aduertatis, vinum non modo in principio, augumento, & statu prohibendum esse, sed etiam in declinatione quandoque; non tamen in omni febre, sed in continua tantum; non enim in declinatione febris intermittentis prohibetᷓ; quoniam tunc plus potest virtus, quam febris, hæc enim non põt esse tam vehemens vt inhibeat vinum, sed solum in febribus continuis hoc euenit. Quod cognoscens Gal. 11. meth. 9. dicit *non dandum esse vinum, nec vtendum esse lauacro, inunctioneque:* & ibi loquitur de ijs, quibus vti oportet post euacuationem totius corporis, & per vomitum, & per aluum, & per sudorem, & demum quomodocunque: propterea sermo est de febre existente in declinatione: & ideo dicit in hac febre exhibendum esse vinum nisi obstet febris magnitudo, obstat autem non in intermittentibus, sed in continuis; in harum enim declinatione potest aliquando adeo intensus esse calor, vt si detur vinum, calor adhuc magis intendatur, adeo vt si sit in habitudine, fiat in habitu. Vnde obseruatur aliquando febres putridas tolli, & illis succedere hecticas, nec alia de causa, nisi propter vinum intempestiuè sumptum. Prohibetur ergo vinum etiam in declinatione febris continuæ tantum, quo fit vt cum febris huiusmodi curanda occurrit, non exhibendum esse vinum, sed loco eius aquam. At dicet q.s quæ nam aqua est propinanda? Dicimus non aquã alteratam cinamomo, pipere, aniso & huiusmodi siccantibus, quæ si libet aliquando in illa incoquere, ea tamen sint in pauca, minimaquè quãtitate; melius tamẽ est ab his abstinere. Hoc proponit Galenus 8. meth. 4. loquens de ephemera ex obstructione, vbi ait, post venæ sectionem vtendum esse detergentibus, sed citra caliditatem, vt non sit tutum vti iride, pulegio, origano, & apio; quoniam calefaciũt, sicuti etiam vinum: quare si non licet vti vino, nec vti licet aqua ijs alterata, quæ æque ac vinum calefaciunt. Quod si contingat, vt in febre virtus sit debilis; debilis autem potest esse vel per suffocationem, vel per resolutionẽ: si

sit

Instantia.

Responsio.

In febribus putridis non dandum vinum si continuę sint.

Gal. locus declaratur.

In febribus continuis nõ danda aqua alterata calidis vt cinamomo.

Virt⁹ potest esse debilis dupliciter.

sit debilis per suffocationem, considerandum diligenter, an suffocatio pēdeat tantum ex succis copiosis, an potius ex copiosis & crudis simul; si enim pendeat ex copiosis tantum, hæc virtus non est illa, quæ indicet auxilium, cuius materia sit vinum, quia plus potest febris prohibendo. Et ob id Galen. in syncope primo ad Glauc. 14. in qua vires dubio procul cadunt ex repletione, iubet esse abstinendum à vino. Quod si contingat, soffocationem fieri, & virtutem debilem reddi ob succorum non modo copiam, sed etiam cruditatem, tunc perpendendus est pulsus patientis ex Galeno 12. meth. 3. qui si repente ad imbecillitatem, inæqualitatem, & paruitatē non mutetur, non debet dari vinum; plus enim potest febris prohibendo, quam virtus indicando.

In syncope ex repletiōe non dandum uinum.

Qūo ex pulsu liceat dare uinum.

Quod si hæc mutatio in pulsu repentē oboriatur, tunc oportet dare vinum, quia plus potest virtus indicando. Verum hæc non vsque adeo potest, vt negligere liceat affectus morbificos, quoniam Gal. dabat vinum, sed tamen aquosum, & pro condimento potius cibi, quam pro potu; propinabat enim non vinum, sed panem in vino aquoso madefactum, vt significaret dandum esse vinum in minima quantitate.

Quod si virtus debilis sit, quia resoluatur, considerandum, an propter resolutionem parum, an multum concidat adeo, vt sit vel cum leui, vel cum insigni imbecillitate: si sit debilis quidem, sed tamen mediocriter, hæc à Galeno vndecimo meth. 9. vocatur virtus non valida: non appellat autem hanc validam, quia non est valida, nec debilem, quia non est extremè debilis, sed vocat non validam, quia inter has medium sortitur locum: si ergo sit virtus talis, tunc respicienda est febris, hæc enim est vel insignis, vel moderata; si sit insignis, plus potest febris prohibendo vinum, quam virtus illud indicando, & ideo Galenus loco citato in virtute etiam non valida, cum febris erat vehemens iubebat abstinendum esse à vino. Quod si febris sit moderata, tunc si conferamus vim febris moderatæ cum virtute non valida, plus potest virtus indicando vinum, quam febris illud prohibendo. At non ob id statim est propinandum vinum, sed ex Galeno loco citato consideranda est etiam morbi materia, nam (dicit Galenus) si virtus sit non ualida, febris sit mediocris, & præterea sint notæ coctionis materiæ, his existentibus licet dare uinū aquosum, & pręsertim si ambiens sit frigidum quia imminuit vim prohibētis illud; calidum uerò auget uim febris, & proinde prohibet uinum, quod dicit Galenus, quia eo in loco loquebatur de cura febris putridę continuę, immo continentis nempe de synocho cum putredine in quibus nullo pacto exhibendum est uinum, quod tamen 8. methodi cap. 3. in diarijs cōcedit: ibi subdit Hipp. non modo in diarijs, sed & in acutis febribus uinum exhibuisse; dicit enim Hippocr. 4. de rat. uictus 41. *In morbis acutis si suspitio sit vel grauitatis capitis, vel delirij, prorsus abstinendum est à vino*, tuncquè oportet exhibere uel aquam, uel uinum aquosum, atque post uinum superbibenda est aqua. Quæ dicta Hipp. & Gal. intelligi debent hoc modo dandum esse uinum febricitantibus seruatis seruandis, idest quando adest præsentia indicantis, & nullum adest prohibens. Quare in febribus acutis exhibendum est uinum ex Galeno undecimo meth. 9. quando uirtus est non ualida, qn̄ febris nō est insignis, sed potius moderata, quando etiam non adest materia prohibens, & adsunt signa coctionis: Et licet Hipp. loco supracitato dixerit in febribus acutis abstinendum esse à uino, cum adest suspitio uel grauitatis capitis, uel delirij, ob id tamen noluit significare (sicuti quidam perperam dicunt) dandum esse uinum in acutis, qn̄

Explicatio loci Galeni.

Explicatio locorū Hippoc. & Gal.

Quando liceat dare uinum in febribus acutis.

non

non adest suspitio doloris capitis, aut delirij, & ideo vos in febribus acutis, licet nulla adsit suspitio grauitatis capitis, nec delirij, non debetis concedere vinum; considerare enim oportet alia multa à Galeno proposita vndecimo meth. 9. & à nobis etiam paulo supra relata; quare vinum dari debet semper seruatis seruandis. Hipp. aũt loco citato monere voluit, quod licet febris acuta sit moderata potius, quam intensa, virtus adsit nõ valida, & signa coctionis materiæ, & proinde nec febris, nec materia prohibeat; non tamen ob id semper dandũ est vinum, sed præter hæc aduertendum etiam, an adsit quid aliud, quod prohibeat, nec ne, vt vel grauitas capitis, vel delirij suspitio. Animaduertatis autem indicationem, nõ desumi à symptomate, quoniam qñ symptoma concurrit ad indicandum, concurrit & indicans vitale, quatenus. s. vires lædit, vel mediatè, vel immediate, & ideo si symptoma refereretur ad vires, vt indicans, indicaret potius vinum, quam prohiberet, virtute symptomatis; quare Hipp. non proponit hæc symptomata vt indicantia, sed vt signa indicãtis materiæ morbificæ: vnde hic indicatio non sumitur à symptomate, sed à materia morbifica, quæ habet raptum ad caput, quæ indicatur ex symptomate, idest ex suspitione grauitatis capitis, aut delirij: ideo materia morbifica est illa, quæ prohibet vinum indicatum à virtute: vnde si materia raptum habens ad caput prohibet, quanto maiorem habebit raptum, tanto etiam magis prohibebit. Quare cum multa aderit grauitas capitis, multumq; delirium, multo magis abstinendum erit à vino: Recte igitur dicit Hipp. *In morbis acutis si suspitio sit doloris, vel grauitatis capitis, vel delirij à vino prorsus est abstinendum*, & quo potu vti oportet Hipp. declarat subdẽs, *Tunc vel aquam exhibere oportet, vel vinũ aquosum*.

At dicet aliquis si exhibeamus vinum aquosum, quomodo à vino abstinebimus prorsus? quare manifesta apparet controuersia in dictis Hipp. nam primũ ait abstinendum esse à uino ratione illorum symptomatum, deinde subdit dãdam esse aquam vel vinum aquosum. Pro huius contradictionis solutione sciendum est vinum considerari posse dupliciter ex Gal. 3. de rat. vic. 20. datur enim vinum quod dicitur oligophorõ, vinum aquosum, datur & vinum, quod vocatur polipheron, vinum uinosum, dicit autem Gal. differentiam esse inter hæc vina, quia vinum oligophoron, seu aquosum minimam sustinet aquæ mistionem, vnde si cum ipso misceatur aqua omnes ferè vires amittet; contra vero vinum poliphorõ, seu vinosum sustinet multam copiam aquæ, ita vt etiã si cum eo misceatur maxima aquæ copia, ad hoc tñ proprias vires conseruet: ratio est, (dicit Gal.) quia vinum oligophoron non expertus est insignem mutationem in ligno vitis; nec est multum particeps terreę, & multo minus igneæ portionis ad differentiam vini vinosi, in quo hæc omnia maxime vigent. Pręterea vinum adhuc dupliciter considerari potest; vno modo vt est vinum syncerum, siue sit aquosum, siue sit vinosum; altero modo vt non est syncerum, sed sibi admistam habet aquam; quod vinum non dicitur oligophoron, sed vinum aqua permistum. Hæc autem mistio adhuc dupliciter fieri potest; vel. n. fit mistio aquę copiosæ cum vino pauco, & hoc debet vocari potius aqua vinosa, q̃ vinum aquosum, & hæc mistio ex Gal. 3. de rat. vic. 40. fit vt aqua magis penetret, cum vinum sit tenuis substantiæ. Altero modo fit hęc mistio, quando cum vino miscetur aqua sed pauca, & hoc dicitur vinum lymphatum. Quibus sic se habentibus pro contradictionis solutione dicimus, quod qñ Hipp. dicit, apparentibus illis symptomatibus esse abstinendum à vino prorsus, intelligit abstinendum

Symptoma qũo concurrat ad indicãdum.

Controuersia in Hipp.

Solutio.

Vinum dupliciter capitur.

Mistio vini cũ aqua ẽ duplex.

Hipp. locus declaratur.

nendum esse à vino syncero, tum vinoso, tum aquoso. Quando verò deinde subdit exhibendam esse vel aquam, vel vinum intelligit solũ vinum oligophoron, quod secum habet mistam aquam, neque tamen propterea vult, Hippo. vel semper exhibendam esse aquam, vel semper exhibendum esse vinum oligophoron seu lymphatum, sed vult offerendam esse modo vnam, modo alterã potionem, quando adsunt illa symptomata: semper.n.respicit eam. Vt autẽ cognoscamus, existentibus illis symptomatibus, quando aqua, & quando vino lymphato vti oporteat, cum disiunctim loquatur Hippocrat. confugiendũ est ad indicantia; nam si virtus sit non valida.i.nonmultũ debilis, si præterea febris sit potius intensa, q̃ vel mediocris, vel remissa, si præterea adsint signa ctionis materiæ non admodum perfectæ; tunc plus possunt prohibentia vinũ ex toto, quam indicantia; quare aquam exhibere oportet in febre acuta cum suspitione illorum symptomatum, & cum alijs iam propositis conditionibus. Quod si eueniat, existentibus illis sympto. virtutem esse admodum imbecillam, & præterea febrem esse moderatam, & adesse signa coctionis materiæ perfectæ, tunc plus potest virtus, indicando, quam materia morbifica, ab illis symptomatibus indicata prohibendo. Verum, qm̃ indicantibus inter se discrepantibus, quæ habent rationem vrgẽtis, oportet vtrique occurrere, magis tamen vrgenti, altero non neglecto, ob id monebat Hipp. vt gratia virium exhiberemus vinum, ratione verò materiæ morbosæ, vt vinum daremus oligophorõ, & non modo oligophoron, sed & lymphatum; atq; non oligophorõ modo, & lymphatum, sed & ea arte, eaq; ratione datum, vt roboraret vires, nec peteret caput, neque deduceret materias ad illud. Quare iubebat, vt post vinum superbiberetur aqua; aqua enim superbibita prohibet, ne vinum euaporet ad caput. Ecce quàm diuinè respicit Hippocr. omnia indicantia vrgentia, ita tamen, vt magis vrgenti inseruiat altero non neglecto: itaq; ex his nulla est in Hipp. dictis controuersia: ex his igitur patet, quid exigat virtus, siue sit robusta, siue sit non valida.

Aqua ne, an vino sit vtendũ lymphato.

At si alia ex parte consideretur virtus, vt est admodum debilis, hæc põt dupliciter cõsiderari, vel ut est debilis per suffocationem, uel per resolutionem, de suffocatione supra diximus. Virtus debilis facta per resolutionem est insigniter debilis, & hæc imbecillitas potest esse duplex, uel.s.secundum solida, uel secundum spiritus; si sit secũdum solida, ut in hectica, immo in hectica cõfirmata, & marasmo, hic plus potest febris prohibendo, q̃ virtus debilis resoluta indicando, adeo ut sit abstinendum à uino. Hæc sententia est Gal. in libr. de marasmo circa finem, ubi in marasmo deurente nedum in hectica incipiente ait abstinendum esse à uino; ratio huius est, quoniã plus potest uis febris prohibendo, quam uirtus indicando. Verum hic parum digredientes, quæso consideremus indicantia, & prohibentia, desumpta à uirtute & à febre hectica supponamusquè uirtutem esse debilem, & esse reginam omnium indicantium summa certè ex una parte est uis febris, quoniam affectus est calidus, & siccus, calidus inquam, non modo in habitudine, sed & in habitu, ut si uis hæc calidior resoluens perseueret, dubio procul actũ sit de uita patiẽtis; immo uerò celerrimè hic moriatᷣ: eò ꝗ uirtus resoluta ex toto iam dissipatur, quia uiget causa resolutionis, nempe auxiliũ calefaciens, cuius materia est uinũ. At summa ẽt alia ex parte est uis uirtutis resolutę, uirtutis inq̃, prout cõsistit ĩ solidis, q̃ exigit alimentũ cõsistens, & maxime nutriẽs, licet nõ tã cito, cuius materia nõ est ex necessitate uinum, sed est destillatũ, aqua carnis: nam ex Auic. lib. 3. Tract.

Debilitas virium põt esse duplex.

Discursus circa febrem, & virtutem.

Tract. de syncope, aqua carnis plus nutrit, q̃ vinum; & in tali casu egemus alimento maxime nutriente, qualis est aqua carnis quæ vires roborat, nec prohibetur à febre, sicuti prohibetur vinum. Quare vobis etiam atque etiã consulo, vt in hectica abstineatis omnino à vino nam, si in principio, vel in progressu hecticę dabitis vinum ægro, confirmabitis febrem, & sic ęgrotantẽ interficietis. Quod si consideremus virtutem resolutam, pro ut consistit in spiritibus, tunc necesse est dare vinum; & ideo Gal. 12. meth. 6. in syncope & resolutione virium dat vinum, sed tamẽ aquosum: ratio huius est, quoniam in hac resolutione plus potest virtus debilis indicando, quam febris inhibendo; eò quod virtus consistens in spiritibus, quando resoluitur, indicat auxilium reficiens, & quidẽ celerrimè, cuius materia nihil aliud est, quam vinum; nihil. n. celerius nutrit vino ipso, & ideo Gal. dat uinum, sed aquosum, eò quod oportet respicere febrem ipsam.

Aqua carnis plus nutrit q̃ uinum.

A vino abstinendum in hectica.

Quod dictum fuit de virtute respectu febris, idem etiã dicendum est de materia in febribus continuis, & in intermittentibus: In febribus. n. continuis, si materia sit cruda, prohibet vinum: si verò sit cocta tũc vel est copiosa, vel nõ; si sit copiosa, adhuc vinum prohibet; si non sit copiosa, interdum prohibet illud, interdum non: veritatem hanc explicat Gal. 11. meth. 9. vbi dicit: exhibendum esse vinum, quando adsunt signa coctionis, vt ex ijs significaret non dandum esse vinum non apparentibus signis cõcoctionis. Ex parte igitur febris materia cruda vinum prohibet: ratio est quoniam si redundante materia cruda detur vinum, cum sit in causa ob sui tenuitatem, vt materia penetret per corpus, & commoueatur, materia sic commota obstructiones ex leuibus insignes reddet; vnde augebitur febris, & malum fiet periculosius.

Gal. locus declaratur.

Cur in febribus vbi materia est cruda non conueniat vini potus.

Præterea vinum prohibetur etiã à materia cocta, sed copiosa, & ideo Gale. ait, exhibendum esse vinum apparentibus signis coctionis: Per signa coctionis oportet intelligere signa coctionis non manifestè tñ, sed etiam perfectę, ita vt febris non sit in augumẽto, nec in prima parte status, sed propè declinationẽ, vel in declinatione. Hæc etiam veritas colligitur ex Gal. loco citato vbi in febre illa continua dat vinum post totius euacuationem, factam vel per uomitum, si materia vergebat ad os, vel per aluum, vel per lotium, aut per sudorẽ, iubetq; vtẽdum esse vino post omnes has euacuationes; quare hoc fit, qñ materia est concocta, & maxima etiam ex parte euacuata. Aduertatis tñ vinum maxime prodesse, si tẽpore oportuno exhibeatur: eò quod oẽs promouet euacuationes, & ideo quod reliquum est materiæ, beneficio vini expellitur extra corpus per partes iam propositas. Quod si materia sit cocta, non tñ copiosa, sed illa quidem sit maxima ex parte euacuata, tunc modo dandum est vinum, modo non, qua in re oportet consulere vires, & febrem: nam licet materia sit cocta, & maiori ẽt ex parte euacuata, si tñ febris sit intensior, nõ debet dari vinũ: At si febris sit moderatior, exhiberi potest, quemadmodum exhibet Gale. si verò vires sint debiles, & febris sit non moderata, tũc oportet eodem modo progredi, quo ex Hipp. 3. de rat. vic. 41. declarauimus; exhibẽdumq; est vinũ oligophoron, & lymphatum, augendaq; est quantitas vel aquæ, vel vini, pro ratione febris, & virium. Sed dicet aliquis, quemadmodum (vt ex dictis patet) plurimum refert scire, an dandum sit vinum in febribus intermittentibus, ita hoc mihi scitu difficillimum se offert: nam si consideremus dicta Gal. videbimus ipsum in illis modo probare, modo improbare vinum: nam primo ad Glauc. cap. de cura tertianæ exquisitæ, dicit tunc exhibendum esse vinum, qñ

Vinum prohibetur etiã a materia cocta.

Loci Gal. explicatio.

Dubitatio.

 morbus

morbus incipit concoqui, pauciferum tñ, & in pauca quantitate: cum autem morbus est omnino concoctus, tunc illud dandum esse in maiori quantitate: Præterea eodem lib. cap. de cura quartanæ exquisitæ vinum etiam probat. At vbi agit de cura tertianæ nothæ; & quotidianæ exquisitæ, ne verbum quidem facit de vino: quomodo igitur cognoscam, qñ dandum & qñ non dandum vinum in intermitentibus. Omissis aliorum solutionibus breuiter dicimus, q in febre intermittente oportet considerare vires febris, & materiam; Si considere remus materiam, materia cruda plus potest prohibendo vinum, quam virtus indicando: materia verò cocta illud nequaquam prohibet, & plus potest virtus indicando, quam materia & febris prohibendo. Vnde aduertatis differentiam esse inter febres continuas, & febres intermittentes, qñ in febre continua, si materia sit cocta, sed copiosa, non exhibendum est vinum; in intermittente verò licet ipsum propinare, dummodo materia sit exactè concocta; qñ enim in hac febre materia est exactè concocta dispositio febrilis non est vsquè adeo intensa, vt prohibeat vinum. At si contingat, materiam partim coctã, partim verò crudã esse in febre intermittente, tunc modo exhiberi, modo non exhiberi debet vinum. Sed quomodo cognoscetur nunquid dandum sit vinum, an non? Ponderanda est vis indicantium: nam si febris sit intermittẽs, hæc vel longum habet, vel breue interuallum; si habeat interuallum longum, tũc plus potest virtus indicando, quam dispositio febrilis prohibendo; & quã portio materiæ crudæ inhibendo; & ideo tunc vinum exhiberi potest. Vnde fundamenta respiciens Gal. exhibet vinum in tertiana exquisita, qñ morbus incipit concoqui, idest morbi materia, licet non sit ex toto concocta; qm̃ in tertiana intermittente exquisita, nõ autem in omni tertiana intermittente interuallum est longum: ad minus. n. perdurat per spatiũ trigintasex horarũ: quare dispositio febrilis non prohibet, sed plus potest virtus indicando. Idem etiam dicendum est de quartana; nam & hæc febris habet integritatẽ maxime diuturnam: quare etiam in quartana Gal. concedit vinum, etiam si materia ex toto nõ sit concocta. Quod si sit febris habens integritatem breuem, in hac plus potest vis febris prohibendo vinum, vnà cum cruditate materiæ, aliqua tñ ex parte concoctæ, q̃ virtus indicando. Atque ob id Gal. loquens de quotidiana exquisita, de tertiana notha, & proinde de febribus intermittentibus quidem, sed habentibus breue interuallum, vinum non proponit, sicuti facit in reliquis febribus: & hæc dicta sint de inuentione, atque de administratione huius auxilij.

Solutio.

Differentia inter febres continuas & intermittentes circa exhibitionem vini.

Qũo cognoscatur an liceat dare vinum nec ne.

Gal. locus declaratur.

DE SOMNO, ET VIGILIA.

Quod attinet ad somnum, & vigiliam, in putridis febribus hoc est seruãdũ, vt somnus nec immodicus sit, nec superfluus, & hoc colligi potest ex Gal. 12. meth. 3. In præsentia supponendum est quod si aliqua reperitur febris, in qua somno opus sit, est præcipuè hæc proposita; in hac. n. redundant crudi humores qui beneficio somni possunt concoqui: iubet tamen Gal. non esse plurimũ dormiendum, sed moderatè, & hac quidem de causa, vt silicet per somnum fiat materiæ concoctio, per vigilias autem eiusdem concoctæ distributio per totum corpus: vnde si somnus sit æquo diuturnior, aggrauabuntur, replebunturquè viscera, quoniam materia concocta non distribuetur sicuti oportet; vnde requiritur somnus præcipuè nocturnus, nisi accessio prohibeat, quoniam in accessione dormiendũ est potius in declinatione, quã in reliquis tẽporibus: nã in principio accessionum maxime noxius est somnus, minus autem in augmento,

Somni moderati vtilitas.

gumento,

gumento, adhuc verò minus in statu; ad huc demum multo minus in declinatione; vt colligitur ex Galeno secundo Aphor. quinto. Nec obstant dicta Auic. in capite de cura febrium putridarum in generali, nempe somnũ in tempore status esse pessimum, quoniam intelligit hoc de somno per viam signi; eò quod somnus in statu indicat virtutem admodum labefactatam; in statu enim fit expansio caloris per vniuersum corpus ad differentiam principij, in quo fit concentratio ipsius: Quare somnus in statu est pessimus per viã signi, propterea quod summam arguit virtutis imbecillitatem; non est autẽ intelligendum, quod non sit tutius dormire in statu, quam in principio accessionis, quoniam hoc est verum. Controuersia inter Gal. & Auic. Auic. locus explicatur.

Quò ad motum, & quietem, debent quiescere febricitantes, præterquam in quartana intermittente, vt docet Galenus primo ad Glauc. cap. dictis. Quantum denique spectat ad inanitionem & repletionem, atque ad animi accidentia nihil est quod dicamus, eo quod hæc etiam muliercu lis ipsis nota ac ma-festa sunt. De Motu & quiete.

Cum igitur hæc de febribus putridis in genere dicta sufficiant, reliquum est vt earundem specificam tractationem aggrediamur.

Finis Primi Libri.



gumento, adhuc verò minus in statu; ad huc demum multo minus in declinatione; vt colligitur ex Galeno secundo Aphor. quinto. Nec obstant dicta Auic. in capite de cura febrium putridarum in generali, nempe somnũ in tempore status esse pessimum, quoniam intelligit hoc de somno per viam signi; eò quod somnus in statu indicat virtutem admodum labefactatam; in statu enim fit expansio caloris per vniuersum corpus ad differentiam principij, in quo fit concentratio ipsius: Quare somnus in statu est pessimus per viã signi, propterea quod summam arguit virtutis imbecillitatem; non est autẽ intelligendum, quod non sit tutius dormire in statu, quam in principio accessionis, quoniam hoc est verum.

Controuersia inter Gal. & Auic.


Auic. locus explicatur.

De Motu & quiete.

Quò ad motum, & quietem, debent quiescere febricitantes, præterquam in quartana intermittente, vt docet Galenus primo ad Glauc. cap. dictis. Quantum denique spectat ad inanitionem & repletionem, atque ad animi accidentia nihil est quod dicamus, eo quod hæc etiam mulierculis ipsis nota ac manifesta sunt.

Cum igitur hæc de febribus putridis in genere dicta sufficiant, reliquum est vt earundem specificam tractationem aggrediamur.

Finis Primi Libri.





PII AENEAE CAPRILII EQVITIS PHILOSOPHI AC MEDICI.

Practicam ordinariam in Almo Ferrarienſi Gymnaſio profitentis.

LIBER ALTER DE FEBRIBVS PVTRIDIS IN SPETIE.





DE febribus putridis in genere, lib. primo diffusè actum eſt à nobis, atque vniuerſa earum eſſentia cauſis, & ſignis diſtincta, curatioquè expoſita, non modo iuxta venerandam Hippocratis antiquitatem (qui nullam artis medicæ partem intactam prætermiſit,) nec non Galeni ingenioſam & ſolertem doctrinam, ac Auicenę admirabilem ordinem; ſed etiam ex placitis poſteritatis, quæ pleraquè clariora effecit, & caſu experientiaquè frequenti certiora reddidit. Cumquè nihil amplius ſuperſit, quod ad Artis Medicæ integritatem ac perfectionem deſiderari poſſit: ſed maxima tātummodo opinionum ac quæſtionum varietate ſit referta; propterea ſtuduimus (quod etiam deinceps præſtabimus) multas dubitationes, ac controuerſias ad febres putridas attinentes proponere, atque pro viribus componere ac diluere: nec non plurima Hipp. Gal. Auicenæ, aliorumquè grauiſſimorū Authorum dicta recundita, ac obſcura explicare ac dilucidare. Quibus diligenter enucleatis ſequitur, vt iam ex iiſdem fontibus earundem febrium naturam in ſpetie hauriamus, earumquè differentias, cauſas, ſigna, & curationem, hoc vno libro proſequamur.

DE FEBRIBVS BILIOSIS.

Cur Auic. agat prius de febribus biliosis quam de reliquis.

Quare aggrediamur iam cum Auicena febrium biliosarum tractationem, de quibus prius, quam de reliquis ipse agit; quoniam febres hæ præ cæteris cum dispositione febrili maximam habent affinitatem, adeo vt q̃cunque indicantur à febre, eadem etiam indicentur à materia: nam cum febris sit passio calida, & sicca; materia etiam sit calida, & sicca, utrumquè indicans exigit auxilium refrigerans, & humectans. Agens autem de febribus biliosis ipsas diuidit Auicena, vt diuisis ipsis distinctè procedendo, primùm loquatur de vna febre, deinde de alia. Quot itaquè sunt differentiæ febris biliosæ, tot etiam sunt species ipsarum: species autem constituuntur ex differentijs, quæ quidem prodeunt ex rei diuidendæ essentia, quam patefacit definitio, quam tanquam notam supposuit Auic. facilè enim est dicere febres has vocari biliosas ratione materiæ, idest bilis, febrisquè huius hanc esse definitionem.

Diuisionis ratio.

Nomen.

Definitio.

Febris biliosa, est febris putrida, producta à bile putrescente, quam sic declaro: febris putrida nil aliud est, quam affectus calidus totius corporis, qui producitur ab humoribus cordis calfactis quidem à putrida fuligine, atque illa, ad differentiam aliarum febrium, eleuata, atque prodeunte ex biliosa materia putrescente. Quo fit, vt differentiæ febrium desumantur ex materia putrescente, & ex loco, in quo putrescit: ex materia putrescente, quatenus videlicet bilis potest esse vel alimentalis, vel excrementitia, excrementitia, verò est vel pallida, uel flaua, vel vitellina, uel porracea, vel ęruginosa, uel cærulea; q̃ colligi potest ex Gal. 6. Epid. 5. 14. A loco autẽ, materia biliosa ex Auic. est vel in venis, vel extra uenas, si sit extra venas, tunc fit febris biliosa intermittens: si verò sit in venis, fit febris biliosa continua. Febris autem biliosa intermittens ex Auic. est duplex vel exquisita, uel notha, exquisita est illa, quæ producitur à materia biliosa tantum: notha verò est ea, quæ fit à bile mista, cum alia materia. Sed aduertatis mistionem hanc posse esse duplicem, vel enim per mistionem ex duplici materia prodit massa quædam humorosa, in qua tantummodo reperitur complexio materiæ prædominantis; verbi gratia quando miscetur bilis cum pituita, ita misceri potest, vt fiat vnum quoddã, quod sit calidum, & siccum, eò quod prædominatur bilis; & ideo ex ipsa fit etiam febris biliosa, non pituitosa, ex qua quidem mistione biliosam febrem notham fieri intelligimus. Vel alio modo materiæ hæ possunt commisceri ita, vt prius iuxta ponantur, & vtriusque materiæ vis conseruetur ac vigeat, tuncquè non fiet febris biliosa notha, sed duæ febres producentur, biliosa silicet & pituitosa; sicuti quando fit hemitritęus quæ febris est composita ex biliosa, & pituitosa ex Galeno secundo de diff. feb. 8. de qua quidem mistione in præsentia non loquimur. Datur itaquè febris biliosa intermittens, quæ potest esse vel exquisita, vel notha. Quod si materia putrescat in venis, potest, vt inquit Auicena, putrescere in venis, vel remotis à corde, vel illi proximis; si putrescat in venis à corde distantibus, fit febris biliosa continua, quæ potest vocari continua proportionata, eò quod proportione respondet tertianæ intermittenti: si verò putrescat in venis cordi vicinis fit febris, quæ ab Auic. causon dicitur. Cum igitur ex traditis constet dari febrem biliosam intermittentem, atque continuam, & harum vtranque esse vel exquisitam, vel notham; ideo de tertiana exquisita intermittente imprimis agamus.

Febrium differentię vnde desumantur.

Mistio bilis cum alia materia põt esse duplex.

Febris biliosa continua & causon q̃uo fiat.

DE TERTIANA EXQVISITA INTERMITTENTE.

Febris itaque tertiana exquisita intermittens, *est febris biliosa producta à bile syncera extra venas putrescente*, est febris biliosa ad differentiam sanguineæ, pituitosæ, & melancholicæ: est producta à bile syncera, ad differentiam febris biliosæ nothæ, quæ putrescit extra venas, ad differentiam febris biliosæ exquisitæ continuæ. Vnde ex hac definitione patet, quomodo hæc febris à reliquis distinguatur. Quò fit vt ipsa producatur à causis calefacientibus,& siccantibus; vt colligitur ex Galeno secundo de diff.feb.primo, & secundo de Cris. secundo; Hæ autem causæ possunt esse vel internæ, vel externæ; inter causas internas est potissimum iecur calidum & siccum; quo fit cum caliditas hæc vigeat in consistenti ætate, ætatem hanc esse biliosam. Dico autem hanc caliditatem vigere potissimum in hepate,eò quod interdum producitur etiam ab insigni caliditate ventriculi, quo in casu magis est occurrendum vẽtriculo quam hepati. Si verò fiat sermo de externis, hæ vel sunt non necessario occurrentes, vt medicamenta calidiora,& ficciora, vel sunt necessario occurrentes, vt aer calidus, siccusquè, constitutio callida siccaquè, regio calida, & sicca, cibaria etiam aromatis condita, potus vini calidioris, immodicum exercitium tum corporis, tum animi. Animaduertendum autem differẽtiam esse inter has causas, secundum magis & minus tantum: nam si fuerint remissiores, producent bilem remisse calidam; verbi gratia bilem vel palidam vel flauam: si verò sint vehementiores, producetur bilis calidior, nempe vitellina, porracea, æruginosa,& cærulea. Atram bilem non propono, licèt bilis flaua in atram possit degenerare, quoniam ab illa nunquam fit biliosa, sed quartana febris, Vnde si contingat, ventriculum esse calidiorem; ex prauis cibarijs non modo bilis porracea fiet, sed degenerabunt etiã in bilem æruginosam, & cæruleam. Ex quo colligatis, hanc bilem fieri posse nõ modo ab insigni caliditate iecoris, sed etiam ab insigni caliditate ventriculi, quando in ipso praua cibaria ingeruntur. Vnde ex his facilè colligi potest in hac febre discrimen esse, quatenus fit vel ex hac, vel ex illa materia. Notandum tamen, licèt febris biliosa fieri possit ex bile tum alimentali, tum excrementitia, tertianam tamen intermittentem nequaquam fieri posse ex bile alimentali, ita vt putrefia, sub forma bilis alimentalis, sed fieri ex bile excremẽtitia tantum, quæ tamen est aliquo modo pallida. Quod vt verum esse intelligatur notandum est nunc sermonem esse de febre intermittente exquisita, & proinde de febre, quæ fit à bile syncera, ex qua fiunt etiam biliosæ continuæ exquisitæ. Vnde ex Galeno quarto Aphor.59.& 2.de Cris. 12. febres hæ genere conueniunt ratione materiæ, quæ in vtraque est syncera differunt tamẽ ratione loci: at pallida bilis est materia, seu substantia quædam composita ex bile flaua, & ex serositate, & proinde est materia mista. Verum quia serositas maximam habet affinitatem cum flaua bilę, ideo licet etiam in sermonẽ de tertiana exquisita pallidam bilem recensere: hæc autem est illius bilis species, quæ passim ab omnibus vitellina nuncupatur. Quod vt verum esse intelligatis sciendum est, bilem vitellinam esse duplicem, vnam quidem, quæ fit ex mistione flauę bilis, & pituitæ, quæ dicitur etiam vitellina maioris notæ ab Auicena, propterea quod crassior redditur, quam flaua bilis propter mistionem pituitæ; ex qua materia putrescente fit febris, quæ potest esse quidem

Definitio.

Causæ.

Internæ.

Externę.

Qñ in ventriculo gignatͬ bilis.

Differentię.

Tertianę intermittẽtes non possunt fieri ex bile alimentali.

Bilis Vitellina est duplex.

quidem tertiana intermittens, attamen semper notha, nunquam autem exquisita, & de hac non loquimur. Alteram verò, quæ est crassior flaua bile, & acquirit consistentiam similem vitellis ouorum, non ob mistionẽ alterius materiæ, sed ob insigniorem caliditatem, quæ calefaciendo resoluit partes tenuiores: atque ex hac putrescente fit tertiana intermittens exquisita, & hæc est illa species de qua supra loquebamur. Idem etiam dicendum est de reliquis materiebus.

Dubitatio. Sed dicet aliquis, hoc esse falsum, quia Galen. 2. de Cris. 12. ait paroximos tertianæ exquisitæ non excedere duodecimam horam, & illam fieri à flaua bile. At cum illius tertianæ, à bile vitellina factæ, paroxismi vltra duodecimã horam protrahantur, & non fiat à flaua bile; ergo nõ erit exquisita sed notha.

Solutio. Cui respondemus hanc esse febrem exquisitam; verum notandum febrem exquisitam esse duplicem, exactè, & non exactè: Febris exquisita exactè est illa, quæ sæpius proponitur à Galeno loco supra citato cum dicit, febrem exquisitam biliosam fieri à flaua bile, in corpore calido, & sicco, in ætate iuuenili, & consistente, in ambiente calido, idest æstate, in regione, & constitutione calida, & à victus ratione calefaciente, atque exsiccante, & si vnum ex his deficiat, febris non erit amplius exquisita exactè, sed non exactè; nã si verbi gratia, fiat febris ex bile flaua in ætate florenti, in corpore calido, siccoquè, sed in tempore veris, hæc non erit exquisita exactè, sed non exactè, & hoc secundo modo intelligimus febrem factã à bile vitellina esse exquisitam.

Dubitatio alia. Præterea alia occurrit difficultas circa febrem biliosam intermittentem, an hæc sit exquisita, nec nè: nam fuit Galeni sententia primo Epid. 2. 20. in tempore frigidiori febres biliosas intermittentes esse grauiores, & magis exquisitas, quam febres ardentes: quo modo igitur febris, quæ fit a flaua bile

Solutio. existente aere frigidiori potest esse exquisitior febre ardente? Galenus loco citato voluit febrem intermittentem biliosam fieri, quando carnes afficiuntur, & replentur bile: febrem verò ardentem, quando flaua bilis in visceribus & in venis proximis cordi residet, aitquè, quòd si fuerit aer frigidus, & carnes extimæ afficiantur bile, insignior erit affectio, eò quod tunc materia biliosa, quæ occupat carnes, non tam facilè potest difflari, ac resolui, sed ibi detinetur ob aeris frigiditatem: in febre verò ardente, cum materia detineatur in venis, si caliditas ambientis viguerit, accendet viscera, & propterea magis ebulliet materia: temperata autem erit omnium caliditas, si ambiens fuerit frigidum. Quare apparet grauiorem esse febrem illam intermittentem exquisitam ob causam propositam, non simpliciter quidẽ, sed conferendo intermittentem cum continua: Nam si conferatur intermittens, non cum ardentem, sed cum intermittente, erit magis exquisita, si fiat tempore calido, quã frigido; aliud enim est conferre intermittentem cum ardente, & aliud cũ intermittente. Quare ex his nulla est difficultas.

A Materia: Desumuntur præterea differentiæ ex Galeno loco citato, ex copia materiæ biliosæ; si enim materia sit in pauca quantitate, fiet tertiana intermittens exquisita exactè, si, inquam, fuerit flaua bilis, atque aliæ conditiones requisitæ aderunt, paroxismusquè non producatur vltra duodecimã horam. At si bilis in maiori copia reddundarit, fieri potest vel tertiana simpliciter, vel tertiana extensa. In causa autem harum differentiarum est maior, vel minor copia materiæ; copia enim maior facit tertianam extensam, vt quando producitur vsque ad quadraginta horas: minor autem copia facit tertianam simpliciter,

adhuc

adhuc verò minor facit tertianam exquisitam. Sed non dicatis tertianam simpliciter, & tertianam extensam nō esse febres exquisitas, sunt etenim, eò quod producuntur à bile sincera, sunt tamen exquisitæ non exactè ad differentiam febris exquisitæ exactè, cuius paroxismus nō excedit duodecim horas.

A loco præterea prodeunt differentiæ, & per locum intelligimus sedem, in qua coaceruatur bilis; vt ex ea sede bilis deinde protrudatur ad extimas partes: & propelli potest modo per venas, modo per alios etiam ductus; nō enim semper transmittitur materia à venis extra venas. Quò igitur ad locum, in quo reperitur materia, hic est potissimum iecur, & partes, seu venæ iecori proximæ, vt monet Auic. interdum etiam ventriculus; in ventriculo enim generatur quandoquè bilis. Animaduertendum tamen, materiam extrudi modo ab vna tantum sede, modo à pluribus, si protrudatur ab vna tantum parte, fit tertiana intermittens, exquisita, simplex. Non dico hanc esse tertianam simpliciter, sed tertianam simplicem ad differentiam duplicis, & triplicis; febris enim vocatur tertiana simpliciter ad differentiam tertianæ extensæ. Est igitur tertiana exquisita simplex quando materia prodit ex vno tantum fomite: non simplex autem, quando prodit à pluribus fomitibus, qui quidem possunt esse duo, tres, & plures: vnde vos aliquando obseruabitis non modo quatuor, sed etiam octo tertianas in ægrotante eodem. Aduertendum autem, si duo sint fomites, quandoque tertianam esse duplicem, quandoque vero duas tertianas: est duplex tertiana, quando sunt duo fomites, à quibus eodem die protruditur materia ad partes extimas corporis. Quod si materia prodeat q. dem ex duobus fontibus, at tamen non eodem die, sed vno die ab vno, altero die ab altero, dicatis, hanc febrem non esse tertianam duplicem, sed duas tertianas: Hæc autem febris est diligenter cognoscenda, & ob id de signis ipsius diligēter locutus est Gal. plerisquè in locis, & præcipuè 2. de sympt. cau. 5. & 2. de diff. febr. 3. atque 2. de Cris. primo & 3. Et primo ad Glauc. 5. de quibus adeo diligenter egit Galenus, vt Medicus ad differentiam fœminarum ante futuram accessionem sciret cognoscere, qualis sit febris hæc, is enim qui ante accessionem scit prædicere, febrem esse uel tertianam, vel quartanam, tanquam Deus veneratur ab hominibus. Et ideo signa haurit ex fontibus & internis, & externis, omnia illa desumens ex rei natura; siquidem considerauit uim materiæ biliosæ, quæ sanè est humor calidus & siccus, & proinde mordax, colorequè flauo affectus, & præcipuè si fuerit bilis flaua. Vnde naturā huius humoris respiciens dicit tertianam hanc indicari ex rigore. Et quoniā rigor obseruatur etiam in alijs febribus, ideo inquit indicari ex rigore vehementi; vehemens enim non potest apparere in principio accessionum reliquarum febrium: impossibile, inquam, est vt in prima accessione febris quotidianæ, uel quartanę rigor sit vehemens, quia humor pituitosus & melancholicus non sunt ita tenues, vt in prima accessione tanto cum impetu detrudantur extra venas, vt possint causare rigorem vehementem. Nec est quod quis vestrū dicat, Galenum deceptum fuisse, eò quod aliquando fiat tertiana intermittēs exquisita, in qua rigor non percipitur, & si percipiatur, est valde remissus quādo silicet materia non confertim extruditur, & quando etiam est in minima quantitate. Quandoquidem, licet hoc sit signum, (quod dicitur de hoc, idem etiam est intelligendum de omnibus) non tamen propterea ipsum solum indicare potest affectum, quia vnicum tantum signum non sufficit, sed requiritur syndromis & concursus omnium signorum, ex quibus vnum aliquando appa-ret

A Loco.

Tertiana duplex.

Tertianę duę.

Cur Galenus de signis febris tertianę exquisitæ diligentissimè egerit.

Signa.

Responsio tacitę obiectioni.

ret aliud verò delitescit. Quare si in prima accessione obseruabitis rigorem exiguum, non dicatis ob id, febrem hanc non esse tertianam exquisitam; potest enim esse, & non esse, sed perpendendum est an etiam alia signa adsint. At si obseruabitis rigorem vehementem, poteritis tuto asserere, hanc febrem fore tertianam exquisitam intermittentem.

A Pulsu. Præterea dicit Galenus rigorem esse cum sensu punctionis, eo quod bilis est calida, acrisquè. Sed præterea quò ad actionem lesam, febris hæc indicatur à pulsu, ex Galeno loco citato, & primo ad Glauc. cap. 5. ex pulsu non solum magno calido, vehementi, celeri, frequenti, sed etiam ex illo, in quo nulla apparet inæqualitas præter inæqualitatem febrilem, in tempore integritatis. Vnde etiam addit Gal. primo ad Glauc. 2. quod licet sit tertiana, quæ habeat longissimum interuallum, in hac tamen febre pulsus non est expers alicuius inæqualitatis: Cur autem pulsus sit velox, frequens, hoc per se satis patet, cũ producatur à materia biliosa calida, & sicca.

Controuersia circa pulsum. Explicandum est quomodo in interuallo, & potissimum longo, in pulsu permaneat inæqualitas: nam de hoc videtur esse controuersia in ipso Gal. cum secundo de differentijs febrium 3. dicat, In febris tertiana intermittentis integritate, seu in die quietis in pulsu nullum relinqui vestigium putrescentis humoris, & præsertim finita accessione, quando æger est procul à futura accessione; si enim immineat accessio, in pulsu apparere potest inditium succi biliosi putrescentis; sed procul ab accessioue nihil prorsus apparet. Contradictionẽ

Solutio quorundam. hanc videntes quidam, qui inter doctissimos viros recẽsentur, dixere animaduertendum esse, Galenum asserere, in interuallo pulsum indicare non succum putrescentem, sed inditium putredinis: & ideo Galenum secundo de diff. feb. 3. respicere succum putrescentem; & propterea negare ex pulsu sumi inditiũ succi putrescentis. At primo ad Glauc. 2. & 5. vbi admittit inæqualitatem in pulsu, respicere non succum putrescentem, sed putredinem. Verum hæc solu-

Solutionis illorum reprobatio. tio, vt mihi videtur, nullius est momẽti, & omnino a veritate aliena, imprimis quoniam distinctio inter succum putrescentem, atq; putredinem videtur voluntaria; nam cum putredo sit corruptio materiæ putrescentis propterea vbi est putredo, ibi etiam succus putrescens reperitur.

Præterea cum dicat Galenus primo ad Glauc. loco citato, hanc inæqualitatem reperiri, nõ solum in interuallo, quamuis longo, febrium intermittentiũ, sed etiam in ephemeris (ibi enim loquitur de inęqualitate febrili, quæ etiam in ephemeris durante febre reperitur, cessante verò cessat) propterea si respiceret ibi putredinem, uelletquè illam inæqualitatem esse inditium putredinis, sequeretur putredinem in ephemera reperiri; cum in ipsa (vt dictum est) illa inæqualitas reperiatur. Sed consequens est absurdum ergo id ex quo sequitur; nullus enim sanę mentis dicet vnquam ephemeram à putredine emanare.

Solutio propria. Quapropter dicimus nos per inæqualitatem intelligendam esse illam, in qua maior est velocitas in pulsu secundum dyastolem, quam secundum systolem, cuius oppositum illi intelligebant; volebant enim Galenum primo ad Glauc. 8. per inæqualitatem intelligere illam, in qua velocior est systoles dyastole, quod nequaquam intelligit Galenus, hæc enim reperiri non potest in ephemeris, sed in putridis tantum, non tamen in interuallo tertianæ. Ratio huius colligitur ex Galeno 3. de præsag. ex puls. vltimo, vbi vult in integritate febris putridæ ex toto aboleri velocitatem in systole, & ratio est, quia non adest putredo, nec succus putrescens, & est maior necessitas refrigerandi caliditatem

tatem cordis, quam expellendi fuligines, ſicuti etiam eſt in ephemera; in hac enim maior eſt neceſſitas attrahendi aerem frigidum, quam expellendi fuligines: vnde maior eſt velocitas in dyaſtolæ, quam in ſyſtolæ. Differentia tamen eſt inter ephemeram, & putridam febrem; quia in Ephemera non perſeuerat hæc inæqualitas: perſeuerat autem in putrida; non quia ſit intemperies morboſa in corde calida, nam nec ephemeræ, nec putridæ dyaſtolis velocitas eſt referenda in hanc cauſam, ſed in aliam, nempe in calorem exiſtentem in humoribus cordis; cum enim in febre putrida humores cordis ſint primum calefacti; in ephemera verò primum calefacti ſint ſpiritus, ſicuti calor in ſpiritibus facilè accenditur, ita etiam facilè euaneſcit, vt remota febre protinus etiam ceſſet calor febrilis in ſpiritibus accenſus, ſeu in ſubſtantia illa ſpirituum tenuiſſima. Quare in illis non poteſt permanere inæqualitas illa febrilis. Oppoſitũ autẽ dicendum eſt de humoribus, eò quod humores huius ſunt naturæ, vt cum ponuntur in calefacto eſſe (aliter enim non fieret putrida febris) licet tollatur febris, excernatur ſuccus putreſcens, nullaquè adſit putredo: aliquid tamen feruoris, ignei vè in ipſis remaneat quod eſt in cauſa, vt in pulſu remaneat inæqualitas febrilis; ſicuti colligitur ex Galeno tertio de præſag. ex pul. 5. Sed aduertatis, licet dictum ſit febrem hanc indicari ex pulſu magno, veloci, & frequenti, hoc tamen intelligendum eſſe de quocunque tempore febris, non autem acceſſionis; in principio enim acceſſionis pulſus erit potius paruus: ſed cum adeſt inæqualitas, apparebit pulſus talis, qualis propoſitus eſt, à Galeno. Notandum circa pulsũ.

Quod autem dictum fuit de pulſu, idem etiam eſt intelligendum de ſiti; indicatur enim febris hæc etiam ex ſiti, eò quia, quando redundat bilis, facile eſt, vt ipſa, vel ſaltem bilioſus vapor petat os vẽtriculi, & ita excitet ſitim. Præterea indicatur etiam ex dolore capitis; nam bilis eſt humor tenuis, qui facile aſcendit, & aſcendens in caput excitat potius dolorem, quam grauitatem capitis; quia humor hic nõ detinetur in cerebro, ſed penetrat in membranas ipſius, quibus cum adhæret ipſarum ſoluitur continuum, ſicquè fit dolor, & quidem pungitiuus, quia membranæ afficiuntur, fit etiam mordicatiuus, q̃a materia eſt acris: vnde dolor hic eſt diuerſus à dolore, qui obſeruatur in reliquis febribus, eò quod fit ab alia materia. Inſuper indicatur febris hæc potiſſimum ex vigiliis, eò quod materia bilioſa calida, & ſicca diſſipat, non autẽ concentrat ſpiritus ipſos. Amplius ex Galeno loco citato & ex Auicena cap. proprio indicatur febris hæc etiam ab exeunte mutato, vt ex vomitu bilioſo, ex deiectione alui bilioſa, ex lotio bilioſo, quare cum nihil dicendum ſit de vomitu, nec de alui deiectione, tanquam per ſe notis, de lotio tantum agemus. Quò igitur ad lotium, hoc eſt aliquando ſubflauum, aliquando etiam flauum denique vario colore affectum, prout varia eſt bilioſa materia, ſed de hoc paulo inferius agemus. Denuo indicatur febris hæc ex qualitate mutata, ideſt ex calore tactui ſatis acri, mordaciquè. Verum dicit Auicena calorem hunc non diu perſeuerare, & eſſe purum, potiuſquam fumoſum, qualis eſt ille qui obſeruatur in febre pituitoſa, calor hic eſt quidem mordax, ſed eſt potius flãmeus, eò quod bilis putreſcens ita accenditur, vt non fiant exquiſitæ fumoſitates, ſed inflammatur inſtar lignorum aridorum. De Siti. A dolore capitis. Ex vigilijs. A vomitu. A fecibus. A lotio. De lotio. A calore.

His addantur fontes interim. Vnde indicatur febris hæc ex temperatura calida, & ſicca, ex ætate conſiſtente, ex conſuetudine, vt ſi æger conſueuerit corripi hac febre. Prætereà indicatur etiam ab externis cauſis prægreſſis, quæ Ab internis.

potuerint talem bilem multiplicare, vt si, verbi gratia, præcesserit vsus cibo rum calidorum & siccorum, vt conditorum aromatis, ex tali victus ratione cõ ijcere poteritis hanc esse febrem biliosam.

Signa differẽtiarum.

Amplius cognoscere oportet etiam differentias, quæ desumuntur & à materia, & à loco. Quò ad materiam, consideremus naturam, & quantitatem ipsius. Quantum ad naturam, materia potest esse bilis, vel pallida, vel flaua, vel vitellina, vel porracea, vel æruginosa, vel cærulea: cognoscetis autem materiam huius febris esse bilem pallidam, quando symptomata omnia erunt remissiora; talia autem erunt, si conferãtur cum symptomatibus aliarum materierum, seu tertianæ, quæ originem ducit ex alijs materiebus. lotium etiam erit potius ruffum, vel subruffum, & vt plurimum subflauum nunquam flauum, exiguusquè in ipso aderit splendor.

De natura materiæ.

Quod si materia fuerit bilis flaua, tunc symptomata non erunt tam remissa, præterea lotium erit subflauum, & quandoquè etiam flauum, in ipsoquè aderit splendor, qui fit ratione bilis flauæ, valdè insignis. Quod si materia fuerit bilis vitellina, symptomata erunt adhuc intensiora (Sermo autem est de tertiana exquisita, & proinde de bile vitellina, quæ crassa redditur non ob pituitæ permistionem, sed ob insignem feruorem bilis flauæ) Quare lotium erit in summo flauum, atque satis crassum, & aliqua ex parte etiam opacum, ob crassitiem huius materiei. At si contingat fieri vomitum, hic erit non modo amarus; sed amarissimus, & bilis, quæ euometur, maximam habebit similitudinẽ, & quò ad substantiam, & quò ad consistentiã cum vitellis ouorũ, quæ quidem consistentia & intensa flauities non reperitur in bile flaua. Quod si deniq; materia fuerit bilis uel praxina, vel æruginosa, vel cærulea, sympt. erunt vehemẽtissima, ita vt patientes loco consistere non possint, & vigiliæ, & sitis, & omnia demũ sunt in summo. Vos aũt distinguetis has materias considerãdo exeũtia siue per vomitũ, siue per aluũ, siue per lotiũ: per vomitũ, si peccabit praxina bilis, vomitus erit materiæ viridis habẽtis eũ viridẽ colorẽ, qui obseruatur in folijs porrorũ: & propterea porracea etiã nuncupatur. Si fuerit æruginosa, vomitus erit materiæ similis floridissimę ęrugini mistæ cũ aqua, sicuti explicat Gal. 11. meth. vltimo. Quod si fuerit cærulea, vomitus erit materiæ adhuc obscurioris coloris bile ęruginosa; & hæc materia est oĩum pessima, idẽ etiã prorsus dicendũ de deiectione alui, Quo deniq; ad lotiũ, hoc erit viride si peccabit bilis porracea, eritquè vergens ad flauũ, habens aliquã similitudinẽ cum flauo, sed flauities erit obscura habens sibi admistã viriditatẽ. Si autẽ materia fuerit eruginosa, lotiũ obseruabitur nõ modo viride, sed erit viriditas quędam obscurior, neq; conspicieẽ limpiditas coloris, sicuti conspicitur in bile praxina. Si verò peccauerit bilis cærulea, color ĩ lotio erit viridis adhuc obscurior, & vergens ad aliquã nigredinẽ, qui color vulgo ab his, qui de vrinis agunt venetus nuncupatur. Nec est ꝙ quis dicat, oportere, vt in febricitante imprimis appareat color flauus, deinde viridis, deinde obscurus, demũ habens mistam nigredinẽ, propterea ꝙ bilis cęrulea fit ex ægruginosa, æruginosa fit ex vitellina, vitellina fit ex flaua, & ideo oportet, vt lotium primò præseferrat colorem flauæ bilis; deinde verò colorẽ aliarũ, & sic in febricitantibus obseruemus nos lotium progressum, vt aliquando euenit: quandoquidem causa morbifica aliquando est adeo valida, ut transeat ab extremo ad extremum, vt à bile flaua ad cęruleam, per media quidem, sed insensibiliter: nam adeo efficax est quandoque causa morbifica, & calor exurens, vt licèt transitus verè fiat

Dubitatio circa colorẽ lotij.

Solutio.

per

per media, is tamen conſpici non poſſit: quam veritatem reſpiciens Galen⁹ 8. de ſimpl. med. cap. de felle dicit, bilem cæruleam fieri ex flaua bile; quod ſi intelligatur immediatè, eſt falſum; fit enim immediate ex eruginoſa, mediate ex flaua, attamen illud dicit Galenus, quia licèt cognouerit illam fieri per medium, aliquando tamen fit inſenſibiliter.

Quantum vero ad differentias quæ deſumuntur à copia materiæ, facile eſt cognoſcere, an materia ſit in maiori, an in minori copia: nam præter vehementiam ſymptomatũ (in maiori enim quanto maior eſt virtus) accedit, quod ſi ſit tertiana intermittens exquiſita exactè, cuius paroxiſmus non excedit duodecim horas, inditium eſt materiæ non vſque adeo copioſæ; ſi autem febris ſit tertiana ſimpliciter, quæ excedat duodecim horas, & producatur vſque ad viginti, facilè poteſt colligi, adhuc copioſiorem redundare materiam. Quòad differentias, quæ deſumuntur à loco primum cognoſcere oportet, in qua parte gignatur materia, & à qua parte protrudatur in alias partes; aliquando enim eſt ventriculus, aliquando eſt iecur. Locum itaquè cognoſcetis, quia, ſi erit iecur, præter id, quod aderunt inditia iecoris calidioris, conſpicietur etiam lotium valde ac magis coloratum reſpectu diſpoſitionis febrilis; neque ſi præceſſit error in victu, cuius ratione potuerit bilis illa porracea in ventriculo generari. Gal. locus explicatur.

Quod ſi bilis in ventriculo gignatur, præter id, quod aderit vomitus bilis (cum enim generatur bilis in ventriculo vix fieri poteſt, quando propellitur extra ventriculum, quin propellatur etiam per os & præceſſere cibaria bilioſa, & præcipuè agrumina) accedet etiam lotium non mutari, ideſt non reddi coloratum pro ratione diſpoſitionis febrilis, quod declaro, febris erit intenſa, acceſſiones erunt vehementiſſimæ, quia in ventriculo non gignitur bilis pallida, nec flaua, ſed praxina, æruginoſa, & cærulea, quæ quidem cum peſſimæ exiſtant, & propterea etiam ex his fiat febris inſignis, oporteret lotiũ maximè mutari, at non mutatur tantum, quantum mutaretur ratione febris, quia materia redundat non in iecore, nec in venis, ſed in ventriculo: & ideo ex hoc inditio has differentias facilè cognoſcetis.

Vtrum autem locus, à quo tranſmittitur materia, ſit vnus tantum, an plures, hoc facilè etiam cognoſcetis: nam ſi vnicus erit fons, vnica etiam atque ſimplex erit febris: ſi autem duo erunt fomites, duæ quoque erunt febres: ſi plures demum fuerunt, plures quoque erunt febres.

Vtrum autem in febre hac intermittente tranſmittatur materia ad partes externas corporis per venas, an per alias vias, (non enim ſemper in febribus intermittentibus tranſmittitur materia à venis extra venas) cognoſcetis potiſſimum ex mutatione lotij, ex vomitu, & ex deiectione alui: nam ſi materia tranſmittitur à venis extra venas, neceſſe eſt vt mutetur lotium ſecundum portionem diſpoſitionis febrilis, quia redundat materia in venis: nec neceſſario fit vomitus, & ſi fit non eſt tamen copioſus, nec acceſſio per ipſam minuitur. Contra verò eſt, ſi materia non tranſmittatur à venis extra venas; ſi enim materia non ingrediatur venas, fiunt vomitus, deiectiones alui: vnde nec mutatur lotium pro ratione febris, acceſſioquè minuitur; quia copioſa materia educitur vel per vomitum, vel ſaltem per ſeceſſum, Quod ſi nulla fiat tranſmiſſio materiæ (hoc enim quandoquè contingit) non apparet rigor, nec ſudor; & febricitantes circa præcordia maximè affliguntur: ita

vt febris hæc sit potius symptomatica quam principalis: in præsentia autem sermo est præcipuè de febre principali.

Indicationes curatiuæ

Ex propositis facillimum est modo colligere quid agendum, vires enim sui custodiam indicant: dispositio autem febrilis indicat esse refrigerandum & humectandum: causa verò morbosa indicat euacuationem; & quia hęc est bilis, indicat præparationem, idest refrigerationem & humectationem, vt si sit crassa, vti vitellina, indicat etiam attenuationem: & si hæc materia redundet in primis vijs, indicat quoque lenitionem; adeo quòd minoranda sit materia biliosa, præparanda, expurgandaquè; item sit refrigerandum, atque humectandum, viresquè roborandæ.

Prognostici

Quæ munia facilè quidem explere possumus: quoniam si conferamus vim virtutis cum vi rerum præter naturam, facilè cognoscemus, morbum hunc esse potius salubrem; potissimum quia virtus non debet longo temporis spatio perferre dispositionem morbosam. Quod facilè ostendo: nam in tertiana intermittente exquisita virtus est robusta; quoniam materia non detinetur in partibus illis, in quibus generatur, sed expellitur ad partes exteriores, idest extra venas. Virtus itaquè est valida, & præsertim quia considerare oportet virtutem respectu dispositionis febrilis; interdum enim contingere potest, fieri syncopim, dysenteriam, & alia huiusmodi quæ periculum minentur, attamen non prouenit hoc ratione dispositionis febrilis, reperiuntur enim nonnulli, qui adeo malè affectum habent os ventriculi, & intestina, vt facillime animi deliquio, atque dysenteria corripiantur. Virtus tamen est adeò robusta in hac febre, vt ei resistere posit.

Quò ad febrem oportet considerare vim febris, causæ, & symptomatum; vis febris non est multum insignis, quia est intermittens; & ideo quantum sit ratione sui periculo vacat. Quò ad causam, bilis suaptè natura est materia, quæ nocere potest, quoniam calida est & sicca, feruensquè, & præcipuè si sit vitellina, porracea, æruginosa, & cærulea; pessimæ enim hæ sunt, attamen quoniam propellitur extra venas, febris hæc non est periculosa: ob id dicit Galenus duodecimo meth. vltimo, in laborante syncope ex male affecto ore ventriculi ob bilem æruginosam, cum per vomitum excernebatur talis materia, illico liber euadebat. Quare licet materia sit praua, hæc tamen febris non est periculosa, eo quod materia non detinetur eo in loco, in quo gignitur, nec in venis, sed extra venas expellitur.

Quo ad symptomata, hæc similiter non sunt lethalia, propterea quod materia non detinetur in venis, sed extra venas propellitur; non sunt inquam, lethalia ratione huius febris: nam ratione alicuius particularis malè dispositionis ægri possunt esse praua. Præterea quoniam via est breuis (non enim diuturna est hęc febris) ideo vacat periculo, & propterea ex Gal. 2. de Cris. 3. si contingat, vt in prima accesione appareat hypostasis in lotio, materiaquè subsideat lenis, & ęqualis, tunc potestis prædicere febrē non excedere tertiū paraxismū: si autē obseruabitis lotiū mediocriter crassū, & bene coloratū, tūc febris in quarta accesione desinet: si verò lotium ab hac bonitate declinet, producet febris vsq; ad septimū periodum, & hoc est intelligēdum de tertiana intermittente exquisita exactè, q̄ fit à flaua bile; non tamen admodum copiosa. Nā si febris fuerit, quæ originē ducat ex copiosa materia, veluti tertiana simpliciter, & tertiana extensa, tunc febris erit longior; & quanto crassior

erit materia, tanto etiam longior erit febris, non tamen adeo longa, quin virtus possit perdurare vsque in finem. Vnde aduertatis ex Galeno 6. Epid. 2. 23. immo ex Hipp.quoties nox præcedens accessionem est molestior, indicat futuram accessionem debere esse postremam. Si igitur febris fuerit tertiana intermittens exquisita, sed exactè, poteritis illud prognosticari. Solutio.

At si febris sit tertiana intermittens exquisita non exactè, id non præsagiatis, quia errabitis, ratio huius est, quoniam, quando febris est exquisita exactè, interuallum est longum, nempè saltem triginta sex horas, materiaquè non est admodum copiosa; & propterea licèt immineat accessio, non potest tamen in corpore fieri agitatio, nisi immineat crisis, imminente enim crisi, ac solutione febris, fieri potest, & debet materiæ agitatio in corpore, quæ est in causa, vt patientes non possint dormire, sed habeant noctem inquietam & molestam. Quod non est dicendum de febre tertiana exquisita non exactè, & præcipuè extensa, atque simpliciter tertiana, & potissimum si fiat ex bile æruginosa, vitellina, & praxina: nam ratio dictat, vt imminente accessione, seu in nocte, quæ præcedit accessionem, fiat in corpore agitatio materię, eò quod copiosa est materia futuræ accessionis, & quia non est ita benigna. Quare obseruabitis in tertianis non exactis noctem proximam futuræ accessionis esse multum molestam, & inquietam. Ex his igitur concludatis febrem hanc esse salubrem, & præsertim quia non adsunt contraindicantia; idem enim indicāt & febris & causa. Vnde mirum non est, si dixerit Hippocr. quarto Aph. 43. *Febres, quæ tertia quaquè die inuadunt, fortiores fiunt, si continuæ sint, periculosæ sunt. Quocunque autem modo intermiserint, periculo vacant*. vt q̄libet febris tertiana careat periculo. Et rationem reddens Gal. in commento dicit, quoniam hæc non fit ex inflammatione, nec ex maligna putredine, quæ potest habere locum in febre continua.

Sed aliqua potest esse difficultas, quoniam ēx Hipp. & Galeno loco citato non modo periculosa non erit tertiana intermittens exquisita, sed neque etiā tertiana notha, nec tertiana extensa; dicit enim. *Quocunq; modo intermiserint*. Et quod maius est, periculo etiam vacabit tertiana ex bile praxina, æruginosa, & cærulea; hæ enim febres sunt & tertianæ, & intermittentes. At quomodo non erunt febres hæ periculosæ cum producantur ex materiebus, his malignis. Dicatis, has materias non esse malignas, nam quoniam materia maligna, sicuti accipitur à Galeno ibi, est materia, quæ insigniter in cor agit, vt cō tingit in febribus pestilentibus, atque etiam in continuis: nam licet in continuis materia non sit venefica, cum tamen, non possit propelli extra venas, putrescens intra venas, necesse est vt aliquam acquirat malignitatem, & assiduè in cor agat, & vt plurimum ab ea lædatur adeo, vt sit febris aliqua ex parte periculosa. Hæ autem materiæ, licet ad differentiam flauæ bilis, & pallidę possint dici malignę, (sunt enim acerbiores materiæ) si tamen conferantur cum materia, quæ putrescit in venis, carent illa malignitate. Ex his igitur cōcludatis tertianam hanc non esse periculosam. Dubitatio. Solutio. Materia maligna quæ sit.

Sed dubitabit aliquis, quoniam fuit sententia Gal. 2. prognosticorum 38. prauiorem esse affectionem, quando fit ab humore syncero, & proinde à bile syncera, à qua producitur tertiana intermittens exquisita. Vnde etiam dicit ibidem 49. prauiorem esse affectum, si fiat à syncero humore, dummodo tamen non fiat à sanguine, sed à reliquis succis. Si igitur, cum succus est syn- Dubitatio.

cerus, affectus etiam est prauior, quam si non sit syncerus: unde Auic.capite de tertiana notha dicit accidentia esse mitiora in tertiana notha, quam in exquisita: quomodo verum est tertianam intermittentem exquisitam esse febrem sine periculo? Dicatis verum esse id, quod proponitur à Galeno & ab Auicena dubio enim procul, si bilis miscetur cum pituita, symptomata sunt mitiora, quam si bilis sit syncera; eo quod pituita sui frigiditate obtundit acrimoniam, feruoremquè bilis, vnde accidentia quidem mitiora sunt, febris tamen est longior, & difficilius etiam curatur, quam tertiana exquisita; nam licet pituita sit in causa, vt symptomata fiant mitiora, eadem tamen est etiam in causa, vt febris sit diuturnior; eò quod non ita cito dissipari potest materia biliosa mista cum pituita, sicuti biliosa syncera. Accedit etiam, quòd bilis (& quod dicitur de bile, intelligatur etiam de reliquis humoribus) syncera consideratur ad differentiam bilis non syncera, prout silicet miscetur vel cũ alio humore, vel cum serositate: si bilis misceatur cum serositate, illa non erit syncera. Similiter si pituita misceatur cum serositate, ea non erit syncera. Vnde prauior erit affectio, si originem ducat ab humore syncero, quam si oriatur ab humore misto cum serositate; serositas enim est in causa, vt facilius materia illa resoluatur. Quare Galenus loco citato per humorem syncerum intelligit humorem secretum à serositate: & ita nulla est difficultas.

Solutio.

Gal. locus explicatur.

Accedamus modo ad curationem huius febris, & primum de more agam de chyrurgia. In hac igitur febre conuenit nè venæ sectio? Ex traditis in libro primo de cura febrium putridarum in generali, clarè patet, in tertiana intermittẽte exquisita exactè, de qua agit Galenus primo ad Glauc.capite proprio non secandam esse venam; & ideo venæ sectionem omittit. Nec est, qđ quis more quorundam dicat Galenum eo in libro profiteri curationem febrium per compendium, vt nõ deceat omnia remedia proponere necessaria; hoc quidem nullo pacto est dicendum, eò quod licèt sermo sit compendios⁹, non tamen decet præsidia efficacia prætermittere, præsertim quia Galenus eo in capite maxima vtitur diligentia in recensendis redijs minoris momẽti; quare non est credendum Galenum fuisse negligentem in præsidijs adeo validis, & maximi momenti. Galenum autem diligentem esse in reliquis præsidijs constat, quia quando loquitur de victus ratione monet animaduertendum esse, an febricitãs sit delicatus, nec ne, quod quidem non est tanti momenti, quanti est venæ sectio. Quare dicatis Galenum non proposuisse venæ sectionem, quia non conuenit, non conuenit autem, quoniam non adest illud, quod principaliter potest indicare venæ sectionem, vnde deficiente indicante principali reliqua non sunt consideranda, omnia enim diriguntur ad principale: Principale autem indicans est plenitudo, seu copia sanguinis, quæ dubio procul in hac febre desideratur; febris enim hæc originem ducit à flaua bile syncera, corpus est calidum, & siccum, habitus est gracilis, in consistenti ætate, in tempore anni, regione, & constitutione calidis & siccis, præcessit denique victus ratio calefaciens & siccans, Quæ quidem omnia cũ necessaria sint ad constituendam tertianam, exquisitam intermittentem exactè, indicant in hac febre adesse penuriam sanguinis, & adesse insigne dominium bilis. Quare oritur indicatio purgandi bilem, non autem euacuandi sanguinem. At si sit tertiana intermittens exquisita quidem, sed non exactè, quandoquè secanda est vena, quandoquè non: secanda est quando cum bile

Curatio febris tertianę exquisitæ. Chyrurgia.

Cur non cõuenit venæ sectio.

Plenitudo est principale indicans sectionis venæ.

redundat etiam sanguis; redundare enim potest in tertiana intermittēte exquisita non exactè; & tunc diligenter est animaduertendum an adsit copia sanguinis nec nè, & quando redundat sanguis ratione plenitudinis, secanda est vena, ita tamen, vt permittant vires, & ętas; Verum animaduertendum, si febris hæc tertiana intermittens exquisita non exacte prodeat ex bile vel praxina, vel æruginosa, vel cærulea, an liceat venam secare; humores enim hi maximè recedunt à natura sanguinis: fieri autem potest, vt febricitans tali febre sit etiam sanguine refertus, si itaquè cum his humoribus aderit sanguinis copia, licebit nè secare venam? Dubio procul secanda est, eo quod etiam redundat sanguis. Sed aduertendum diligentissime, an febris producatur ex propositis materiebus genitis in iecore, an potius in ventriculo: nam si generantur in iecore, possunt esse mistæ cum sanguine in venis; & fiunt febres, quia transmittuntur à venis extra venas. Quare tunc licebit venam secare, propterea quod licèt materiæ istæ plurimum recedant à natura sanguinis, sunt tamen mistæ cum sanguine, & venæ sectio est auxilium æqualiter omnes humores euacuans: vnde hæ etiam materiæ ab ipsa euacuabuntur: At si contingat, ipsos in ventriculo gigni recedunt omnino à natura sanguinis, & ideo si vena aperiretur, cum per ipsam fiat attractio à centro ad circumferentiam, materiæ istæ pessimæ attrahentur intra venas ipsasquè ingredientur, & bonus sanguis educetur: vnde deducetur patiens ad ebullitionem cholericorum. Quando igitur humores isti gignuntur in ventriculo, nisi vndiquè eradicentur prius, non secetis venam, vt ægrotantes conseruetis. Cum igitur pateat, quandoquè secandā esse venā, qñq; non esse secandam, qñ aperienda est vena, nō euacuetis sanguinem in multa copia, eò quod non potest esse copiosus. Quare vobis sufficiat educere sanguinis oncias sex vel nouē ad summum: neque excedatis hanc quantitatem, quia hic plethora exquisita non adest. Quantitas sanguinis.

Quo ad tempus, dicit Auicena secandam esse venam ante tertium paroxismum, attamen ob hoc non significauit, non secandam esse post tertium paroxismum: nam si accedetis ad ægros post tertium paroxismum, atque uel ob negligentiam medici, vel ob pertinaciam ægri posthabita fuerit venæ sectio, & redundet sanguis, vt periculum immineat, ne febris intermittens degeneret in continuam, tunc debetis secare venam. Et ideo quocunque die Galenus venam secabat, dummodo adessent conditiones requisitæ ad venæ sectionem. Admonebat autem prudentissimus Auic. secandam esse venam ante tertiam periodum quoniam cognouit vires in morbis in dies fieri debiliores; quo enim magis producitur morbus, eò etiam debiliores fiunt vires. Ob id vobis consulo, vt, quando secanda est vena, eam secetis quamprimum, & potius ante secundam accessionem, quam post, atque etiam ante lenientia, quæ per os exhiberi solent. Sunt tamen nonnulli, qui prius exhibent leniens, pharmacum deinde secant venam: sed male faciunt, quia sic febris intermittens, vt plurimum degenerat in continuam: eo quod medicamentum, licèt sit leniens, agitat tamen corpus tunc, & sequenti die succedit accessio. Quare vos in prima visitatione poteritis vti clysteri: deinde verò, dummodo sit tempus, secare venam: quando igitur adsunt indicantia, tunc quamprimum secetis venam. Quo ad diem elligatis diem quietis, & si febris sit duplex eligatis diem minoris afflictionis: poteritisquè secare venam, per quinque vel sex horas ante futuram accessionem. Foramen autem in vena nequaquam Tempus secandi venā. Quorundam error. Dies secandi venam. Modus.

fiat

Cucurbitulę fiat amplum, eò quod redundat sanguis potius tenuis, quam crassus. Si verò non adsint conditiones requisitæ ad sectionem venæ, ita vt non liceat secare venam sanguis tamen redundet, tunc poteritis applicare cucurbitulas partibus inferioribus.

Pharmacia. Oportet autem expurgare primas superfluitates, quandoquè per vomitũ, quandoquè per lenientia ore assumpta, aliquando per clysteria, Quò ad vomitoria, vtendum est vomitorijs habentibus vim temperandi acrimoniam bilis, vt si ita paretur. Rec. aquæ hordeaceæ ℥ 10. syr. acetosi simpl. ℥. 1. misce. Potest etiam dari ius tepidum pulli in eadem quantitate, quod non sit pingue, & cum eo immiscere momentum saccari & aceti, & cum Alexandro etiã aquæ simplicis tepidæ ℥. 12. vel 14. propinare possumus: oportet autem, vti vomitorio, quando materia est in ventriculo, & proinde quando facilè potest euacuari, quod auxilium maxime prodesse solet; Et licet dixerit Auicena, in tempore accessionis nil esse agendum, nec esse agitandum corpus, addit tamen nisi propter necessitatem. Quare vobis consulo vnà cum Alexandro, qui consumatissimus fuit medicus, vt etiam in accessione exhibeatis vomitorium; is enim exhibebat aquam tepidam, quando magna aderat necessitas, vt dicit Auicena; maxima autem adest necessitas in febre procedente non modo ex flaua bile, sed etiam ex bile praxina, vitellina, & eruginosa; aliquãdo enim obseruabitis febricitantes tempore accessionis ita grauiter affligi, vt incidant in lypothimiam, atque etiam in syncopim. Quare tunc necesse est materiam illam omnino euacuare: vnde etiam existente syncope ex materia æruginosa Galenus 12. meth. 5. vomitum prouocabat. Ex quo desumẽs Alexander dicit hoc auxilio maxime mitigari accessionem. Quod si materia posit promptius euacuari per secessum, detis medicamentum ita paratum: Rec. floris cassiæ nuper extractæ ℥ 10. pulpæ Tamarindorum ℥. 2. misce cum zucaro fiant boli. Poteritis etiam ita præscribere. Rec. syr. ros. sol. ℥. 3. Mannæ electæ ℥ 1. s. decocti tamarindorum quãtum sufficit, misce, & fiat potio breuis. Vel etiam, diligentius, decocti tamarindorum ℥. 2. In decocto acetosæ quantum sufficit, misce; Expedit etiam vti clysteribus, sed mollientibus, vt iubet Galenus primo ad Glauc. cap. proprio. Vnde fieri poterunt clysteria ex decocto hordei, ex ptissana colata cum melle violato, oleo violato, & alijs huiusmodi.

Tempus dandi vomitoria

Etiam in accessione licet dare vomitorium.

Leniens in bolo.

In Potu.

Clysteria.

Præparanda est etiam materia biliosa: cum igitur hæc resistat concoquentibus sui caliditate & siccitate, occurendum est refrigerantibus, & humectantibus, modo mitioribus modo valentioribus: vt si fuerit febris ex bile pallida, uel flaua, tunc licet vti mitioribus. At si fiat à bile vel vitellina, vel praxina, vel æruginosa, vel cerulea, tunc oportet ad valentiora ascendere. Mitis syrupus ita poterit præscribi: Rec. syr. violati ℥. 1. syr. de succo acetosæ ℥. s. decocti endiuiæ, lactucæ, hordei ℥. 3. s. misce. Valentior autem ita poterit parari, Rec. syr. de lactuca ℥. 1. syr. violati, syr. de sunco ana ℥. s. decocti endiuiæ, lactucæ, nympheæ ℥. 4. misce. Vrgente necessitate ascendite ad decoctum papaueris albi. Euacuare etiam oportet materiam hanc, & euacuari debet per aluum; vnde nullum est medicamentum hoc in casu præstantius rhabarbaro ipso, sed non debet dari à vobis, sicut datur ab aliquibus, in vino aromatico semper infusum, sed vnà cum Mesuè medico doctissimo pro eius correctione cum eo misceatis spicam, vel squinantum, vt Rec. rhabarbari subtiliter

Præparatio materiæ.

Syr. mitior.

Syr. valẽtior

Decoctũ papaueris albi.

Purgans.

ter

ter poluerizati ℈.4. floris cassiæ ℥.1.misce, & cum zuccaro fiat bollus, hoc est optimum medicamentum, quia cassia corrigit caliditatem rhabarbari. Sed potest etiã præscribi hoc modo; Rec. rhabarbari ellecti ℥.1. ſ. decocti fructuũ, & acetosæ, immò etiam quandoquè lactucæ quantum sufficit. Ego pro vino aromatico impono lactucam, inter quæ duo maxima est differentia, deinde facta diligẽti expressione adde syrupi violati sol.℥.3. misce, & fiat potio breuis. Galenus primò ad Glauc. dabat absynthium, vt expurgaretur materia biliosa. At Alexander, qui dicitur Galeni stimulus, ait, hoc medicamentum esse suspectum, & esse potius dandum in tertiana notha cum aliqua portione oximellitis; nequaquam verò in tertiana exquisita, potissimum cum Galenus ibi loquatur de tertiana exquisita exactè. Verum Alexander non aduertit medicamentum hoc ex Galeno lib. 6. de symplicium medicamentorum facult. esse calidum in primo gradu tantum, & siccum in tertio, & ea esse facultate præditum, vt possit attenuare quidem, atque detergere, sed præterea etiam corroborare. Quare cum adest tertiana intermittens exquisita, in qua os ventriculi bile infestatur, tunc absynthium est optimum, eò quod ad inferiora detrudit biliosam materiam: & plus potest contra biliosam, quam contra pituitosam: nam pituitosa materia propter sui crassitiem, & visciditatem non ita cedit absynthio, vti biliosa, quæ est magis tenuis, atque fluxilis. Quare huius medicamenti ope os ventriculi ita roboratur, vt non ita infestetur à bile, nec periculum est illud nimis calefacere, eò quod præter id, quod est calidum in primo tantum gradu, datur etiam à Galeno non succus, sed coma ipsius, quæ est minus calida succo ipso. Præterea Galenus non exhibet hoc medicamentum syncerum, sed mistum cum mulsa diluta seu aquosa. Postremo non dat hoc medicamentum in substantia, sed infundit comam absynthij in mulsa; deinde facta expressione ipsam colat, & ita exhibet mulsam, quæ susci pit facultates absynthij. Quare facile colligi potest, hoc non esse medicamẽtum, quod insigniter possit vel calefacere, vel exiccare.

Alexander Contra Gal.

Contra Alexandrum. Absynthij qualitates & vires.

Qñ conueniat absynthium.

Sed præterea sunt & medicamenta, quæ euacuant per lotium: atque Galenus loco citato probat petroselinum, anethum, ad ciendum lotium. Operæ etiam pretium est aduertere, quomodo Galenus ijs vtebatur præsidijs in tertiana exquisita exactè, in corpore, & aere calidis, siccisquè.

Diuretica.

Per petroselinum oportet intelligere radices petroselini, non autem semẽ. Vnde Galeno in 11. meth. 9. in febre etiam continente probat petroselinum, apium vè, sed radices, non semen. Similiter etiam quando proponitur anethum, non intelligatis semen anethi, sed germina, & ea quidem viridia. Præterea non omnibus modis expedit vti ijs præsidijs, quandoquidem Galenus non coquit ea, sed tantum madefacit in aqua; vnde si decoquæretur vnà cũ radice petroselini, aqua reciperet vim insignem petroselini ipsius: secus autẽ est si radices solum madefiant in aqua: & ideo Galenus iubet, radices in aqua madefieri; præterea licet etiam vti alijs diureticis, vt sunt semina melonum, semina cucurbitæ, syrupus de capillis veneris, & huiusmodi alia, quæ refrigerant potius, quam calefaciant: hæc eadem possunt etiam sudorem prouocare. Poteritis igitur vti radice petroselini etiam ad prouocandum sudorem, sed non erit præter rationem, si radices non simpliciter macerentur, madefiantuè in aqua, sed potius decoquantur. Quoniam autem idem medicamẽtum potest prouocare & lotium, & sudorem, ideo, quando scopus erit prouocandi potius sudorem, quam lotium, optimum erit, vt post aquam alteratam

Galeni locus declaratur.

Sudorẽ prouocantia.

cum

cum radice petroselini per duas horas leuiter fricetur corpus: vel etiam cum Galeno adhibeatur balneum aquæ dulcis, & hoc potissimum in assuetis. De tempore nihil dico, quoniam explicatum satis fuit in sermone generali.

Tempus.

Postremo occurrunt alterantia, idest refrigerantia & humectantia: hæc autem respiciunt totum febre occupatum, quoniam febris (vt scitis) est morbus totius. Præterea refrigerantia diriguntur ad partes intemperatas ita, vt ob intemperiem gignantur materiæ biliosæ, sicuti est vt plurimum iecur, quandoquè etiam ventriculus. Quare in hac febre non est à vobis summa adhibenda diligentia ratione refrigerationis totius corporis, eò quod febris hæc est in habitudine; vnde euacuata materia, illa breuem habet permanentiam, immò sponte etiam delitescit. Vnde nec totum refrigerantibus vti cogimur, sed sufficit ratione & totius, & partium vti medicamentis, quæ intus adhibẽtur, vt si detis conseruæ vel rosarum, vel violarum, ℥.ſ. vel ℥. 1. vel si detis conseruam ex floribus cichorei, vel etiã ex eiusdem folijs, vel cõseruam endiuię, & id genus aliorum, quorum beneficio corporis partes refrigerentur, & potissimum iecur, atque ventriculus, quæ duæ partes potissimum respiciendæ sunt. Quare id vos non faciatis, qũo faciunt medici quidam, qui postquam exhibuere medicamentum soluens, & febris iam cessauit, nihil aliud præstãt: sed post exhibitionem soluentis, & post febrem exhibeatis omnino alterãtia, refrigerantia potissimum ratione partium gratia præseruationis: nam si perseueraret forte fortuna intemperies calida aut ventriculi, aut iecoris, rursus gigneretur bilis, & proinde febris rursus posset excitari. Expedit igitur applicare aliquid ventriculo vel iecori, modò tamen iecori, modo ventriculo, prout æger factus erit intemperatus vel secundum ventriculum, vel secundum iecur. Pro ventriculo poteritis vti olei rosati completi ℥. 1. & specierum diarrhodonis abbatis ℈. 1. simul mistis. Pro iecore intemperato facere poteritis fomentum accipiendo succi vel endiuiæ, vel cichorei, vel funci, vel hepaticæ p, 4. his addendo ad maiorem penetrationem aceti ℥. 1. misce & fiat epithema, quo foueatur iecur. Et si forte, fortuna insignis adsit iecoris feruor, his addatis etiam succi lactucæ p. 1. præsertim quando præcessit febris orta ex bile nõ flaua, sed potius vitellina, vel praxina, vel æruginosa, vel cærulea oportet tamen semper vos esse diligentes, & augere medicamenta pro rei ipsius exigentia. Post expurgationem corporis, atque post epithemata licebit etiam accipere vnguentum sandalinum, quod potest applicari regioni hepatis. Et si iecur sit æquo calidius, ascendatis etiam ad infrigidans Galeni; oportet enim vti & intensioribus, & remissioribus pro statu, & conditione intemperiei.

Corroborantia. Corroborantia exterius. Corroborãs ventriculũ. Epith. pro iecore. Præceptum. Vnguentum sandalinum.

His denique addenda est etiam victus ratio, circa quam sufficiat tantum duo verba dicere de cibo, & potu; de hac enim abũdè egimus in libro primo; Quòd itaquè spectat ad cibum, monet Galenus aduertendum esse, an æger sit delitiosus nec nè: si patiens non sit delitiosus, dat Galenus primo ad Glauconem cap. proprio solum cremorem ptissanæ, eò quod vires possunt hunc victum tolerare; febris enim hæc non potest excedere septimum periodum: secus autem esset procedendum, si esset tertiana exquisita non exactè, quia hęc potest esse diuturnior: si verò patiens sit delitijs deditus, concedit Galenus, & oua, & pisces, & fructus etiam, facilis tamen coctionis. Qua Galeni authoritate ducti practicantes libentissimè fructus concedunt suis ęgrotantib⁹. At, dicit Galenus, *possumus permittere, vt patientes degustent fructus*. dicit autem *degustent*, vt significaret, concedendos esse fructus in pauca quantitate, ideo

Diæta. Cibus. Qñ Gal. in tertiana exq. sita cõcedit oua, pisces, & fructus.

Alexander

Alexander concedit vuas in paucissima quantitate: persica similiter cocta, & etiam cruda: & probat potissimum carnem peponum, & præcipuè si patiens siti excrucietur. Vos igitur poteritis imitari Alexandrum dando illius auxilium vestris ægrotantibus: erit nanque ipsis iucundissimum, in tertiana tamē intermittente exquisita exactè, vel ad exactè exquisitam proximè accedente.

Alexander concedit uuas, persica, & pepones in tertiana exquisita.

Quare tempore æstatis, si corpus sit calidum, & siccum, atque siticulosum concedatis carnem peponum per duas horas ante accessionem, atque post esum ipsius exhibeatis aquam in potu, in sufficienti quantitate: propterea quod huius beneficio (vt optime dicit Alexander,) aliquando vel non succedunt amplius accessiones, vel, si succedunt, sunt mitiores.

Modus exhibendi pepones in tertiana & eorum utilitas.

Quò ad potum Galenus loco citato cōcedit vinum pauciferum aquosum, sed paucum, quando incipiunt apparere signa coctionis.

Potus.

Absoluto morbo concedit vinum in maiori quantitate; cum enim febris hæc longum habeat interuallum, ideo non prohibet eam vini quantitatem; aduertatis, tamen Galenum ibi de tertiana exquisita exactè tantum loqui. Quare si febris erit simpliciter tertiana, vel extensa, tunc non ita audacter est concedendum vinum; in his enim & in tertiana duplici, postquam non licet dare vinum, detis aquam, quæ quidem siuè sit hordeacea, siuè simplex decocta, siuè cum iuleb violaceo, siuè cum iuleb rosaceo, nihil refert, & hæc satis dicta sint de tertiana intermittente exquisita.

DE TERTIANA NOTHA.

Tertianæ exquisitæ intermittenti opponitur tertiana notha intermittens, quæ nihil aliud est, quam *febris putrida producta à bile mista prædominante, extra venas putrescente*. Cur dictum sit *esse febrem putridam*, nunc non est explicandū, cum aliàs fuerit explicatum. Diximus *esse productam à bile* ad differentiam aliarum febrium, quæ fiunt ab alijs humoribus. Addidimus, *à bile permista*, vt distingueremus tertianam notham, à tertiana exquisita, quæ quidem fit à bile syncera. iure autem diximus *à bile permista*, non ab impura: propterea quòd potest esse dupliciter impura, vno modo per iuxta positionem materię alterius, & tunc non fit vna tantum febris, sed duæ, verbi gratia, si bili proxima sit pituita, & fiat impura, tunc fiunt duæ febres biliosa nimirum, & pituitosa: Altero modo per mistionem alterius materiæ, ita vt prodeat una tantū vis, atque natura. Vnde Auicena cap. de tertiana notha dicit hanc febrem fieri per complexionem vnitam, sicuti in hemitritæo. Per complexionem vnitam intelligit mistionem diuersam à iuxta positione, quæ locum habet in hemitriteo. Iure igitur diximus *à bile mista prædominante*, nam cum bilis miscetur cum alia materia, verbi gratia, cum pituita, fieri potest, vt dominetur modo bilis, modo pituita: si dominetur pituita, febris erit notha, & quotidiana: si verò dominetur bilis, febris erit notha, & tertiana de qua nunc est sermo. Animaduertendum tamen, fieri posse, vt in febre hac modo copiosior sit bilis, modo pituita: ita vt non liceat semper in ipsa vti medicamentis in maiori copia ratione bilis, quam ratione pituitæ; interdum enim vtendū est medicamentis in maiori quantitate ratione pituitæ: quoniam hæc bilem excedit. Sed dicet aliquis quomodo igitur verum est, febrem hanc produci à bile mista prædominante? Dicatis, semper dominari bilem, si vis respiciatur; tanta enim est vis biliosæ materiæ, vt licet interdum reperiatur in minori copia,

Definitio.

Explicatio.

Bilis potest esse impura dupliciter.

Dubitatio.

Solutio.

pia, ratione tamen actiuitatis excedit pituitam; quia non est tanta uis in pituita, quanta in bile, sicuti etiam optimi philosophi norunt, maiorem esse vim in minori portione ignis, quam in maiori portione aquæ. Addidimus, *extra venas putrescente*, ad differentiam tertianæ nothæ continuæ. Sed cum qua nam materia miscetur bilis? Dico ego (pace multorum) bilem misceri aliquando cum pituita, quandoquè cum melancholia, quinimmò interdum etiam cum pituita, & melancholia simul.

Neque id aduersatur Galeno, cuius authoritate adducti quidam dixere, tertianam notham fieri solum à bile mista cum pituita; nam si rectè consideretis dicta Gal. primo ad Glauconem cap. 5. & 8. & capite de cura tertianæ nothæ, siuè signa perpendatis, siuè remedia, facilè deprehendetis adesse misscellam humoris tantum biliosi cum pituitoso, & hoc verissimum est, neque ego hoc inficior: veruntamen ob id non est inferendum, non dari tertianam notham ex mistione bilis cum melancholia; hoc enim est contra rei ipsius veritatem. Et vt hoc verum esse appareat, confugiendum est ad rei naturam: Nam quæro ego, possit ne misceri bilis cum melancholia; hoc fieri posse, apud omnes compertum est. Si potest, iterum quæro an materiæ istæ ita mistæ possint putrescere; at neque hoc alicui dubium esse potest: si igitur putrescant, ita vt fiat febris, & bilis prædominetur, nonnè erit febris biliosa, non quidem exquisita, sed notha? Itaque datur tertiana notha non solum ex bile mista cũ pituita, sed etiam ex bile mista cum melancholia. Galenus primo ad Glauconem locutus est tantum de tertiana notha ex bile mista cum pituita, quia sicuti ipsæ locutus est de tertiana exquisita exactè, ita etiam loqui debebat de tertiana notha exactè, vt febres istæ essent metrum reliquarum; quod dubio procul in compendijs est faciendum. Hæc autem febris est tertiana notha exactę, quia cum febris exquisita exactè fiat ab humore calido, & sicco, propterea ad constituendam tertianam notham exactè oportet, vt humor calidus, & siccus misceatur, non modo cum alia materia simpliciter, sed etiam cum alia, quæ omnibus modis sit opposita, nempè cum materia frigida & humida, qualis est pituitosa. Quare non est quod dicatis, Galenus non loquitur de tertiana notha ex bile, & melancholia simul mistis; ergo febris hæc non datur.

Tertianam notham ex mistione bilis & melancholiæ fieri posse probatur.

Ad faciendã tertianã notham exactè quid requiratur.

Differentię.

Sed accedamus iam ad differentias huius febris: constat ex traditis febrẽ tertianam notham esse, quando miscetur bilis, vel cum pituita, vel cum melancholia, vel quandoquè cum pituita, & melancholia simul. Quo ad signa, hic opus esset loqui de signis indicantibus & bilem, & pituitam, & melancholiam; sed cum in sermone de febribus biliosis exquisitis locuti simus de signis indicantibus dominium bilis, in tractatu verò de febribus & pituitosis, & melancholicis signa pituitæ, & melancholiæ dominium indicantia proponenda sint, propterea illa nunc silentio inuoluemus. In præsentia tamen aduertendum est, quomodo distinguatur tertiana notha à tertiana exquisita; quod facile cognoscetis, quia mista aderunt inditia pituitæ, de quibus suo loco. Facile etiam distinguetis tertianam notham à quotidiana: quoniam licet in vtraquè febre peccet pituita, in quotidiana tamen non modo adsunt inditia pituitæ, sed etiam febris inuadit quotidie: vos tamen has poteritis distinguere: nam si fuerit tertiana, præter id quod aderunt signa bilis, obseruabuntur etiã accessiones vna die intensiores, altera remissiores, nequè febris habebit accesiones ita æquales, quemadmodum quotidiana.

Signa.

Indicationes.

Quò ad indicationes, supponentes multa, quæ diximus libro primo in ser

mone

mone generali, applicemus indicationes huic febri. Oportet itaque lenire superfluitates biliosas,& pituitosas, ipsasque præparare: deinde easdem præparatas expurgare: tandem roborare partes, ideſt calefacere ventriculum, quia gignit pituitam,& refrigerare iecur,quia gignit bilem,prętereà etiam calefacere lienem, eò quod ob eius intemperiem frigidam multiplicatur materia melancholica.

Quò ad prognosticum; febris hæc est salubris: nam ex Hipp.4. Aph.43. febris,quæ tertia quaque die inuadit, quocunque modo intermiserit, periculo vacat:cum igitur febris hæc sit & tertiana,& intermittens non est periculosa. Intelligatis tamen, hanc non esse periculosam propria ratione, dico propria ratione, quia ex Galeno primo ad Glauc.8.Tertiana notha erat valdè periculosa in adolescente illo febricitante, eò quod delinquebat.Sed differentia est inter tertianam notham,& tertianam exquisitam,eò quod tertiana notha, licet sit tuta,salubrisquè,non ita facilè tamen cædit præsidijs, sed difficilius remouetur propter admistionem pituitæ,vel melancholiæ.Nam pręter id,quod hæ materiæ crassiores sunt,ac viscidiores,ratione etiam harum materierũ indicationes inuicem disseminantur,qm̃ indicantia sunt contraria:Quæ contrarietas nõ reperitur in tertiana exquisita; quoniam in hac,ratione tùm febris, tum materiæ refrigerandum est, atque humectandum. At in tertiana notha oportet refrigerare, & humectare ratione bilis; calefacere, & siccare merito pituitæ; calefacere & attenuare ratione melancholiæ: item refrigerare oportet ratione iecoris propter bilem,calefacere ratione ventriculi propter pituitam,& ratione etiam lienis propter melancholiam;cum igitur indicantia sint contraria,proindè arguunt curationem magis difficilem.

Sed descendamus iam tandem ad præsidia.Primum itaquè quò ad venę sectionem dicit Gal.1.ad Glauc. cap.de cura tertianæ nothæ, *si opus fuerit venam secare, hanc illico secare oportet, respicienda sunt ea, quæ considerari debent in administrando hoc præsidio*. Quibus voluit innuere Gal.non semper secandam esse venam in hac febre,sed aliquando,ideſt quando simul cum humoribus febrem producentibus mistus erit sanguis: quando igitur mistus est sanguis, cũ alijs humoribus,admittit Gal.venę sectionem,modo tamen & reliqua requisita cõsentiant. Vnde Auic.addit. *Si in hac febre vrina fuerit crassa*,ideſt indicans dominium sanguinis misti cum alijs humoribus, *secanda est vena*, Additquè, & *cum venam secueris, non indigeas clystere*, Quibus verbis nil aliud significare voluit Auicena,nisi quod ante venæ sectionem respiciendum est id, quod antecedit, nempè superfluitates in primis vijs existentes; hæ enim habent rationem antecedentis, tanquam causa sine qua non, cui prius est occurrendum, vt aliàs diximus.

Quare dicit Auic. *Et oportet vti phlobothomia vt non indigeas clystere*, ideſt oportet vti sectione venæ eo tempore,eaquè conditione,vt non egeamus clystere, ideo lenienda prius erit aluus.De tempore,& reliquis nihil est quod dicamus; quis enim ignorat,faciendum esse foramen mediocre, non ita amplum, vt in febre melancholica, nec ita angustum, vt in biliosa. Quod si non liceat venã secare,quoniam vires,vel quędã alia inhibeant, accedendum est ad vicarias sectionis venæ,nimirum cucurbitulas, quę inferioribus partibus debent affigi,vt aliàs demonstrauimus.

Quò ad medicamenta, hæc sunt lenientia,præparantia,purgantia,& roborantia, quantum ad lenientia attinet, Si homo facile vomat, dabitis aquam

Prognosticũ.

Differentia inter tertianam nothã & exquisitã.

Curatio. Chyrurgia.

Gal.locus explicatur.

Aui loc⁹ declaratur.

Tempus & reliqua.

Cucurbitulę.

Pharmacia. Lenientia. Vomitoriũ.

hordei tepidam cum oximelite. Quod si opus sit medicamentis per os, quæ inferius propellunt superfluitates, tunc poterit in bolo dari medicamentum ita paratum Rec. floris cassiæ ʒ.10. specierum hieræ ℈.2. vel ad summum ʒ.1. cum zuccaro fiat bolus. In potione verò ita præscribi potest medicamentum, Rec. mellis ros. sol. Mannæ electæ ana ℥.2. decoctionis cichorei, betonicæ quantum sufficit misce. Ad eandem intentionem ex Gal. sententia conducunt etiam mediocres clysteres ad euacuandum superfluitates biliosas mistas cum pituitosis, vt fiant non modo ex ptissana colata, ex violis, ex maluis, sed & ex mercuriali, furfuribus & alijs, quæ quidem sunt, non tamen admodum efficatia. Propterea addatis vos aliquando cassiam extractam, electuarium lenitiuum ita enim habebitis clysteres mediocres.

Leniens in bolo. — *In Potu.* — *Clysteria.*

Quò ad præparantia, eodem planè modo vtendū est præparantibus mistis, vt verbi gratia Rec. syr. de betonica, oximellitis simpl. syr. de cichoreo simpl. ana ʒ.5. decocti betonicæ, cichorei ℥.3. s. misce pro syr. Animaduertatis autem medicamenta hæc à nobis proponi gratia exempli, & nos præcipuè respicere tertianam notham exactè, quæ fit ex mistione bilis cum pituita; nam si mista esset bilis cum melancholia, tunc optimum esset miscere præparantia respicientia melancholiam, de quibus suo loco. Sed notandum, febrem hanc quãque esse diuturnam, vt necesse sit primum vti syr. leuioribus, quales modo proposuimus, deinde verò ascendere ad valentiores, vt ad syr. bisanthinum, de duabus radicibus, de quinque radicibus, de quibus agemus in sermone de febribus pituitosis.

Præparantia

Euacuantia verò sunt per vomitum, per aluum, per lotium, & per sudorē. Quò ad euacuantia per vomitum, dicit Gal. loco citato, optimum esse vomitū à cibo, & tanti fecit ipsæ hoc auxilium, vt dixerit, se hoc solo auxilio nouisse multos sanitati pristinæ restitutos. Quare sciendum, quòd quando Gal. proposuit vomitum à cibo, loquitur de vomitu, facto medicamento aliquo nō debili, sed mediocri, & aliqua etiam ex parte valido, eò quod datur post cibū. Præterea loquitur etiam de materia nondum quidem putrida, sed tamen pōt putrescere, febremque hanc producere; ex Gal. enim sententia 11. meth. 9. non oportet materiam putridam euacuare per os, & per ventriculum, nisi habeat impetum ad illum, nunc verò sermo nobis est de materia, quæ nondum putrescit. Ideo expedit vti non modo iure pulli, sed addere etiam oximel, succumquè, & semen raphani; succi quidem ℥.1. seminis verò ʒ.1. Et vrgente necessitate quando febris est mista, ascendatis ad flores genistæ vt ad ʒ.8. & ad ʒ.10. Non consulo vos exhibere veratrum album; quoniam febris hæc non est ita pertinax, vt quartana, de qua suo loco. Propterea Gal. probat euacuationem per aluum, atquè iubet frequenter mouendam esse aluum consuetis, veluti vrtica, beta, mercuriali; & propterea suo loco proposuimus syr. ex hoc medicamento confectum. Notetisquè Gal. his vti frequenter, cum tñ sint potius lenientia. Quare in febribus diuturnis non semel tantum danda sunt lenientia sed sæpius pro necessitate; quandoquè enim in huiusmodi febribus sæpe coaceruantur superfluitates, quæ in primis vijs collectę habent rationem causæ antecedentis, & sunt tanquam causa sine qua non, quando sunt præsentes; indicatio enim desumitur à præsenti tantum. Quare non tantum in principio, sed etiam in quocunque tempore febris dare oportet lenientia. Addit autem Alexand. & quidem optimè quod quia interdum euenire potest, vt materia non ita facilè possit educi, neq; facilè cedat leuioribus remedijs,

Euacuantia. — *Vomitus.* — *Qñ nō licèt materiã putridam euacuare per os & qñ licet.* — *Vomitoriũ.* — *Euacuantia per aluum.* — *Lenientia in febribus longis sæpius sunt repetenda.*

Propterea conuenit medicamẽtum confectũ ex ſucco roſarũ, & aggarico, & ſcammonio, Auicena verò addit turbit. Ego autem conſulo, vt in potione detis medicamentum paratum hoc modo. Rec. rhab. ell. agarici troch. an. ℈.4. decocti fructuum, & betonicæ quantum ſufficit miſce & fiat infuſ. ſecundum artem; deinde facta diligenti expreſſione adde mellis roſ. ſol. ſyr. roſ. ſol. an. ℥.2 miſce & fiat potio breuis. In bolo hoc modo Rec. agarici troch. pul. rhabarbari ell. an. ʒ.1. floris caſſiæ ʒ.7. miſce & cũ zuccaro fiat bol. optimumq; eſt vti his moderatis. Ideo dicit etiam Auic. non eſſe inconueniens vt vtamur medicamento forti debili, ideſt medicamente, recipiente electiuè educentia, in pauca tamen quantitate, in hac enim febre, vt monent Paulus & Aetius, non ſemel tantum purgare licet, ſed etiam ſæpius pro neceſſitate, apparentibus tamen ſignis coctionis materiæ. Vnde caueatis ne in errorẽ incidatis, qñ enim dicit Auic. dandum eſſe turbit in principio, non intelligit in principio febris, qñ materia eſt cruda, ſed in principio, quando licet vti medicamentis ſolutiuis; oportet. n. in febre non ſemel tantum, ſed ſæpius vti in principio. i. prima vice, non autem in principio febris: nulla. n. adeſt materia, quæ debeat euacuari in principio. Quare & ad colocinthidem, & ad valentiora aſcendendũ eſt pro neceſſitate.

Purgans in potu.

In Bolo.

Explicatio loci Auicenæ.

Præterea Gal. probat abſynthium, & mulſam cum hyſſopo, origano, & ſpica ad ciendum lotium: quo remedio vti etiam licet ad prouocandum ſudorẽ, ita tamen vt prius fiant leues frictiones, quarum ope medicamentum prouocet potius ſudorem, quam lotium. Idem etiam probat abſynthium ad roborãdum ventriculum, ſed non eſt vt hic agamus de roborantibus, qñ de roborantibus ventriculum agemus in ſermone de febribus pituitoſis: de roborãtibus lienem in ſermone de quartana: de roborantibus verò iecur ſatis diximus in tractatu de tertiana exquiſita, attamen exempli gratia vos poteritis vti in hac febre medicamento ex zuccaro, conſerua cichorei, conſerua foliorum betonicæ ratione pituitæ, conſerua ex folijs cichorei ratione bilis. Idem ẽt dicendũ eſt de victus ratione: propterea Galenus loco citato ait inſtituendum eſſe victum non exactè refrigerantem, humectantemquè, ſed nonnihil attenuantẽ viſciditatem pituitæ, veluti eſt ptiſſana addito pipere. Quod videns Alexander dicit ſe non probare id, quod proponitur à Galeno primo ad Glauc. cap. de cura falſarum tertianarum, vbi dat ptiſſanam cum pipere, hyſſopo, & origano, quando tertianæ nothæ ſunt variæ, vt interdum liceat dare ptiſſanam cũ aniſo, ſummitate porri, & oximelite. Atque aliquando eſt tertiana notha, in qua adeo mitis, vt pauca eſt pituita, vt ſufficiat ſynceram ptiſſanam dare abſque permiſtione calidorum, vt ſi calida commiſceantur, exacerbẽtur febres.

Diuretica.

Sudorẽ prouocantia.

Roborantia.

Dieta.

Alex. contra Galenum.

Quibus ex dictis facilè colligi poteſt, eos, qui tàm addicti ſunt contradicendi ſtudio nihil plerunque intelligere; quod quidem euenit doctiſſimo Alexandro, quandoquidem illud Galeno adſcribit, quod nunquam mente concepit, nempè illum cum ptiſſana hyſſopum, & origanum immiſcuiſſe; non enim hæc ſed piper tantum cum illa miſcuit, & id quidem, quia ſemper ſtuduit, morbos expellere non ſolum cito, ac tuto, ſed etiam iucundè, iniucundus autem nimis eſſet cibus, ſi condiretur cum hyſſopo, & origano, iucundus verò eſt, quando conditur cum pipere.

Contra Alexandrũ pro Galeno.

Vnde Galenus, ibi non miſcet hyſſopum, nec origanum in potione, ſed cum mulſa, & ad prouocandum lotium, non gratia cibi, loquitur enim ibi

Gal. locus declaratur.

de medicamento lotium prouocante, & hoc modo Galenum interpretatur Paulus.

De pipere digressio.

Sed quantum ad piperis exhibitionem attinet, in praxi ita est progrediendum, vt dicit Alexander; interdum enim aderit tertiana notha, in qua, si piperē dederitis, accēdetis febrem; insignis enim adest copia bilis, pauca verò pituitæ fieriquè etiam potest, vt adsit bilis mista cum pituita salsa, & sit tertiana notha, tuncquè nō debetis dare ptissanam, & piperē simul, sicuti Galenus concedit; attaman ob id nō erat ab Alexandro improbandus; Galenus enim cognouit id, quod proponitur ab Auic. hoc in capite quando dicit, aduertendum esse, an tertiana notha parum, an multum declinet à pura: si declinet plurimum oportet calida misce, calidorumquè dosim augere, si parum, diuersitas debet esse modica. At Galenus ibi non loquitur de omni tertiana notha: sed de tertiana notha exactè tantum, quæ quidem, vt sit metrum reliquarum, fit ex bile mista cum pituita in moderata copia; non autem in plurima, nec in paucissima. Quare ipse iure miscere potuit piperē cum ptissana; piperis enim caliditas, licet sit intensior, ita tamen dissipatur, vt agat in ventriculum, & non accendat iecur; eius enim uis dissoluitur in ventriculo.

Gal. ratio circa piper.

Dubitatio circa cibum.

Explicandum modo superest, quid significare voluerit Gal. primo ad Gla. cap. de cura tertianæ nothæ: nam cum offerat cibum quotidie in tertiana exquisita, rationi etiam consonum videtur, hoc idem fieri debere; immò verò potius in tertiana notha, cum hæc sit diuturnior illa, quò enim longior est morbus, eò etiam copiosiori cibo vti oportet. Cur igitur in febre diuturniore dat Galenus cibum alternis diebus, vt in tertiana notha; in breuiori verò singulis diebus? Dico ex præceptis traditis in primo libro in sermone de victus ratione in generali, hoc obseruandum esse, vt detur cibus copiosior in tertiana notha, quam in tertiana exquisita, propterea quod tertiana notha est diuturnior. Quare cum datur cibus in tertiana notha, alternis diebus dari debet in multò maiori copia vnica die, quam exhibeatur singula quaquè die in duabus diebus in tertiana exquisita.

Progressus Gal. in tertiana notha circa cibi exhibitionem.

Hoc autē modo processit Galenus propter febris accessionem; in die enim afflictionis accessio tertianæ nothæ multò longior est accessione tertianæ exquisitæ: quia durat vltra 12. horas, quia igitur non licet in ipsa cibum dare singulis diebus, vt in exquisita, propterea oportet supplere in quantitate dando copiosiorem cibum. Sed licet ita locutus sit Galenus non est tamen possibile hoc tempore eodem modo progredi, quo pręcepit Galen. si enim velletis nunc dare cibum in tertiana notha alternis diebus, ægri non possent perferre tantam inædiam: consuetudini itaquè aliquid est condonandum, & ideo quotidie oportet cibum exhibere. At in praxi hoc omnino est obseruandum, vt in tertiana notha in die afflictionis, minus cibetis, quam in tertiana exquisita: cōtra verò in die quietis multo magis cibetis in notha, quam in exquisita.

Modus cibādi in tertiana notha.

Potus.

Quò ad potum, Galenus loco citato dat oximel, in quo tamen non sit multa aceti quantitas, vt exquisitè bibi possit, modo plus, modo minus pro varia ægri natura.

Cur vinū nō conueniat.

Vnde nō dat vinum in tertiana notha, sicuti dabat in tertiana exquisita, & hoc quia plus pōt vis tū materiæ morbificæ, tum etiam febris habentis interuallum breuius prohibendo vinum, quam virtus indicando, ad differentiam tertianæ exquisitæ, quæ habet interuallum multo lōgius, vt plus possit virtus

indicando

indicando vinum, quam febris prohibendo; Hæc de tertianis intermittentibus tùm exquisita, tùm notha dicta sint satis.

DE FEBRIBVS BILIOSIS CONTINVIS, & primum de exquisitis.

Agendum modo est de febribus biliosis continuis, quæ febres sunt etiam vel exquisitæ, vel nothæ. Ne autem res ipsas confundamus, primum de febre biliosa continua exquisita, deinde de notha agemus. Febris igitur biliosa continua exquisita dicitur continua ad differentiam intermittentis, & dicitur exquisita ad differentiam nothæ, Et nihil aliud est, quam *putrida febris causata à bile syncera in venis putrescente*. Quid velimus per *febrem putridam*, satis patet ex aliàs traditis. Diximus; *causata à bile*, ad differentiam febrium sanguineæ, pituitosæ, & melancholicæ. Addidimus, *syncera*, vt distingueremus febrem exquisitam à notha. Postremò adiecimus, *in venis putrescente*, vt distingueremus continuam ab intermittente.

Nomen. Definitio & ipsius explicatio.

Sed vt quid per materiam biliosam synceram, quid etiam per venas, in quibus materia ipsa putrescit, intelligi debeat cognoscamus dicimus, per materiam biliosam synceram nos intelligere, bilem non modo excrementitiam, sed etiam alimentalem, ad differentiam febris biliosæ intermittentis, quæ nō potest excitari à materia alimentali, vt aperte demonstrabimus in sermone de febribus sanguineis: fit igitur hæc febris à materia biliosa tùm alimentali, tùm excrementitia. Per materiam verò biliosam alimentalem intelligimus succum biliosum in venis mistum cum succo sanguineo, qui succus biliosus, cū putrescit, febrē biliosam continuā excitat. Per bilē autem excrementitiā, intelligimus, & humorosam, & ichorosam. Quod attinet ad humorosā, hæc potest esse duplex; vel enim genita est à bile alimentali, vel à primo ortu fuit excrementitia; nam fieri potest, vt succus biliosus alimentalis putrescat, nō tamen sub forma succi alimentalis, vt declarabimus in sermone de febribus sanguineis. Si putrescat sub forma propria, fit febris biliosa ex bile alimentali, si verò (vt aliquando euenit) degeneret in succum excrementitium, atque putrescat: tunc producit febrem ex bile excrementitia, quæ tamen originem duxit ex bile alimentali. Altera est etiam bilis excrementitia, quæ non ducit originem ex alimentali, sed gignitur in iecore, & est materia excrementitia tenuis secundæ concoctionis nempè sanguificationis, ad differentiam excrementi melancholici, quod est crassum sanguificationis excrementum, quæ quidē materia excrementitia potest esse multiplex, nempè bilis flaua, vitellina, porracea, æruginosa, & cærulea, potest etiam esse ichorosa, idest ichor bilis, & aliquo modo etiam massæ sanguineæ biliosæ, dico aliquo modo, quia tunc sermo est de febre exquisita, quæ fit à bile syncera, siuè sit ichorosa, siuè humorosa, veluti est ichor bilis. Ichor autem massæ sanguineæ est quoddam mistum ex quatuor ichoribus, nempè ex ichore sanguinis, pituitæ, bilis, & melancholiæ, de quibus diligenter agemus in sermone de synochis: ex quo misto non potest fieri febris exquisita, quia non est vnicus ichor, licèt autem non sit vnicus proximæ accedit ad naturam ichoris synceri ratione prædominij, & propterea diximus, aliquo modo.

Materia humorosa est duplex. Bilis excrementitia duplex. Ichor bilis. Ichor massæ sanguineæ.

Sed comprobemus ex Galeno febrem biliosam fieri ex humoribus, atque ichoribus; & primum quo ad humores, hoc clarè patet ex Galeno 4. Aphor.

Datur febris biliosa ex ichoribus.

59. Item 2. de Cris. 3. & 6. *vbi voluit ex flaua bile fieri febres biliosas*, immò ardentes biliosas continuas, atque intermittentes. Quò ad ichores, Galenus 4. de rat. vic. primo ait fieri febres ardentes, & exquisitas, de quibus nunc loquimur, ex ichoribus biliosis, quos ichores appellat. Modumquè generationis ichorum ibidem clare docet dicens, tempore æstiuo venas siccari, inaniri, atque humores illos biliosos synceros attrahere, quibus deinde putrescẽtibus oriuntur febres ardentes.

Quõ gignantur ichores.

Per venas, quid intelligendum.

Præterea per venas intelligimus non modo venas totius corporis, & venas magnas, quæ sunt inter alas & inguina, sed etiam venas alicuius partis determinatæ, ad ventriculum silicet pertinentes, ad iecur, immò & ad intestina, ex Galeno quarto de rat. vic. primo. Quinimò fieri potest febris ardens ex materia putrescente non solum in venis propositarum partium, sed etiam ex putrescente in venis pulmonis circa lienem, immò etiam circa ventriculum, & hoc non modo ex Auic. sed etiam prius ex Gal. 1. Epid. primo 9.

Causæ.

Hæc autem febris fit ex ijsdem causis ex quibus etiam fiebat febris intermittens, differentia tantum est inter illas secundum magis & minus. Causæ minus efficaces faciunt febrem intermittentem, efficatiores verò cõtinuam, de quibus suo loco diximus, & loquitur etiam Galenus quarto Aph. 58. sunt autem causæ calefacientes, & siccantes. Hoc tamen moneo dixisse Galenum 3. Epid. 3. 7. corpora melãcholica esse obnoxia febribus ardentib⁹, quod dictum est rectè considerandum, corpora enim melancholica videntur potius præparata ad febres melancholicas, quam ad biliosas. Per corpora igitur melancholica oportet intelligere ea, quæ sunt apta ad gignendum humores melancholicos, sunt autem corpora calida & sicca, quæ habent iecur calidum, & siccum; nam licet habitus corporis melancholici sit frigidus, & siccus, iecur tamen gignens humorem melancholicum est calidum. Quare per corpora melancholica non intelligatis corpora in quibus redundat melancholia, sed calida & sicca, habentia iecur calidum & siccum, quod potest bilem & copiosam gignere. Ex traditis colligitur differentias esse desumendas à materia putrescente, & à loco; in quo materia ipsa putrescit. A materia putrescente desumuntur differentiæ, prout febris fit à bile vel alimentali, vel excrementitia, & si ab excrementitia fiat, prout materia est vel humorosa, vel ichorosa. Vnde hic diligenter notandum est dari febrem biliosam exquisitã exactè: atque etiam exquisitam non exactè; Febris biliosa exquisita exactè est ea, quæ fit à flaua bile excrementitia tantum: exquisita verò non exactè fieri potest à bile vel alimentali, vel excrementitia, quæ fit non modo flaua, sed etiam porracea, vitellina, æruginosa, & cærulea. Quod verissimum esse Galeni triplici testimonio comprobabimus. Primum itaquè Galenus 4. de rat. vict. primo voluit causon exquisitum, etiam proprium esse, in quo sitis obseruatur inextinguibilis. In causo igitur exquisito ex Galeni sententia præter vrentem caliditatem adest etiam sitis inextinguibilis. Subdit deinde, sitim hanc adesse insigniorem, si febris ardens excitetur particula aliqua læsa, cuius vi excitetur sitis. Vnde si contingat, (inquit ipsæ) vt originem ducat causus ex parte aliqua, cuius vi non tanta excitetur sitis, tunc non obseruatur sitis admodum intensa. Quo stante, quæro ego, an causus, quando est cum siti remissa, non ratione materiæ, idest pituitæ, sed ratione partis, (peccat enim eadem materia biliosa) sit febris exquisita, atq; fiat à bile syncera: æquidem non notha, sed est exquisita, quia fit à syncera bile, non est tamen exquisita

Melancholici, sunt obnoxij febribus ardentibus.

Gal. locus explicatur.

Differentiæ.

exactè

exactè & propriè. Secundo Galenus 4.de rat.vic.13. voluit febrem ardentẽ esse triplicem; primum enim datur febris ardens exquisita propriè, in qua, adest & vrens caliditas, & insignis sitis, & hanc medici vocant causon propriũ. Quod si contingat, sitim non esse adeo intensam, est quidem adhuc exquisitus causus, sed non propriè. Postremo ait, si mediam seruet naturam, vocari causon nothum. Quare ex his patet, dari causon exquisitum exactè, exquisitum non exactè, & nothum. Tertio & vltimo Galeni est sententia primo Epid.primo, 9. dari febres ardentes, quæ fiunt ex sincera bile, quæ sunt quasi germanæ. Vocat autem has quasi germanas, idest quasi non exactè exquisitas, quoniam loquebatur de febribus quæ fiunt à syncera bile, non tamen de his, quæ inuadunt tempore æstiuo, aere calido, & sicco, quę omnia necessaria sunt ad ardentis exquisitę exactè productionem, vagabãtur enim febres illæ tempore verno, non autem æstiuo, & propterea vocauit eas quasi germanas, idest quasi non exactè exquisitas. Propterea dicendum dari febres biliosas continuas exactè exquisitas, & non exactè exquisitas: si enim febris fiat à flaua bile excrementitia, potest esse & exactè, & non exactè exquisita, semper tamen est exquisita: si verò fiat ex bile alimentali vel praxina, vel vitellina, vel æruginosa, vel cærulea, hæ omnes erunt febres ardentes exquisitæ, quia fiunt à syncera materia, non erunt tamen exactè, propterea fieri solent febres ardentes colliquatiuæ, febres lypiriæ vocatæ. Diximus autem febrem, si fiat ex bile excrementitia, posse esse exquisitam & exactè, & nõ exactè: erit exactè exquisita febris biliosa continua, si non solum fiat ex flaua bile excrementitia, verum etiam si concurrant conditiones supra dictæ, temperatura, ætas, aer, & alia, de quibus supra diximus in sermone de febribus intermittentibus, sed si aliqua harum conditionum desit erit quidem exquisita, quoniam fit à syncera materia, non tamen exactè, propter defectum alicuius conditionis requisitæ, febres autem colliquatiuæ non fiunt ex flaua bile. Quę veritas, licet à paucis sit proposita, desumitur tamen ex Galeno tertio de rat. vic.12. vbi ait: in febribus ardentibus colliquatiuis apparere excrementa, quæ sunt etiam spumosa ratione insignis caliditatis. Inquit autem Gal. hæc excrementa esse ea, in quibus conspicitur bilis vel ignea, vel flaua, & crassa. Proponit autem, bilem igneam, flauam, & crassam, eò quod, quando fit colliquatio, tunc insignis est feruor, & propterea redundat bilis ignea, idest maxime calida, non autem flaua bilis simpliciter, & per bilem flauam colloratam igneam intelligit bilem porraceam, æruginosam, & cæruleam, idest bilem, quæ non seruat colorem flauum; bilis enim color est flauus. Deinde proponit bilem flauam, idest bilem, quæ seruat suum proprium colorem, ad differentiam bilis igneæ, quæ caret proprio colore; sed febris colliquatiua fieri potest ex bile, quæ seruat proprium colorem, idest ex flaua. Addit etiam Galenus esse bilem flauam crassam, vt insinuet febrem hanc fieri ex bile vitellina, hæc enim seruat colorem bilis flauæ, sed est crassior: crassescit autem ob insignem caliditatem. Quare, dicant alij quicquid velint, febris ardens colliquatiua non fit ex flaua bile simpliciter, sed ex flaua bile crassa, idest vel vitellina, vel praxina, vel æruginosa, vel cærulea, & ideo est quidem exquisita febris, non tamen exactè exquisita.

Febris ardẽs est triplex.

Gal. locus explicatur.

Febris biliosa continua duplex.

Explicatio loci Galeni.

Gal. loc⁹ declaratur.

Vnde fiat febris colliquatiua.

DE LYPIRIA ARDENTE.

Lypiria quid sit, & vnde fiat.

Idem dicendum est de lypiria, quæ quidem est illa febris ardens, in qua interiora vruntur, exteriora verò algent; fieriquè solet non modo ex bile, sed etiam ex pituita. Præterea non est credendum lypiriam non posse esse ardentem, vt quidam credidère. Verum Galenus lib. de Inæq. intemp. cap. 8. ait dari febrem lypiriam, & etiam genus quoddam febris ardentis. Quo in loco videtur seiungere lypiriam à febre ardente, ita vt lypiria non sit constituenda inter febres ardentes. Attamen sciendum est, falsum esse asserere, omnem febrem ardentem esse lypiriam, & omnem lypiriam esse ardentem: datur nãque ardens, quæ non est lypiria, & lypiria, quæ non est ardens. Vnde, vt hãc veritatem intelligatis, sciendum est à medicis tunc lypiriam febrem statui, quando in interioribus est feruor, in exterioribus verò frigus. Hæc autem lypiria non modo est biliosa, sed potest etiam esse pituitosa, de pituitosa autẽ agemus diligenter in sermone de febribus pituitosis. Lypiria verò biliosa ex Auicena cap. proprio est duplex, mitis videlicet & immitis; mitis est quando in interioribus biliosa materia putrescit, & feruet, attamen non est copiosa, nec insignis feruor, & ideo non cõmunicatur partibus exterioribus, sed tepidiores permanent: Immitis verò est illa, in qua interiora excandescunt ob insignem feruorem, ob putredinem materiæ biliosæ, ita vt spiritus cum calore confluant ad partes internas. Vnde exteriora refrigerantur, quia calore, spirituquè sunt destituta: & de his agit Galenus 4. Aphor. 48. Quare manifestum est dari lypiriam, quæ non est ardens, & contra, dari ardentem, quæ non est lypiria.

Dubitatio.

Solutio.

Lypiria biliosa duplex.

Differentiæ.

Constitutum itaque sit, febrem biliosam continuam quando non est exactè exquisita, posse esse & colliquatiuam, & lypiriam. Quod si sumantur differentiæ à loco, idest à venis, dicendum ex Galeno quarto de rat. vic. primo, item secundo de Cris. tertio, & 6. biliosam materiam putrescere in venis vel totius, vel partis, si putrescat in venis totius, tunc fieri potest putredo in venis vel magnis, vel paruis; si in magnis, fit febris ardens, quæ dicitur continens, seu synochus & si fiat à flaua bile, est febris ardens exquisita exactè: si in paruis remotis, non tamen remotissimis, fit febris biliosa ardens exquisita continua, quæ potest etiam esse exquisita exactè. Quod si materia putrescat in venis remotissimis, fit febris non ardens, sed biliosa continua proportionata, quæ potest esse exquisitissima ex Galeno loco citato, & præcipuè ex secundo de Cris. 6. vbi voluit tertianam intermittentem distingui à febre ardente, eò quod in ardente nullus obseruetur rigor, qui nec obseruatur in ardenti synocho, nec in ardente continua, sed obseruatur in proportionata, loquitur autẽ ibi Galenus de intermittente exquisita, & de ardente exquisita. Quod si putrescat materia in varijs partibus tunc possunt fieri multiplices, pluresquè febres ardentes, prout putrescit materia vel in venis iecoris, vel in venis ventriculi, vel polmonis, vel vteri, vel partium cordi proximarum, quæ sanè febres sunt continuæ, & ardentes, & possunt etiam esse principales. Dico autem posse esse principales, quia dantur etiam ardentes nõ principales, de quibus hic non est quod agamus.

Principales sunt febres, quando materia biliosa putrescit in venis propositarum partium, partes tamen hæ nondum correptæ sunt affectu erisipelaceo,

quoniam

quoniam si erisipelate affectæ essent, tunc febris non esset principalis, sed accidentalis, quoniam sequitur erisipelam, sicuti fit etiam in febre pleuritica, quæ quidem non est principalis, eò quod comitatur inflammationem. Si ergo contingat, materiam non putrescere in spatijs particularum & in poris earũdem, sed in venis tantum, hæc erit febris principalis, imminet tamen inflammatio. Cum igitur putrescit materia in venis, fit febris principalis ardens, de qua nunc loquimur, febrisquè hæc varia acquirit nomina pro varietate partium; si enim ex Aetio fiat febris ardens ex materia putrescente in venis iecoris, dicitur febris ardens fumosa, fit enim insignis euaporatio è iecore. Quod si putredine materiæ afficiãtur venæ ventriculi, tũc febris hæc ex Aetio vocatur lypiria, quoniam, quando afficitur ventriculus, rationi consonum est, vt malè etiam ipsæ se habeat secundum os superius, quando interius est feruor, exterius verò est frigiditas; si tamen fiat febris ardens ex pulmone, ex Aetio algida vocatur. Quid autem per Algidam Aetius voluerit significare, rectè est intelligendum, eò quod febris hæc est feruidissima; quia putrescit bilis in venis pulmonis, partiumquè cordi propinquarum. Per algidam itaquè febrem intellexisse potuit febrem pessimam, & lethalẽ, quam etiã frigidam potuit nominasse, quoniam, vbi afficitur pulmo, pars quidem valde proxima cordi, facile est syncopes fieri, vbi autem succedunt syncopes, corpora euadunt frigida.

Febris fumosa.

Lypiria.

Febris Algida.

Aetij locus explicatur.

Quò ad signa oportet cognoscere febrem biliosam in genere, deinde eius differentias. Quo ad primum, de his egit Galenus passim, & potissimum 2. de præsag. ex pul. 5. item 4. Aphor. 54. item 6. Aphor. 26. & præcipue 4. de rat. vic. in primis illis commentis, & presertim primo, quarto, decimo, & duodecimo. Signa autem desumi debent ex actione læsa, exeunte mutato, & qualitate mutata: ex actione læsa, vt ex pulsu, qui in febre biliosa continua exquisita obseruatur maximus celerrimus, frequentissimus, atq; etiam durus: maximus quidem, quia insignis est vigor, & actiuitas pulsus, vt secundum omnem dimensionem arteria posit dilatari: celeris autem, & frequentissimus ob summam necessitatem euentandi calorẽ; durus verò propter siccitatem. Aduertendum tamen hoc esse signum, dico signum, eo quod non demonstrat: immò nec semper adest, sed ex Galeno loco citato interdum apparet pulsus potius paruus, quam maximus, & maxime etiam inæqualis, quando non est febris simpliciter biliosas, sed potius biliosa lethalis. Indicatur etiam ex siti, quæ est admodum insignis, cuius ratio satis superquè per se clara est. Aduertatis tamen posse esse febrem propositam & febricitantes siti non excruciari, Quod euenire potest ex Hipp. sententia, & etiam Galeni quarto Aphoris. 54. quoniam febri adiuncta sit tussicula, idest tussis leuiter irritans, cuius irritationis causa fit, vt partes gulæ madescant, cuius madefactionis ratione non apparet sitis. Nec credatis tussiculam hanc fieri semper propter destillationẽ exiguam; nam & sine hac destillatione fieri potest, nempè vel ex intemperie illarum partium, vel ratione ambientis citra materiam. Vnde quando excitatẽ tussis, ratione illius agitationis à vicinis partibus confluit materia, defluitquè humiditas, quæ sitim obtundit, & est in causa, vt non appareat sitis. Præterea indicatur etiam ex vigilijs cuius ratio per se satis patet. Aduertendum tamẽ ex Auicena, si forte febre biliosa ardente corripiant pueri, non tamen ob id adesse vigilias, sed pueros dormitare, eo quod in puerili ætate viget humiditas, quæ euaporat in caput, & ita somnum parit.

Signa.

Signorum loca.

Pulsus qualis sit in hac febre.

Notandum.

A Siti.

Cur in hac febre quandoque non adsit sitis.

Aliũde quandoque prouenit tussicula, quam ex destilatione.

A vigilijs.

Cur pueri hac in febre non vigilant vt iuuenes.

A Pulsu temporum.
Causa pulsationis temporum.

Præterea indicatur ex pulsationibus temporũ; illa enim maximè pulsant, quod non obseruatur in pituitosis, nec in melancholicis febribus, sed in biliosis tantum, facile nanque ascendit bilis, inuaditquè temporum arterias, Quo etiam fit, vt sæpenumero acerbo capitis dolore excrucientur febricitantes, & hoc fit etiam ob atram bilem ferientem membranas capitis tùm internas, tùm externas. Præterea indicatur etiam ex delirio: hoc enim præcipuè in biliosis febribus locum habet. Vnde aduertendum ex Hipp. 6. Aphor. 26. in febre ardente, si tremores accidant, ipso delirio superueniente solui. Dicit autem ibi Galenus hunc non esse Hipp. Aphorismum: quia non est doctrinæ Hippocraticæ consonum; si enim contingat tremor, deinde succedat delirium, *hæc (dicit Galenus) non est statuenda solutio tremoris, nec alicuius vitij: nam cum dicimus, (si rectè loqui licet) aliquod vitium remoueri, oportet hoc ita remoueri, vt vel nihil mali succedat, vel si succedit, sit minoris detrimẽti, at delirium & maioris momenti, quam tremor.* Veruntamen asseri potest cum Auic. in febre ardente fieri posse rigores, tremores uè, & eis deliria succedere, quæ affligunt aliquando cessante tremore, aliquando verò adhuc ipso persistente, deliria fiunt permanente tremore, quando in consensum ducitur cerebrum, quando silicet nerui à biliosa materia sic afficiuntur, vt etiam in cõsensum trahant cerebrum, sed tunc æger eadem hora corripitur febre ardẽte, & tremore, atque etiam delirio, fieri etiam potest, vt ait Auicena, vt æger afficiatur primo solum delirio, deinde verò tremore, & hoc fit non quia in consensum ducatur cerebrum, non enim adest tremor, nec amplius afficiuntur nerui, sed quia transmittitur materia, ita vt materia, quæ prius neruos occupabat, nunc occupet cerebrum: & hoc est pessimum delirium, quia afficitur pars nobilior. Indicatur præterea ex lotio valde bilioso, ex fecibus, & vomitu biliosis. Sed loco citato monet Galenus fieri posse, vt in febre ardente excrementa sint pituitosa: excrementa inquam, quæ sunt in primis ductibus, & in sima parte iecoris, idquè fit, quia præcessere cruditates ob vitium ventriculi; possibile enim est, vt copiosa sit bilis in corpore, & venis, & excrementa redundent in intestinis, & in sima iecoris: ob id oportet medicum esse prudẽtem, & ad alia signa confugere. Postremo indicatur etiam ex qualitate mutata, ex insigni feruore, qui percipitur in exterioribus, dummodo non sit lypiria ex insigni feruore. Sed ex Galeno aderit lingua arida, & nigrescens, ratione siccitatis, & præcipuè ratione maximi feruoris. Quibus etiam addatis causas prægressas, quæ potuerunt bilem multiplicare. Præterea cognoscere etiã oportet, vtrum biliosa febris ardens sit continens, an cõtinua proportionata, item etiam an ex hac, an potius ex illa prodeat biliosa materia; hoc enim ad prognosticum, & ad curationem maxime facit. Si itaque fuerit febris, quæ originem ducat ex materia alimentali, quæ putrescat etiam sub forma succi biliosi alimentalis, cognoscetis, quia erit mitior cæteris paribus; non enim obseruabitur tantus feruor, tanta velocitas, frequentiaquè in pulsu. At in biliosis ęgri difficilius febrem tolerant, quia putrescit alimentum, ut aliquando mirentur medici febricitantes aliquos febrem continuam proportionatam difficillimè sustinere: contra verò aliquos febrem ardentem continentem, facilius tolerare, & quod maius est laborantes febre ardente esse natura imbecilliores laborantibus febre non ardente: attamen licèt isti robustiores sint, vix febrem tolerare possunt. Hoc est maximum inditium febris orte ex succo alimentali; quando enim defficit alimentum, ægri non possunt perfer-

A delirio.

Delirium potest dupliciter tremori superuenire.

Ab excrementis.

A qualitate mutata.

A lingua arida & nigricante.

Signa causarum.

Cur quidam facilius febrem vehementiorem, quidam vero difficilius mitiorem ferrunt.

re febrem. Quod si materia fuerit excrementitia, potest esse & humorosa, & ichorosa, quas vos distinguetis, quoniam, si febris oriatur ex ichoribus, symptomata erunt mitiora, faciliorquè erit tolerantia, lotium erit valde tenue, excrementa erunt ichorosa, biliosa tamen. Secus autem erit si febris oriatur ex humoribus, nam si peccet humor excrementitius tunc cognoscendum, an sit flaua bilis, necnè; si enim erit flaua bilis, febris erit quidem biliosa, non tamen colliquatiua, nec lypiria, at si forte sit lypiria, ex Auicena mitissima erit, & cum tolerantia febricitantis. Quòd si materia fuerit vel vitellina, vel porracea, vel æruginosa, vel cærulea, tunc febris erit biliosa colliquatiua, febres etiam erunt pernitiosæ, idest lypiriæ sine tolerantia ægri, vt dicit Aetius. Vtrũ autem sit materia vel vitellina, vel porracea, vel æruginosa, vel cærulea, cognoscetis non modo ex eo, quod differrentia est secũdum magis & minus inter symptomata, (pessima enim febris est ea, quæ fit ex bile cærulea) sed etiam ex colore lotij, fœcum, & vomitus. Similiter etiam cognoscetis, an sit febris ardens biliosa, an biliosa non ardens; ex Galeno enim secundo de Cris. 6. si febris erit biliosa non ardens proportionata aderit rigor, qui nequaquam obseruabitur in febre ardente, dicit enim Galenus loco citato febrem ardentem distingui ab intermittente, eo quod nullus apparet rigor in ardente; in biliosa verò continua proportionata, quæ fit à materia putrescente in venis remotissimis, apparet rigor, quoniam licet maxima portio materiæ consistat in venis, aliqua tamen eius portio propellitur extra venas, quæ rigorem facit. Aduertendum tamen, quod licet dixerimus lypiriam esse febrem ardentem non exactè, & in ea apparere frigus, tamen Galenus loco citato nõ distinguit febrem ardentem per frigus priuatiuum, quod percipitur in lypiria, sed per rigorem, qui fit à præsentia materiæ. Ex quo quidẽ rigore distinguetis febrem continuam, proportionatam ab ardente. Distinguetis etiam febrem continentem à continua, quoniam in continente non apparent accessiones, quia non mouetur materia de loco ad locum, nec propellitur à venis magnis ad paruas, sed vna tantum accessione febris ipsa terminatur: contra verò in febre ardente continua apparent accessiones de tertia in tertiam ex Galeno 2. de Cris. 3. Dicant alij quicquid velint, in febre ardente exquisita apparere possunt accessiones de tertia in tertiam, quoniam in hac transmittitur materia à venis magnis ad paruas ex Galeno, & ex Hipp. etiam 3. Epid. 3. 7. vbi voluit malam esse febrem ardentem, in qua appareãt accessiones in diebus paribus. Ex quo duo colligatis, vnum quidem, in febre ardente fieri posse accessiones: alterum verò ipsas fieri diebus paribus. Quod dictum videtur esse satis difficile; febris enim biliosa habet accessiones de tertia in tertiam & proinde in diebus imparibus. Intelligendum est Hipp. loqui de febre ardente duplici, quæ habet accessionem quotidie, fieri enim potest, vt accessiones pares sint deteriores imparibus. Auicena cap. de cura febris ardentis dicit curationem causi esse curationem tertianæ puræ, vt significaret easdem esse hauriendas indicationes pro cura febris biliosæ continuę, quæ etiam desumpta fuerunt pro curatione febris intermittentis, ita vt differentia tantum sit secundum magis & minus. Quare vt in illa febre tria erant principaliter indicantia, ita etiam dicendum est in curatione propositæ febris: adeo quod oporteat desumere indicationes à tribus, nimirum à virtute, à causa febris, & à febre ipsa, de quibus indicationibus satis egimus in tertiana pura intermittente.

Signa febris differentiarum.

Hipp. locus explicatur.

Indicationes a quibus sint desumẽdę.

Symptomata solita adesse in febre continua.

Id tantum hic addo, in febre continua & potissimum ardente coniungi symptomata, quæ sollicitudinem medici ad se trahunt; insignes enim adesse solent dolores, pertinacissimæ vigiliæ, deliria, & alia, quæ magis affligere solent in febre continua, quam in intermittente, Quò fit, vt febris hæc ad differentiam intermittentis non sit vndequaque salubris, sed periculosa, vt dicit Hipp.4.Aphor.43. Vnde addit Galenus lib.de temp.morb.cap.5.tertianam continuam esse omnium febrium deterrimam. Quod dictum est rectè intelligendum, quoniam quartana continua, vt suo loco demonstrabimus, est periculosior tertiana continua. Quare cum dicit Galenus tertianam continuam esse omnium febrium deterrimam, non intelligit hanc esse febrem omnium periculosissimam, nec magis periculosam, quam quartana continua, sed esse febrem, quæ multo difficilius toleratur reliquis omnibus, quæuè coniunctum habet summum feruorem. Quod hoc sit verum patet, quoniam Galenus reddens rationem cur hæc febris sit deterrima dicit, quoniam fit ab humore omnium calidissimo. Ex his igitur statuendum est febrem hanc esse periculosam, vt quandoque sit salubris, quandoquè etiam lethalis. Vnde prudentis medici munus est prænoscere an febris futura sit salubris, an lethalis: Hoc autem assequetur, si sciet prænoscere, an victoria futura sit ex parte febris, an verò ex part e virtutis. Hoc etiam præcognoscet, si summa cum diligentia perpenderit res præter naturam, res secundum naturam, & res non naturales.

Gal. locus declaratur.

Perpendenda circa prognosticum.

Quò ad res præter naturam, considerare oportet vim differentiarum, & symptomatum. Si consideremus differentias, cum hæ desummantur à materia, & à loco, febris hæc ratione materiæ est deterrima, & maximè periculosa, si fiat non modo à materia excrementitia, sed etiam ab excremento humoroso, ad differentiam ichoris, & potissimum si fiat à bile ignea, idest praxina, ærugìnosa, cærulea, & etiam à vitellina, licet hæc non sit adeo periculosa. Vnde Aetius cognoscens produci febres colliquatiuas à bile ignea, non autem à flaua dicit, eas esse perniciosissimas. Inter igitur febres biliosas continuas deterrimæ sunt colliquatiuæ, quia fiunt à iam dicta materia; minus periculosæ sunt febres continuæ, si fiant à flaua bile, nec admodum periculosæ sunt, si fiāt à bile alimentali, quæ putrescit sub forma propria; cum enim sub forma propria corrumpitur, & non degenerat in bilem excrementitiam, & pessimam, mitis solet esse febris; valdè periculosa est febris, si fiat à bile praxina, æruginosa, & cærulea.

De differentiis à materia.

Ex febribus biliosis quæ magis, quæve minus periculosæ sint

Vnde dicit Galenus secundo de diff. feb. 9. febres sanguineas esse mitiores, quia considerauit ipsas fieri à materia alimentali licèt sanguinea. Quod si consideremus differentias, quæ desumuntur à loco, ratione loci minus periculosa est febris biliosa proportionata, quam ardens; & si conferantur inuicē febres ardentes, periculosior est continens quam continua; ratio est, quia in continenti materia putrescit in venis magnis. Quod si comparemus febrem ardentem, quæ fit à materia putrescente in venis totius cum febre ardente, quæ fit à materia putrescente in venis partis, fieri potest, vt periculosior sit illa, quæ oritur ex materia putrescente in venis partis, & præcipuè iecoris, vel ventriculi, immò laborante hac febre omnes ferè moriuntur. Est autem magis periculosa, quoniam partes hæ afficiuntur erisipelate, vel quasi afficiūtur: dicit autem, quasi, quoniam si verè erisipelate afficiantur est febris non principalis, quæ deinde est ferè læthalis: dico autem ferè, quia sermo est de febre

Differentiæ à loco.

principali,

principali, quæ fit à materia putrescente non in spatijs, seu poris particularũ, seu in venis; at licet materia putrescat in venis, tamen cum putrescat in venis partium difficillimè vinci potest; facilius enim euacuatur, si in vasis magnis detineatur. Quare cum videbitis esse febres ardentes, quæ fiant vitio vel iecoris, vel ventriculi, vel pulmonis, dicatis has esse admodum periculosas, vnde febricitantes maximè etiam affliguntur secundum dictas partes. Quod si consideremus symptomata, discurrendum est per actiones læsas, per exeuntia mutata, & per qualitates mutatas. Quò ad actionem lęsam ex Hipp. & Galeno primo Epid. secundo 29. non sitire in febre ardente pessimum est inditium, quia ob vim affectus siticulosi deberent esse febricitantes, vnde quãdo non sitiunt, ex Galeno inditium est extinctionis facultatis, quod etiam dicit Galenus primo Epid. secundo 75. Aduertendum tamen, si febricitantes interrogati an sitiant, respondeãt, se non sitire, non statim inferrendum esse à vobis hac Galeni authoritate adductis, febrem hanc esse læthalem, extinctãquè esse facultatem, quoniam adhuc alia sunt à vobis consideranda: quod namquè non sitiant, ab alia etiam causa prouenire potest, veluti à tussicula, & delirio; vbi enim mẽs ægrotat, æger sitim non sentit, tuncquè febris non est adeo periculosa. Aduertatisquè etiam multo deterius esse, quando febricitãtes negant se sitire non delirantes, quam quando delirant, quoniam tunc inditium est extinctæ facultatis, quæ est deterior delirio. Aduertatis etiam, ægros non sitire fieri posse ex vtraque causa, idest non modo ex delirio, sed etiã ex facultatis extinctione. An delirent ægri, nec ne facillimè cognoscetis, quia delirium est res manifestissima. An verò vnà cum delirio adsit etiam extinctio facultatis, hoc colligetis ex pulsu: nam ex Galeno secundo de pręsag. ex puls. quinto febris ardens insalubris, læthalis uè indicatur ex pulsu raro, remisso, paruo, & duro; quando enim facultas extinguitur fit rarus, remissus, & paruus; durus verò ob insignem caliditatem, & siccitatem, partes indurantem. Quando igitur huiusmodi pulsus apparent, nec ægri cõqueruntur de siti, dicatis, hoc fieri non tantum propter delirium, sed etiam ob extinctionem facultatis, & proindè actum etiam esse de vita ipsorum, quia febris hæc est læthalis. Aduertendum præterea, an appareat rigor, ex Gal. enim & Hippocr. quarto Aphor. 58. rigore superueniente soluitur febris, quia expellitur materia extra venas, fitquè sudor, & deinde cum sudore desinit febris. Monet autem Gal. ibi, hoc esse verum, si rigor fiat in die decretoria, & apparentibus signis coctionis, & proinde cum virium tolerantia. Vnde si contingat, rigorẽ fieri in die non decretoria, tunc ex Galeno, & Hipp. 1. Epid. 2. 62. & 65. est potius malum signum, quia irritatur natura à malignitate materiæ.

De symptomatibus.
Ab actione læsa.
Cur non sitire in febre ardente pessimum sit signum.
A Pulsu.
Signa facultatis extinctæ.
A rigore.

Quò ad exeuntia, si fiat fluxus sanguinis narium, optimũ est signum, ita vt dixerit Gal. loco citato superstites fuisse omnes illos, quibus sanguis è narib⁹ copiosus fluxit. Contra verò statuendum, est si fiat stillicidium sanguinis, quia fieri solet vel ob crassitiem sanguinis, vel ob impotentiã virtutis, vel ob partiũ densitatem; hoc. n. malum est, siue sit stillicidium sanguinis rubri, siue atri. At si febris non fuerit ardens, malum erit stillicidium sanguinis atri, ita vt parum sit sperandum de salute febricitantis, si verò sit stillicidium sanguinis rubri, hoc non est valdè malũ; ratio huius diuersitatis inde pendet, quod fluxus sanguinis nariũ rubri est familiarissimus febris ardentis. Peius semper est stillicidiũ sanguinis atri: immò verò actum est de vita ægri, si fiat in febre ardente. Omitto deiectiones alui colliquatiuas pingues, lotium pingue: quoniã, quando febris ardens colliquat, tunc semper est malè sperandum.

Causæ stillicidij sanguinis.

A qualitate mutata. A rebus naturalibus.

Quò ad qualitatem mutatam, ex 3. Epid. 3. 21. cum apparet frigiditas in partibus extimis, pessimum est inditium. His addatis etiam res naturales, & cum Gal. 1. Aph. 14. Si senes corripiantur febre ardente, febris hæc est perniciosa: & idem ait de temperatura frigida; hic enim occurrit valida causa, vnde introducitur etiam effectus valde rebellis: Idem etiam dicatis de rebus non naturalibus. Vnde ait Galenus 11. meth. 9. si contingat ægrum vehementer vri in ambiente frigido, tunc planè desperata est salus, & præsertim si ad sint cruditatis inditia, & virtus sit languida. Aduertatis tamen, hoc ita esse intelligendum, vt in ambiente frigido producatur febris ardens insignis; insignis, inquam, quoniam si conferatur febris ardens intensior cum febre ardente remissiore, & febris ardens intensior fiat tempore æstatis: remissior verò fiat tẽpore veris, cui dubium, quod ceteris paribus periculosior erit illa, quæ fit tempore æstatis? Quod monuisse volui propter Gal. primo Epid. 2. 15. & 19. vbi vult febres ardentes esse minus læthales si non fiant tempore æstiuo; loquitur enim de illis, qui non moriebantur, eò quod moderatę erant febres illæ. Quare cætera semper debent esse paria in febribus, & ob id diligenter oportet considerare vim harum febrium, & quo modo febris hæc est salubris:

A non naturalibus.

Gal. locus explicatur.

Chyrurgia.

Ideoq; dicit Auic. in hac febre aliquando esse phlobotomandum, vbi ait *Phlobotomia interdum iuuat, interdum nocet, quoniam inflammat*. Iure autem dicit inflammat, quoniam ex eiusdem sentẽtia 4. primi cap. de phlobotomia habetur non esse secandam venam, cum periculum est ne fiat ebullitio cholericorum. Si hoc periculum impendet in aliquo morbo, impendet potissimum in febre ardẽte, quæ est biliosissima. At dicet aliquis, si medicus debet esse naturæ imitator, atq; ex Gal. & Hipp. 1. Epid. 2. 62. 65. & 29. & alibi, fluxus sanguinis narium copiosus est familiarissimus huic febri, ita vt à morbo euaderent illi, quibus copiosus sanguis è naribus fluebat, cur non debet medicus ipse sanguinẽ euacuare, & venã secare? & præcipuè cũ Gal. 1. Aph. 23. in febribus ardentissimis probet sanguinis missionem per sectam venã vsq; ad animi deliquium; Nec est ꝙ dicatis, Gal. per febres ardentissimas intelligere synochos sanguineas; qm̃ hę nõ sunt ardẽtissimæ, nec deurentes, sed simpliciores, & mitiores; ex Gal. 2. de diff. feb. 9. & ob id ipse 2. de Cris. 6. loquens de synochis, quas vocat ardẽtes, & deurẽtes, ꝑ synochos nõ intelligit febres sanguineas, sed biliosas, & ideo sanguineas excludit, iubetq; euacuandũ esse sanguinẽ in magna quãtitate. Pro huius q̃stionis solutione, animaduertẽdũ est an in febre ardẽte correpto adsit plenitudo, an cacochymia: nã si adsit plenitudo, seccãda est vena: si verò adsit cacochimia, nequaq̃ secari debet. At plenitudo hæc põt esse & exquisita, & notha, si sit exquisita, in febre ardẽte põt esse æqualis, & inęqualis: si sit æqualis, põt esse biliosa, & sanguinea. Põt esse sanguinea, qm̃ ęqualiter augẽtur succi alimẽtales, & putrescit portio biliosa; at qm̃ hæc portio biliosa tm̃ putrescit, ideo febris hęc nõ sanguinea, sed biliosa ardẽs, & exquisita nõ tm̃ exactè, nũcupatur, quia fit à sola bile, & ideo erit potius mittis in genere ardẽtiũ, ĩ hacq; vena est seccãda: & ideo ait Auic. *Et fortasse iuuabit*, & eo magis qm̃ in lotio erit turbulentia, crassities, & rubedo, ex quibꝰ plenitudo sanguinea indicatã. Si fuerit plenitudo biliosa, sed inæqualis, tũc est plenitudo illa, in qua redũdat bilis, q̃a corpus est biliosũ, nõ sanguineũ. Si æquale fuerit augumentũ, tũc licet venã seccare, q̃a nullũ est periculũ, vt deducatã ad ebullitionẽ cholericorũ; æqualis. n. fit ꝑ venã sectã euacuatio. Qđ si plenitudo sit inæqualis, in corpore sanguineo dubio, ꝓcul ĩdicat venę sectionẽ: eãdẽ ẽt indicat ĩ corpore biliosо,

Dubitatio circa vene sectionem.

Solutio.

Plenitudo duplex.

Plenitudo æqualis sanguinea.

A lotio.

Plenitudo biliosa inæqualis.

Qñ liceat venam secare.

bilioso, eò quod non potest insignis esse excessus bilis (nam si excederet insigniter, non adesset plenitudo, sed potius cacochimia) ideo licet vti venæ sectione. Nam licet plenitudo sit inæqualis, non tamen mista est copiosa bilis cum pauco sanguine, sed cum copioso; aliter enim non esset plenitudo, & potest esse febris ardens, quia putrescit bilis sola, sed non est exquisita, nec imminet periculum ebulitionis cholericorum, quoniam æqualis fit euacuatio ex sectione venæ. Idem dicendum est de plenitudine notha: nam quia adest etiam in hac sanguis, ideo ille euacuari potest. Secus verò dicendum est de cacochymia; si enim corpus sit cacochymum, oritur indicatio purgandi, nõ euacuãdi. Sed notetis, quòd cacochymia potest esse in febre ardẽte, & cõis, & determinata, si sit communis, non secanda est vena, non quia immineat periculum ebullitionis cholericorum; nam quando cacochymia est exquisita communis, ita vt verbi gratia, sint libre tres sanguinis, & duæ bilis, tuncquè secetur vena, hæc sectio æqualiter euacuabit, & post venę sectionem erit adhuc eadem proportio inter sanguinem & bilem, quæ etiam erat ante sectionem: hæc ergo non est vera causa.

Cacochymia põt esse in febre ardẽte & est duplex.

Sed non est secanda vena, quoniam hæc febris ardẽs exquisita simpliciter, fit in tempore calidiori & ficciori, in constitutione, & regione simili, in corpore calido, & sicco, ita vt vires nullo modo possint tolerare venæ sectionem. Quare in hac febre non secatur vena, & quia purgatur, & quia virtus non potest sustinere missionem sanguinis per venam sectam. Sed si fuerit cacochymia determinata, tunc non licet secare venam, quia fieret ebullitio cholericorum; venæ enim sectio attrahit à centro ad circumferentiam, vnde euacuatur sanguis bonus, & cacochymia determinata attracta ingreditur venas, & miscetur cum sanguine, & inde fit ebullitio cholericorum; succus enim biliosus in parte collectus maxima ex parte superat succum sanguineum, & ita fit veluti erisipelas in membro: Vnde per venæ sectionem fiet ebullitio cholericorum. Et ob id voluit etiam Galenus 13. meth. 6. loquens de erisipelate ad differentiam inflammationis purgandum esse, non autem secandam esse venam. Vtcunque tamen res sese habeat, siuè sit plenitudo exquisita, siuè notha, siuè cacochymia notha, siuè plenitudo æqualis, siuè inæqualis, ab hac, quatenus est valida, idest quatenus facit morbum vehementem indicatur validum auxilium, idest venæ sectio.

Cur non aperiri debeat vena.

In cacochymia determinata cur non secetur venã.

Quo ad quantitatem, oportet sanguinem in magna copia euacuare, quandoquè tamen plus, quandoquè minus pro ratione plenitudinis. Vnde dubio procul in febre ardente continente euacuari debet in maiori copia, quam in continua ardente proportionata. Quare expedit extrahere sanguinis libram vnam vsque ad vntias 16. & hoc tutius est quam missio sanguinis ad animi defectum: licèt Galenus primo Aphor. 23. probet talem, tantamquè euacuationem; hęc enim est nimis periculosa, propterea quod, non ita facile est robur virium cognoscere. Considerandus tamen est pulsus & alia, de quibus egimus in primo libro. Quò ad quantitatem discretam satis est in hac febre confertim, & vnica vice sanguinem euacuare, quoniam est admodum vehemens, & morbus peracutus.

Quãtitas cõtinua.

Quãtitas discreta.

Quò ad tempus, oportet secare venam quamprimum, & ideo iniecto clysteri, si aluus sit stiptica, secetis venam illico; non. n. est cunctandum. Quantũ verò ad modum, fiat foramen angustum, quia redundat sanguis tenuis. Quò dequè ad locum, si sit causus continens non ortus à parte vlla determinata,

Tempus.

Modus.

expedit baſilicam aperire, qua tamen non apparente licebit venam communem ſeccare. Si verò originem ducat à parte aliqua determinata læſa, ita in curatione eſt occurrendum, vt diximus in libro primo in ſermone de venæ ſectione in genere, Aduertatis tamen ex Hipp.& Galeno 6.Epid.6. in febribus acutis optimum eſſe aperire venas narium: quod intelligendum eſt quando ſanguis petit caput,& exire non poteſt propter venas clauſas, tunc recludendę ſunt venæ, ſed hoc eſt reſpicere partem determinatam, ideſt caput, & eſt optimum præſidium, de quo in tractatu de febribus peſtilentibus agemus, vbi maximè reſpiciemus ſymptomata; Hoc itaquè, ſicuti etiam multa alia ſupponere oportet in febre ardente. Si qua autem adſint, quæ prohibeant venæ ſectionem, oportet ſupplere cucurbitulis ſcarificatis, quæ tamen aſſigantur partibus inferioribus, ut aliàs diximus.

Hipp.& Gal. locus explicatur.

Cucurbitulæ.

Quo ad medicamenta, hæc ſunt lenientia, præparantia, purgantia, & corroborantia. Quantum ad lenientia attinet ex Auic. Aetio, & Hipp. etiam 4. de rat.vic.6. maximè cauendum eſt à validioribus, & acrioribus: Vnde ſi fortè contingat, vt os amareſcat, tunc inditium eſt bilis petentis os ventriculi; & ideo licet occurrere vomitorijs, veluti aqua hordeacea tepida cum modico vel aceti, vel ſyrupi acetoſi ſimplicis. Sed licet etiam vti lenientibus per inferiora vt verbi gratia Rec. ſyr. roſ. ſol. ℥.4. Mannæ ℥.j. decocti tamarindorum quantum ſufficit miſce. Nec improbantur clyſteres non modo aluum lubricantes, ſed etiam partē temperantes, vt Rec. ptiſſanæ hordeaceæ colatæ lib.j. zuccari rubri ℥.j. ol. violati ℥.3. ouum nu.1. ſine ſale, miſce. Sed in febre ardente aduertatis ſemper diligenter, ne ſuperueniat dyſenteria, ſeu exulceratio inteſtinorum, ob id propoſitum fuit clyſtere abſque ſale, quod educat ſuperfluitates, & præſeruet à diſſenteria. De tempore nihil dico, quia patet illico confugiendum eſſe ad lenientia, ita tamen, vt ea, quæ per os aſſumuntur, dentur poſt venæ ſectionem, ſi tamen ſecanda ſit.

Pharmacia. Lenientia. Amaritudo oris quid indicet. Vomitoriū. Leniens. Clyſtere; Notandum ex praxi. Tempus.

Quò ad præparantia, oportet vti medicamentis propoſitis in cura tertianæ intermittentis, & præcipue quæ fiebat à bile calidiori, veluti ſyrupo violato, ſyrupis cichoraceis omnibus; itē ſyr. de lactuca, de nymphea, oportet enim aſcendere ad valentiora. Vnde decocta dentur etiam in maiori quantitate, vt ℥.6. vel ℥.7. & ſyrupi dentur actu frigidi.

Præparantia Quantitas.

Quò ad euacuantia vel per lotium, vel per ſudorem idem hic dicendum, quod dictum fuit in ſermone de tertiana intermittente: Hoc tantum moneo, vt hæc ſint refrigerantia, ſicuti etiam dictum fuit de ſyr. Quo ad purgantia per aluum ex Hipp.& Gal.4. de rat. vict.6.& 7. maxime cauendum eſt ab acribus; Vnde Hipp. probabat lac aſininum; in lacte enim ex Gal. ibi, eſt vis lubricādi. Gal. tamen ſumma vtens diligentia magis probat ſerum lactis, q̃ lac. Quare in febre ardente optimum erit auxilium ſerum lactis cum oximelite, & hoc fuit præceptum Dioſcoridis; oximel enim ſeparat ſerum à lacte ipſo craſſo, Vñ ego hortarer vos, vt in febre ardente abſtineretis à rhabarbaro daretiſq; potius lib.5. vel 6. etiam ſeri lactis caprini, vel etiam vacini, ſic.n. euacuabitis humores bilioſos, & præſeruabitis ægros à dyſenteria, temperabitiſq; calorē iecoris rerū, aliarūq; vicinarū partiū. Quare in febre continente detis ſerū lactis ſine rhabar. Atq; vt ſciatis ipſū dare, poteritis in primo ciatho immiſcere cū eo ſyr. roſ. ſol. ℥.2. Poteritiſq; ēt ante ſerū dare ſyr. roſ. ſol. diſſoluti ī decocto tamarindorū vnc. duas, poſt qđ medicamētū detis ſeri lactis lib.5. At ſi febris fuerit ardēs cōtinua, vel potius cōtinua proportionata, tunc ego nō improbo

Euacuantia. Purgantia. Lac aſininū. Serum lactis exhibendi modꝰ eiuſq; vis, ac vtilitas.

rhabar-

rhabarbarum, sed infusum in decocto tamarindorum, vel in sero lactis. Rhabarbarum verò in bolo ita poterit parari; Rec. pulueris rhabarbari ellecti ℨ. 1. vel ℈. 4. pulpæ tamarindorum ℨ. 3. floris cassiæ ℨ. ſ. misce, cum zuccaro fiat bollus. Quo deuorato detis postea serum lactis caprini lib. 2. vel 3. sic enim euacuabitis bilem, & non accendetis febrem. Purgans.

Quò ad vlteriora, hæc sunt refrigerantia & humectantia, quæ licet cõplura sint, præcipua tamen horum materia est potus frigidæ, vt dicit Aetius cap. proprio, in febre ardente oportere feruentes succos biliosos vel euacuare, vel exugere, exuguntur autem beneficio frigidæ. Vnde Galenus etiam 4. de rat. vic. 12. gloriatur se plerosquè exhibitione potus frigidæ sanasse hac febre laborantes: nec præter rationem, quoniam si consideremus vim huius materiæ, hæc est materia auxilij indicati à rebus præter naturam, quæ maximè vigent in hac febre: nam si consideremus materiam, hæc est biliosa calida, & sicca, & proindè indicans auxilium frigidum, & humidum. Si autem consideremus febrem, hæc similiter est vitium calidum, & siccum, immò calidissimum. Si verò consideremus symptomata, præcipuum symptoma est sitis inextinguibilis, insignis calefactio, siccatioquè oris ventriculi, vt propterea ab his omnibus indicetur auxilium maximè refrigerans, & humectans, cuius materia est frigida. Vnde dicit Galenus 9. meth. 5. & 11. meth. 9. in febre ardente frigidam esse efficacissimum auxilium, eo quòd extinguit feruorem febrilem, & virtutem roborat, virtusquè roborata succos præsentaneos alimentales in substantiam partis conuertit, expellit excrementitios per aluum, & per sudorem, immò interdum etiam per lotium, & per vomitum. At frigida, licèt sit materia tanti auxilij, non est tamen temerè exhibenda, sed aduertẽdum diligenter, an semper adsint indicantia, an potius aliquando adsint prohibentia. Indicantia sunt affectus præter naturam calidi, & proindè febris, non modo ardens continens, sed etiam ardens continua, & ardens (vt ita dicam) determinata, quæ fit ab affectu erisipelatoso, vt proposuit Galenus loco citato. Coindicantia verò sunt vires robustæ, aer etiam non modo temperatus, sed etiam calidus, & siccus; quæ omnia concurrere debent ad exhibitionem frigidæ: nam aer temperatus concurrit vt indicans vitale; eo quod indicat vires esse robustas (in aere enim temperato vires non dissoluuntur) & proinde virtutem, quæ potest coindicare frigidæ exhibitionem. At aer calidus, & siccus concurrit vt indicans, quoniam non habet rationem materiæ sanantis, sed potius augentis febrilem dispositionem, & ideo contrarium indicat, habetquè rationem causæ sine qua non, vt proponit Galenus 9. meth. 14. indicans auxilium frigidum, & humidum, cuius materia est frigida.

De Potu frigidæ.

Discursus circa indicãtia potũ frigidæ

Vis frigida.

Quid aduertendum in exhibitione frigidæ.

Indicantia potum frigidæ.

Coindicãtia

Qũo concurrat aer temperatus, calidusquè & siccus.

Sed præterea considerare oportet reluctantia; hæc autem sunt affectus morbifici, atque etiam virium infirmitas. Per affectus morbificos intelligo causam, morbum, & symptomata, ex Auicena. Per causam in affectu intelligitur materia crassa pituita, sanguinea, impacta, hæc inquam, prohibent potius, quam permittant. Idem est dicendum, si fuerit ædema, vel inflammatio, erisipelas & scirrhus. Quò ad symptoma, si fuerit tremor, neruorum dolores, ructus accidi, non ita licèt vti hoc præsidio. Quò ad vires, hæ si languescant, prohibent potius, quam permittant hoc auxilium: languere autem solent in temperatura frigida & totius, & alicuius partis; virtus enim consistit in partibus principalibus, hisquè consentientibus. Propterea ex Galeno loco citato in quibusdam, ex potu frigidæ, maximè læsus est ventriculus, ita vt

Reluctantia.

Causa.

Morbus.

Symptomata.

Vires.

ex læsione eius temperaturæ, læsa fuerit coctio: in alijs verò læsa fuit gula, ita vt non potuerint deglutire: in aliquibus autem partes thoracis, vt anhelitus difficultate correpti fuerint: in alijs denique læsæ sunt aliæ corporis partes. Vnde ex hoc aduertendum, quod licèt in temperatura frigida, vt in senili æta te quando adest febris ardens, maior sit recessus à naturali statu, quam in tem peratura calida, vt in iuuentute, non licet tamen frigidæ potum exhibere, sicu ti quando corpus est iuuenile. Quare cauendum est ab exhibitione frigidæ: nam licet ratione affectus, idest febris ardentis, in corpore frigido magis indicetur potus frigidæ, seu auxilium, cuius materia est frigida: ratione tamen virtutis in ipso non est ita tutum vti frigida. Vnde ex his, ab Auerrois calumnijs Gal. defendi potest. Præterea ratione virium considerare oportet etiam ambientem; in ambiente enim frigido non licet ita vti hoc auxilio, vt in ambiente calido: nam licet ambiens, quando consideratur tanquam causa sine qua non, habeat rationem materiæ sanantis, quatenus tamen refertur ad vires, tanquam indicans vitale & curatorium ex accidenti, habet potius vim prohibendi, quam coindicandi frigidæ exhibitionem. Vnde, quando omnia consentiunt, facilè est scire num danda sit frigida, at quando dissentiunt (quod vt plurimum contingit) maiori vtendum est diligentia, maioriquè cum prudentia occurrendum; oportet enim inuicem conferre indicantia, & diligenter considerare in *quo nam eorum sit maior vis*. *Vnde licet dixerit* Galenus nono meth. quinto, item vndecimo meth. nono, atque etiam 10. meth. 6. non exhibendam esse frigidam, quando adest inflammatio, quia hæc tũc crudior redditur, eò quod pars læsa densatur, contingit tamen quandoque tantã esse necessitatem dandi frigidam, vt etiam si adsit inflammatio, cogamur frigidam dare, quando silicet adeò intensa est febris, adeo insignis est feruor febri*lis, vt præsentaneum sit vitæ discrimen*. *Vnde etiam si quidam sit senex, in pri*mo tamen senio constitutus, laborans febre ardentissima, ita vt nisi detur auxilium aliquod alterans, sit illico moriturus, huic etiam debet dari frigidæ potus. In hoc tamen casu id est agendum, quod monet Aetius, qui iubet, vt exhibeatur frigida, aliqua tamẽ ex parte correcta, quãdo discrepant indicantia. Et ideo probat, vt pro singulis quinque ciathis frigidæ immisceamus ciathũ vnum calidæ; per mistionem enim calidæ, frigida non est ita periculosa, nec ita lædit. Preterea probat Aetius vnum, quo vos vti consulo, vt silicet immisceatur in primo ciatho frigidæ, ciathus vnus olei rosati. i. ℥. i. ſ. ratio huius ex ipso euidens est, quia non expedit dare frigidam nisi castigatam, propter discordiam indicantium; in oleo enim rosato est *frigiditas moderata*: vnde etiã aliqua ex parte potest temperare frigiditatem aquæ, ita vt febris non possit fieri causus. Præterea oleum roborandi vim habet ratione rosarum: prodest etiam mirè ratione partis oleosæ; illa enim adhæret partibus corporis, estquè in causa, vt frigida citius extinguat feruorem materiæ, & ita agat in solida, quæ in corpore frigido, & gracili plurimum pati possunt. Vnde ex Galeno loco citato corpus carnosum magis sustinet frigidam, quã gracile: ita vt tutius sit dare frigidam in synocho sanguineo, ex Auicena capite proprio, quam in synocho ardente; in synocho enim ardente corpus est gracile, non carnosũ; vnde frigida primo impetu citra vllam resistentiam occurrit partibus solidis, quod non fit in synocho sanguineo ratione partis carnosæ resistentis. Vnde non erit præter rationem, si in discordia indicantium exhibeatis aquam non frigidam, neque crudam, sed simplicem decoctam, aut etiam aquam hordeaceam,

Cur senibus non liceat dare potũ frigidæ.

Aer.

In discordia indicantium qũo sit procedendum. Cur in inflãmatione nõ conueniat frigida. Qñ etiam in inflammatione liceat dare frigidam.

In discordia indicantium qũo corrigẽda sit frigida. Frigida simul cũ oleo ros. in potu. Vis olei ros.

Cur tutior sit potus frigidæ in synocho sanguineo quam in synocho ardente.

ceam, cum qua mistum sit oleum rosatum, vt verbi gratia Rec. aquæ hordeaceæ ℥.6.olei rosati ℥.1.ſ.misce. Poteritis etiam cum Auerroe 7.colliget 12.dare aquam anguriæ; in hoc enim non est reprobandus, sicuti improbari debet vbi reprehendit Galenum dum probat magis aquam anguriæ, quam frigidã. Auerroes enim suis proprijs verbis facilè conuinci potest. Dicit enim, frigida in summo refrigerat: ergo aqua magis refrigerat, quam aqua anguriæ, si aqua magis refrigerat: ergo in feruentissima febre expedit vti potius frigida, quam aqua anguriæ, quia magis frigida, magis refrigerant. Præterea cum dixerit aquam anguriæ posse in alimentum verti ad differentiam frigidæ, hinc etiam colligitur frigidam citius refrigerare aqua anguriæ; aqua enim anguriæ, cum possit verti in alimentum, eget maxima ebullitione multoquè maiori, quam requirat frigida simplex. Nec vllius momenti, vt arbitror est ipsius instantia contra Galenum, cum dicit non vtendum esse frigida, quoniam facilè corrumpitur, facilèquè vincitur ab insigni calore febricitantis: nam hoc esset verum, si frigida in pauca quantitate daretur: at cum detur in multa copia, non est periculum illam corrumpi, sed agit in partes, & refrigerat febricitantes. Quare, vbi non adsit vlla discordia inter indicantia, licet tutò in hac febre frigidam exhibere.

Cõtra Auerroem de aqua anguriæ. Ratio demõstrans frigidã magis refrigerare quam aqua anguriæ. Alteratio.

Refellitur instantia Auerrois contra Galenum.

Sed agamus tandem de quantitate frigidæ, fuit sententia Gal. 9. meth. 5. optimum esse dare frigidam in multa quantitate, *nimirum, quantum homo* potest bibere, & ideo concedebat Auic. potum frigidæ vsque ad viriditatẽ corporis, vt ipsam maxime refrigeretur. Monet autem Galenus tantam frigidę quantitatem tunc esse dandam, quando nihil adest, quod prohibeat, & nullum est periculum in exhibitione frigidæ. Nec Gale. sibi metipsi aduersatur, licet dicat primo de rat. vic. 43. in febre ardente exhibendam esse frigidam *in ea quantitate, quam homo vnico haustu bibere potest*: nam sicuti 9. meth. 5. loquitur de frigida ratione febris ardentis, ita primo de rat. vic. loco citato proponit frigidam non ratione febris, sed potius ratione symptomatis, idest sitis, ad sitim silicet extinguendam: ratio autem dictat, vt maior frigidæ copia requiratur ad extinctionem caloris febrilis, acrimoniæquè *bilis* in toto corpore existentis, quàm ad extinguendum contemperandumquè feruorem *oris ventriculi*. Quò ad modum, *ex Galeno loco citato nisi quid prohibeat*, aqua actu frigida dari debet, Aetius frigidam contemperat, quando indicantia inter se dissentiunt. Quò ad tempus, tunc danda est frigida, quando adest præsentia omnium indicantium, & nullum adest prohibens. De prohibente satis diximus supra, vt nunc sat sit loqui de antecedente, cui prius est occurrendum, quam detur frigida. Antecedens hoc est materiæ cruditas: & ideo voluit Galenus 9.meth.5. tunc dandam esse frigidam, quando adsunt signa coctionis, quæ quidem ex lotio, & pulsu deprehenduntur. Quomodo autem ex lotio dessumantur satis superquè patet. Quomodo verò ex pulsu innotescant difficile profecto est assequi. Dicerem tamen ego considerandum esse pulsũ in febre ardente putrida: fieri nanquè potest, vt in pulsu interdum maior sit velocitas in systole, quam in dyastole: interdum verò oppositum contingere potest. Quando ergo percipietis maiorem esse velocitatem in dyastole, quam in systole, dicatis esse pulsum, qui indicat materiam coctam. Contra verò dicatis pulsum esse inditiũ materiæ, quando maior est velocitas in systole, quam in dyastole: ratio huius est, quoniam vbi maior est velocitas in systole, quam in dyastole, tunc peccat materia non modo putrida, sed etiam

Quantitas frigidæ exhibendæ.

Gal. loca explicantur.

Modus dandi frigidam. Tempus. De Antecedente.

Gal. locus difficilis explicatur.

Qũo ex pulsu colligatur vtrum materia sit cocta an cruda.

mista,

mista, ex qua eleuãtur vapores fumosi instar lignorum, in quibus in principio, dum exardescere incipiunt, eleuatur fumus, non autem syncera flamma. Cum autem materia non est fumosa amplius, sed flammea instar carbonis igniti, tunc est accensa flamma, & proinde etiam cocta, tuncquè ex Galeno 3. de præsag. ex puls. cap. vltimo imminuitur velocitas systolis, & perseuerat velocitas dyastolis; quod potissimum est in statu febris ardentis, & proindè quã do adsunt signa coctionis. Quare materiæ coctio indicatur etiam ex pulsu, qui indicat materia non esse amplius fumosam, sed ex toto flammeam redditam, qua existente, maior est velocitas in dyastole, quam in systole. Constitutum itaquè sit frigidam prohiberi à materia cruda, tanquam ab eo, quod habet rationem antecedentis, vt primum concoquenda sit materia, deindè verò dari debeat frigida.

Qũo materia cruda prohibeat potũ frigidæ.

Sed aduertendum, cum liceat vti potu frigidę cocta materia, materiam coctam posse esse duplicem, videlicet exactè, & non exactè coctam. Constat licere dare potum frigidæ, quando moteria est exactè cocta, nihil enim est qđ impediat. Sed quid dicendum, si materia sit mediocriter cocta? Si contingat, quod febris sit feruidissima, patiens sit siticulosus, consueueritquè tempore sanitatis citra nocumentum frigidam bibere, tunc plus potest febris vehemẽtia, cum siti, & consuetudine ad indicandum, quam materia non exactè cocta ad prohibendum; & ob id Galenus 9. method. 16. dat frigidam, licet succi sint mediocriter cocti. Atquè dicit Auicena in febre ardentem dandam esse frigidam, & in summo vigore, & quandoquè etiam ante vigorem, modo adsit sitis insignis, & consuetudo bibendi frigidam. Quare ex Aetio vbi adsunt signa perfectæ coctionis, & quandoque etiam ante ipsa modo adsint sitis & cõsuetudo, tuto potest exhiberi frigida.

Materia cocta duplex.

Quod verò attinet ad frigidam, quæ extra adhibetur, ex Galeno 9. meth. 5. *in febre ardente licèt vti omni natatione in frigida, dummodo cunctæ vires sint valentes, corpus sit carnosum, constitutio sit calida, & sicca.* Quibus ex verbis colligatis tutiorem esse vsum frigidæ in potu, quam in administratione exterius. In veræ, æstate, & constitutione non calida licet frigidam dare, etiam si corpus sit gracile, non licet tamen vti natatione in frigida. Sed dicet aliquis cur plus potest gracilitas (quod etiã de reliquis intelligendum est) ad prohibendum natationem, quam ad prohibendum potum frigidæ? Quidam respondentes dicunt id euenire, quoniã frigida extra administrata cutis meatus constipat. At hæc est puerilis solutio, eò quod post frigidam adhibitam extra posset facilè damnum corrigi, vsu silicet balnei ex aqua dulci. Quare dicerem ego, id ea ratione fieri, quia partium internarum vires sunt robustiores, quam vires externarum, & ideo illæ magis, quam hæ, perferunt frigidam, & ob id non licet vti natatione in frigida, nisi externæ partes foueantur ope carnis; & nisi corrigatur etiam aquæ frigiditas ab ambiente calido. Suntpræterea & alia refrigerantia, de quibus in sermone de febre biliosa intermittente diximus. Hic tantum propono quædam non ita omnibus nota, & primum dicit Aetius in sermone de febre ardente, esse applicanda thoraci, & præcordijs medicamenta refrigerantia ex plãtagine, polygono, succo pampinorum vitis, & lactuca; & excipit hæc cum pane trito, aut cum polenta. Admonet tamen non esse tutum horum refrigerantium vsum, & ob id, post horum applicationem, *oportere propositis partibus apponere oleum commune calidum, & aquam calidam, vel etiam aquam calidam, & oleum ros.* Atq; non modo his

De frigidæ extra administratę.

Dubitatio.

Solutio quorundam reprobata.

Solutio propria.

Vtrum liceat vti natatione in frida, & quãdo liceat.

De alijs alterantibus ex Aetio.

Præceptum circa vsum alterantium.

thoracem.

thoracem, & præcordia oblinire expedit, verum etiam ab alto ea fundere in modum stillicidij. Atquè oportere ea omnia esse valde calida, redditquè rationem quoniam si moderatè calida fuerint, vigorem partium dissoluent: vnde expedit etiam aliquid nitri commiscere, vel etiam ad maiorem penetrationem aliquid aceti. Ex altera tamen parte Aetius eodem capite dicit animaduertendum esse, an febris magnitudo obstet: nam nisi ea obstiterint, expedit vti balneo aquæ dulcis, & oleo etiam cammomellino, & potissimum si aer fuerit frigidus, quod accepit ex Gal. 11. meth. 9.

Alterantia cur debeant esse actu valdè calida.

Verum hoc in loco oritur difficultas, quo modo in primis dixerit Aetius, post frigida medicamenta oportere vti abundè calidis, ad temperandum feruorem febris, deinde verò idem non audeat vti balneo aquæ dulcis, & inunctione ex oleo camomellino. Augetur etiam difficultas, quoniam ipse loquēs de cura febris ardentis dicit applicanda esse thoraci frigida medicamenta, quæ fiunt ex semperuiuo, ex lactuca, & alijs, & actu frigida, & quod maius est seruanda esse frigida, ita vt mutentur, dum incalescunt, alia actu frigida applicando. Quare modo ait in febre ardente non esse tutum vsum frigidorum, & ideo post frigida exhibet valdè calida; modo hæc improbat & vult assiduè vtendum esse frigidis. At pro huius difficultatis solutione animaduertendū est, an sermo fiat de remedijs ratione totius, an ratione partis, si sermo sit de remedijs ratione totius, nequaquam vtendum est abunde calidis, sed temperatis, vt balneo aquæ dulcis, nec quocunque tempore, sed ex Galeno vndecimo meth. nono post corporis euacuationem per aluum, per lotium, quinimò & per sudorem, & hoc modo intelligendus est Aetius, quando non admittit balneum & inunctionem, dum adest febris magnitudo, loquitur enim tunc de auxilijs ratione totius tantum. At si sermo fiat de auxilijs ratione partis aduertendum, quando loquimur de febre ardente, hanc posse esse duplicem, fit enim, vel à materia putrescente in venis totius, vel in venis partis. Si consideremus febrem ardentem primo modo acceptam, hæc est vel continens, vel continua: si sit continens, vnam tantum habet accessionem, & ob id expedit applicare thoraci actu frigida, & ea actu etiam frigida conseruare; summus enim est feruor ille, ac etiam æqualis: Vnde quando Aetius admittit frigida, nec timet assiduum horum vsum, loquitur de febre continente. Si verò sit continua plures habens accessiones, oportet quidem vti frigidis, horum tamen assiduus vsus non est tutus, & ideo his vti non expedit in principio, nec in augumento, sed in statu, in quo summus est feruor. At quoniam succedit principalis declinatio, cuius virtute debet expurgari materia, deinde euacuari à centro ad circunferentiam, ideo cum Aetio tutus non est vsus assiduus frigidorum, eò quod magis inculcaretur materia accessionis. Quare oportet post vsum ipsorum applicare oleum, & abundè calidam aquam, vt euocetur materia illius accessionis, & non retrocedat in viscera: vnde vt etiam vndiq; euocaretur Aetius; immiscebat etiam nitrum.

Dubitatio in dictis Aetij circa alterantium vsum.

Augetur difficultas.

Solutio.

Aetij locus explicatur.

Febris ardēs duplex.

Aetij locus declaratur.

Tempus vtēdi frigidis in febre continua.

Quò ad febrem ardentē ex vitio alicuius partis, cū ipsa adest adeò insignis est feruor in parte, vt nequaquam calidis, sed actu frigidis sit vtendum; & actu etiam frigida sint conseruanda. Quibus etiam vtebatur Aetius in febre ardente ex affectu erisipelaceo, & in febre ardente colliquatiua. Ex his itaque facile colligitur reliqua debere proportione respondere, vt instituendus sit aer frigidus, & humidus, in quo tantum aduertatis, vt febricitantes prope os teneāt vas frigidissima aqua repletum, & quoties ea in calescat, toties etiā

De alterantibus in febre ardente ex vitio partis.

De Aere.

mutetur;

mutetur; nequaquam tamen in eam manus immergans, eò quod sic reuocaretur calor ad cor, quod pernitiosius est, quam si totum corpus in frigida immergeretur. Idem dicendum est de cibo, vnde Hipp. 4. de rat. vic. 5. dabat aquam cum mulsa, & ideo victu tenuissimo refrigerante vtebatur. At, quoniã aqua non facilè penetrat, & idcirco facilè potest corrumpi, & in bilem etiam conuerti, ideo pro maiori eius penetratione addit mulsam, quia ratione mellis facilius distribuitur. Aduertatis hic nullam esse discordiam inter Hipp. & Galenum, licet Galenus admittat frigidam: aliud enim est loqui de frigida, quatenus est medicamentum, aliud verò, quatenus est alimentum: nam frigida, quando datur pro medicamento, solet dari in multa quantitate, vt ratione quantitatis plus dissoluatur, atquè penetret, quod nequaquam dicendum est de frigida, quando datur pro alimento. Quare ipse miscebat mulsam cum frigida: mulsam, inquam, aquosam, & coctam: aquosam quidem vt magis refrigeraret, coctam verò, vt plus nutriret, nec ita morderet, vt in commẽto dicit. Vnde ob hanc eandem causam Galenus non probat mulsam sine aqua, quia bilesceret, sed dat mulsam aquosam, immò verò aquam, cum qua miscet mulsam aquosam, ita vt maior sit portio aquæ, quã mulsæ aquosæ, licet etiam dare ptissanam colatam, quoniam non omnes admittunt mulsam, & hoc, quando virtus est robusta, & permittit: nam, vt inquit Auicena, si labantur vires, oportet alio modo alere, oportet enim dare cibos magis nutrientes, vnde Aetius in febre ardente respiciens indicantia dabat etiam vinum: ea autem fuit causa, quia, cum mulier quædam febre ardente correpta vsque adeò debilis euasisset, vt non posset amplius loqui, & iam pulsus esset formicans, & veluti mortua iaceret: cum primum hanc sic iacentem conspexit, in os ipsius cochlearium aquæ vi iniecit, qui postquam obseruasset, aquã à muliere labijs placidè allici, rursus aliud parum aquæ in os eius immisit: cui etiam oculos aperire incipienti dedit diacodion cum vino, atque sic tandem liberata fuit. Dedit igitur Aetius vinum ratione virium, quæ cadebant ratione non carnosi generis, sed spirituum, hæ enim sunt illæ quæ potissimum vini exhibitionem indicant.

De cibo.

Conciliatio Hipp. & Gal. de aqua.

Differentia inter frigidã a medicamẽto & pro alimento.

Cur Gal. cũ frigida misceat mulsã coctam, & aquosam.

Qñ liceat vti ptissana colata;

Cur Aetius in febre ardẽti dederit vinum.

De reliquis vnum tantum propono, quod monet Auerroes, qui respiciens inanitionem, & repletionem dicit, præstantissimum esse remedium in febre ardente, si sæpius detur infusio Tamarindorum in aqua, capitquè eorum ℥. 15. infunditquè in aqua simplici nullo ei admisto dulci, eò quod dulcia omnia facile bilescunt in febre potissimum ardente. Non credatis tamen dosim hanc esse nimiam, quoniam ipse non dat tamarindos in substantia, nec eos decoquit, sed infundit tantum. Quod si pro alui lenitione, ne repletio locum habeat, volueritis dare tamarindos in substantia, & frequenter, & quotidie, poteritis eorum dare ℥. 6. vel 8. poteritis etiam exhibere pruna, atque vti clysterijs: ratio autem propter quam Auerroes adductus fuit ad hoc dicendũ, non alia, meo iudicio, fuit, nisi quia cognouit materiam hanc biliosam nullo modo esse in corpore detinendam, & ideo superfluitates biliosas esse assidue expurgandas. Hinc consulo, vt aluum in febre ardente teneatis lubricam. Hæc de febre biliosa continua exquisita sint satis.

De inanitione & repletione.

Ratio rationis Auerr.

DE

DE FEBRE BILIOSA CONTINVA NOTHA.

Febris verò biliosa continua notha, *est febris putrida procedens à bile permista prædominante, in venis putrescente*. Quid velimus per febrem putridam in venisquè putrescentem bilem iam satis constat ex traditis; diximus nanquè id ad differentiam febris biliosæ nothæ intermittentis. Per bilem autem mistã prædominantem intelligimus bilem mistam cum alia materia, nimirum sanguinea, pituitosa, & melancholica. Causæ verò sunt illæ eædem, de quibus diximus in sermone de tertiana exquisita intermittente. Differentiæ dessumendę sunt à materia, & à loco; à materia, prout dicimus bilem prædominantem esse mistam vel cum sanguine, vel cum pituita, vel cum melancholia: mistioquè hęc potest esse cum vno tantum, cum duobus, cum tribus humoribus, sicuti diximus in tertiana intermittente notha. A loco, prout dicimus materiam putrescere in venis, vel totius, vel partis: si putrescat in venis totius, tũc vel in magnis, vel in paruis, vel in minimis: si putrescat in magnis, fit febris biliosa ardens, sed notha, vnde fit causus nothus ardens continuus: si autem putrescat in paruis venis, fit febris ardens continua, & notha plures habens accessiones: si verò putrescat in remotissimis, fit tertiana continua proportionata notha, non ardens. At si putrescat in venis alicuius partis, fit febris ardens veluti erisipelacea, eo quod oritur ex affectu veluti erisipelaceo. Sed quoniam non fit sermo de febre exquisita, sed notha, ideo erisipelaceus affectus non est exquisitus, sed particeps vel inflammationis, vel ædematis, vel scirrhi, vel quandoquè etiam cancri. Id tamen perpetuum est vt plus vigeat affectus erisipelaceus, sitquè maior vis bilis: quia sermo est de febre biliosa. Possunt etiam plures partes febre affici, sicuti diximus in sermone de febre biliosa continua exquisita. Aduertendum tamen, si contingat, quod magis alij excedant succi, tunc fieri non biliosas, sed alias febres. Quare causus, qui fit à pituita salsa, est febris ardens notha, quæ quandoquè est biliosa, quandoq; pituitosa. Causus est febris biliosa, quæ fit ex pituita salsa mista cum bile; quum enim pituita miscetur cum bile, licet non sit salsa nec putrida, tamen ob bilis mistionem in ipsam agentis salsa, & putrida euadit. Atquè hæc est bilis illa, de qua loquẽs Auerroes secundo Colliget duodecimo, dicit illam esse minus calidam bile flaua, quoniam est mista cum pituita, quæ illius caliditatem obtundit. Non est autem hæc bilis illa vitellina minoris famæ, sed maioris: fuit enim sententia Auicenæ dari bilem famosam & non famosam, bilis famosa dicitur, quando miscetur cum pituita: pituita autem est vel tenuis, vel crassa, si sit tenuis, & misceatur cum bile, dicitur ab Auicena bilis famosa citrina: si verò misceatur bilis cum pituita crassa, dicitur bilis famosa, sed vitellina, ex qua fiunt febres biliosę nothæ, & causus nothus biliosus, & de hac bile loquitur Auerroes loco citato. Præterea est etiam bilis minoris famæ, & hæc est duplex, vel enim miscetur bilis flaua cum atrabile; vel est syncera, ab vlteriori tamen calore exusta, & crassescente: si primo modo, est bilis minoris famæ vitellina, ex qua fit causus nothus, & febris biliosa notha; si secundo modo fit febris biliosa exquisita; eò quod fit à syncera bile. At alia ex parte datur causus febris procedens ex pituita salsa: & potest esse febris ardens, sed pituitosa, non est causus biliosus, quoniam pituita fit salsa citra mistionem bilis, nimirum ob mistionem salsæ serosæ humiditatis propter putredinem ex

Galeno

Definitio.
Explicatio definitionis.
Causę.
Differentiæ à materia.
A loco.
Causus nothus est duplex.
Bilis maioris famæ, est minus calida bile flaua.
Bilis vitellina est duplex.
Pituita est duplex.
Bilis famosa est duplex.
Bilis non famosa.
Quo pituita fiat salsa.

Galeno secundo de diff.feb. 6. Est igitur febris ardens sed pituitosa, & potest vocari & exquisita, & notha. Si capiatur vt pituitosa febris, quoniam fit à sola pituita, statuenda est exquisita febris; sed dum ex hac fit febris ardens, quatenus est causus, non potest dici causus exquisitus, sed nothus: eò quod non fit à bile sola, ex qua fit causus exquisitus. Vnde (pace multorum dixerim) ex Galeno, atque Hipp. 4. de rat. vic. in primis illis commentarijs, vbi agit de causo notho, sermonem potius fieri de causo pituitoso, quam de biliosa, & ob id de hoc agemus in sermone de febribus pituitosis: sed necesse fuit hic vos monere, ne à vobis aliquis committeretur error.

Quõ causus possit esse & exquisitus, & nothus.

Gal. & Hipp. loca explicãtur.

Signa.

Quò ad signa breuiter conferatis inuicem signa bilis, & signa aliorum humorum, qui cum bile miscẽtur, verbi gratia, si sit febris ardens ex bile mista cum salsa pituita, tunc indicatur causus exquisitus vt à lingua aspera, sicca, sed amara: si causus sit nothus indicatur ex lingua aspera sicca, sed salsa. Poteritisquè etiam distinguere febres biliosas nothas ex salsa pituita à febribus pituitosis exquisitis: vt si sit febris ardens biliosa continua, apparebunt accessiones de tertia in tertiam; si verò sit pituitosa, quotidie: nec vlla apparebit correspondentia de tertia in tertiam. Similiter si fiat febris ex affectu erisipelaceo spurio, præter id, quod cognoscetis materiam putrescentem in venis alicuius partis ad differentiam materiæ putrescentis in venis totius, obseruabitis etiam symptomata non modo bilem, sed & pituitam indicantia. Si sit erisipelas ædematosum: si sit erisipelas phlegmonodes, aderunt signa non modo bilis, sed etiam sanguinis. Idem etiam de reliquis est dicendum.

Signa causi exquisiti, & nothi etiã.

Signa febriũ & biliosæ cõtinuæ, & quotidianæ continuæ.

Signa febris ex vitio partis.

Curandi ratio.

Indicationes.

Accedamus iam tandem ad curationem. Primum itaquè quo ad indicationes breuissimæ oportet espurgare dictas materias; bilem etiam, & pituitã præparare, & varia viscera corroborare, veluti ventriculum ratione pituitæ, iecur ratione bilis, & sic de reliquis, de quibus satis diximus in sermone de tertiana notha. Quò ad prognosticum, sciatis febrem hanc esse morbum valde periculosum, & multo periculosiorem tertiana notha intermittente; eo quod est continua, & diuturnior etiam, quam biliosa exquisita, vt colligitur ex Aetio, & ex Galeno tertio de ratione victus vltimo; mista enim materia est crassior bile, bilis verò est humor tenuissimus, qui facile potest dissolui, atquè vinci; reliqui autem succi, & præcipuè pituitosi sunt magis rebelles. Vt autẽ cognoscatis, an febris futura sit salubris, necne eo prorsus modo distinguetis, quo moniti fuistis in ꝓgnostico febris biliosæ cõtinuæ exquisitæ. Quare quãtũ spectat ad præsidia, si ex Galeno primo ad Glauc. cap. de cura tertianæ nothæ debet in tertiana notha mitti sanguis adhibita tamen distinctione eorũ, quæ sunt perpendenda in venæ sectione, multo magis seccanda est vena in febre biliosa continua notha, quoniam hæc est insignior, periculosiorquè illa. Vnde indicat etiam plenitudinem validiorem, & proindè validum auxilium, idest venæ sectionem, quare quod dictum fuit in febre illa, idem etiam in hac febre est supponendum. Illud tantum discrimen esse debet, vt in hac febre multò citius seccetur vena, & in maiori etiam quãtitate euacuetur sanguis, quam in illa. Quò ad medicamenta aduertendum in primis circa lenientia esse differentiam inter febrem biliosam notham intermittentem, & febrem hanc; in ea enim vti licebat speciebus hieræ, quibus nequaquam vti licet in hac, nam licet sit notha, est tamẽ continua, sed pro speciebus hieræ potest dari mel ros. sol. cum syr. ros. sol. quæ dissoluantur in decocto Tamarindorum. Idem dicendum est de reliquis medicamentis.

Prognosticũ.

Chyrurgia.

Pharmaca.

Leniens.

Vnde

Vnde Auerroes cap.de cura febris ardentis nothæ iubebat,vt miscerentur medicamenta varia, & ideo probabat vsum petroselini, cui addebat liquiritiam, violas,semina communia frigida, & iubebat, id obseruandum esse in quolibet medicamento,vt ratione pituitæ adhibeantur calefacientia,& attenuantia, quales sunt radices petroselini,fœniculi, & huiusmodi: ratione verò febris continuæ vtamur refrigerantibus, & humectantibus,vt sunt liquiritia, violæ, & semina frigida, vt Rec. syrupi de liquiritia, syrupi violati,syrupi bisantini ana ℥.5. Decocti radicum petroselini ℥.2.emulsionis seminum melonum ℥.1.misce,sic.n.respicietis & biliosam,& pituitosam materiam. Cumquè dixerit, hoc esse obseruandum in quocunque medicamento, propterea id obseruabitur etiam in medicamentis purgantibus, atquè etiam alterantibus, de quibus nunc hic otiosum esset verba facere; eò quod oporteret proproponere medicamenta alterantia, purgantiaquè bilem, & pituitam, & melancholiam, de quibus satis loquæmur suis locis. Aduertendum tantum quò ad euacuationem *per poros cutis,quæ fit beneficio balnei, discrimen esse* inter febrem ardentem exquisitam, & febrem ardentem notham: in ardente enim notha nequaquam vtendum *est balneo,siue causus sit biliosa,siue sit pituitosa,* ex Gal.3.de rat.vic.vltimo:adest nanq; crassities, atq; viscidítas materiæ, quę duo non cedunt balneo.

Formula syr.

De purganti bus,& alterā tibus.

De euacuatione insensibili.

Postremò quò ad victus rationem ex Galeno quarto de rat.vic.à 13. vsquè ad *19.* debet esse differentia inter causum legitimum, & nothum; in notho enim nequaquam vti licet victu ita tenui, vt in legitimo: eò quod non est ita breuis nothus, potest enim pertransire, immò verò vt plurimum pertransit septimum diem; licèt de ratione ardentis febris sit, vt non excedat septimum diem.

Diæta.

Quare in causo notho expedit vti ptissana colata, & aliquid ei admiscere, vt diximus in sermone de tertiana notha, illud tamen non debet esse adeo calidum; ideo optimum erit cum ea miscere aliquid oximelitis, quinimò Galenus loco citato pro potu illud concedit,nec præter rationem; oximel enim satis valenter attenuat, atquè abstergit, quæ duo hic requiruntur ratione pituitæ; atque ex Galeno octauo meth.quarto,licet valdè abstergat,febrem tamen non accendit.

Cibus.

Potus.

Vis oximellitis.

Verum non modo oximelite vti licebit, sed & procedente febre aqua alterata cum petroselino, fœniculo, & huiusmodi alijs habentibus vim calefaciendi, attenuandiquè. Vnde fortè hoc respiciens Hippocr. quarto de rat. vict.tex.cit.probat in febre ardente notha potiones attenuatorias. Vbi Galenus in commento fatetur se ignorare quid nam voluerit intelligere Hippocr. verum dicit fortassæ nihil aliud significare voluisse, quàm quòd, sicuti in febre ardente exquisita vtimur potu syncere frigido, ita econtra in febre ardente notha, optimum est miscere cum potu frigido aliquod calefaciens, vt petroselinum, fœniculum, & alia id genus, ita vt per potionem attenuatoriam fortasse intelligat potionem, in qua mixta sint attenuantia, & calefacientia. Reliqua verò ad victus rationem pertinentia satis superquè per se clara sunt, vt in his indignum sit nunc tempus conterere. Quare hæc dicta sint de febribus omnibus biliosis,& intermittentibus & continuis,& exquisitis,& nothis.

Hipp.locus difficillimus explicatur.

DE FEBRIBVS SANGVINEIS.

Cõtinuatio. Quoniam inter febres biliosas, atquè sanguineas cognouit Auicena magnum esse consensum, iccircò post tractatum de biliosis illico de sanguineis agere voluit, triaquè constituit capita, in quorum primo nos exercet in parte pathologica, in secundo in symiotica, in tertio verò in therapeutica. In primo autem capite tria facit, primum in medium affert sententiam Galeni, secundo eam reprobat, tertio proponit sententiam propriam, quid silicet dicendum sit de febre sanguinea. At ipse gratis quidem Galenum redarguit, quoniam si ipsius verba rectè considerentur, apparebit idem prorsus de hac febre statuisse, quod statutũ fuit etiam ab Auicena. Verũ ipsius error, mea quidem sententia, non aliunde pendet, quam ex codice Galeni, quem habuit, deprauato, quod cum ita se habeat otiosum quidem esset in medium ipsius rationes afferre; veritate enim huius rei ex mente Galeni rectè intellecta cognoscetis, rationes Auic. non aduersari Galeno, sed codici Galeni deprauato.

Diuisio tractatus. Diuisio capitis primi. Excusatur Auicena. Causa erroris Auic.

Ordo ꝑpri⁹. Nos igitur de more nostro ita progrediemur, primum de nomine, deinde de essentia, tùm de reliquis deinceps agemus, & summa quidem cum diligentia, propterea quòd si aliqua est difficultas in tractatu de febribus, illa certè maxima existit in hoc de febribus sanguineis. Primum igitur per febrem sanguineam intelligimus cum Auicena febrem sanguineam & cum putredine, & sine putredine tantum, excludimus nanque febrem sanguineam pestilentem, de qua suo loco. Atque licet Auicena in præsentia profiteatur doctrinam febrium putridarum, immiscuit tamen sermonem de febre sanguinea sine putredine, propter affinitatem inter has febres existentem.

Explicatio vocis.

Definitio. Vnde febris sic accepta nihil aliud est, quã *febris procedens à sanguine peccante in venis citra venenositatem*. Diximus, *febris*, tantum, quoniam per definitum intelligimus febrem sanguineam & putridam, & non putridam. Diximus, *procedens ex sanguine*, vt seiungamus febrem hanc à reliquis febribus humorosis. Diximus, *peccante*, non autem putrescente, quoniam sanguis potest peccare, & putrescendo, & non putrescendo, & quoniam hæc veritas est radix totius huiusce negotij, ideo est omnino rectè percipienda. Quare hic duo sunt explicanda, vnum quid per sanguinem; alterum, quid per peccatum sanguinis sit intelligendum. Quod attinet ad primum, sanguis potest dupliciter capi, vno modo pro massa sanguinea, altero modo pro succo sanguineo tantum. Distinctio hæc potest colligi ex Hipp. primo de Nat. hum. in primis illis textibus, atquè ex Gal. secundo de Diff. feb. 9. & 2. de Cris. 12. Quid igitur per sanguinem in definitione est intelligendum? Intelligi debet sanguis vtroquè modo acceptus, eo quod hic potest esse in causa febris sanguineæ: Sãguis enim pro aggregato ex quatuor succis alimentalibus dupliciter potest affici, vel. n. efferuescit, vel putrescit; si feruescat, feruor hic est vel remissus, vel insignis, si remissus, fit febris, quæ ex Galeno nono meth. primo re tantũ est ephemera, nimirum febris illa sanguinea, quæ dicitur synochus sine putredine, nomine autem nõ est ephemera, quoniam excedit diem; est autẽ re ephemera, quia ex feruore remisso sanguinis in toto accenduntur spiritus in corde existẽtes, quibus accensis fit febris, cuius caliditas communicatur toti corpori, & ideo cum caliditas totius pendeat ex seruore spirituum, sequitur, febrem hãc esse re vera ephemeram.

Definitionis explicatio.

Sanguis põt dupliciter accipi.

Sanguis massa põt dupliciter affici causa synochi sine putredine immediata, & cur ephemera re, nõ aũt nomine dicatur.

At dicet aliquis hoc esse falsum, quoniam asserit Auic. febrem hanc esse humoralem, vt ob id dixerint quidam dari quartum genus febrium; atq; præter Auic. dictum, idem videtur etiam suadere ratio, nam cum massa sanguinea principaliter accendatur in hac febre, qua accensa efferuescunt deinde spiritus cordis: ideo febris hęc non debet dici re ephemera, sed potius humoralis. Facillimum est huic difficultati satisfacere, licèt quidam impossibile id esse putent. Nam quando pleura inflammatur adeo vt febrem pariat, quæ pleuritica dicitur, quid est illud, quod primum afficitur? equidem si loquamur de inflammatione ratione ipsius primum, & principaliter afficitur pleura; at si loquamur de febre, primum quidem afficitur pleura, principaliter tamen afficiũtur humores; si enim non potest esse febris pleuritica, & putrida non principalis, nisi à loco inflammato emanent fuligines putridæ, quæ petant cor, cordisquè humores inficiant, quibus calefactis subsequitur deinde febris, quæ fieri non posset nisi humores ita calefierent, ideo hoc multo magis dicendum est de febribus principalibus. Quapropter ad dubitationem propositam dicimus cum Galeno synochum sine putredine esse febrem, re quidem ephemeram, quia licet massa sanguinea primum afficiatur non tamen principaliter afficitur, sed spiritus: ob id autem ab Auicena humoralis dicitur, quia respicit non id, quod principaliter ratione febris, sed illud, quod primum afficitur, quod etiam exigit remedia, idest massam sanguineam. Dubitatio. Solutio. Qũo fiat febris pleuritica.

Ad rem igitur redeuntes dicimus, quod si massa sanguinea feruore afficiatur, & eo quidem remisso, tunc fiet synochus sine putredine. Si autem in massa sanguinea fiat feruor insignis, vsquè adeò ipsa afficitur, vt secundũ aliquas sui portiones degeneret in materiam ichorosam, & proinde in materiam excrementitiam, quam non ita amplexatur natura, custoditquè, quippè quę sollicita sit de alimento tantum, non de excremento; si autem portio hæc ichorosa putrescat, tunc fiet synochus cum putredine, de qua agit Galenus nono meth. 3. & 4. & ideo non dicatis febrem hanc fieri ex sanguine, sed ex ichore sanguinis, vel ex sanguine in ichorem degenerante, qui sanguineus ichor nuncupari potest. Synochus putrida fit ex ichore sanguinis, & sanguine.

Quod si contingat massam hanc putrescere, tunc fiet quidem febris sanguinea, attamen non erit illa de qua nunc loquimur, idest febris sanguinea non pestilens; quando enim massa sanguinea non modo feruet, verum etiam putrescit, non modo fit febris sanguinea, sed febris pestilens venefica; quia massa sanguinea non potest putrescere, nisi adsit causa valdè naturæ aduersaria adeo quod fiat febris pestilens, vt suo loco audietis.

Si verò alia ex parte consideremus sanguinem pro quarto succo tantum, hic similiter inficitur, vel quia feruet, vel quia putrescit: si ferueat, feruor hic est, vel remissus, vel insignis: si sit remissus, fiet febris non putrida, eò quod nulla adest putredo, sed potest esse ephemera, quando ratione feruoris sanguinis efferuescunt spiritus cordis, mitissimaquè solet esse hæc febris. Si sit insignis, ob insignem hunc feruorem succus hic sanguineus degenerat in bilem secundum partem tenuiorem, secundum verò crassiorem in melancholiam. Sanguinis ꝓ quarto succo tantum dupliciter inficitur.

Vnde hic aduertendum ex Galeno secundo de diff. feb. nono (quem locum si vidisset Auicena rationes illas non proposuisset) vbi feruor est insignis in sanguine, tunc sanguis secundum proportionem tenuiorem in bilem, secundum Notatur Auicena.

dum verò crassiorem in melancholiam ita degenerat, vt si hæ materiæ putrescant non fiat febris sanguinea, sed vel biliosa, vel melancholica; eò quod sanguis degenerauit vel in bilem, vel in melancheliam excrementitiam, quantuscunquè erat. Quod si succus sanguineus putrescat, (differentia autem est inter massam sanguineam, & succum sanguineum, succus nanquè sanguineus aliquando est ita dispositus ad putredinem, vt possit putrescere secundum aliquam sui partem tantum, antequàm putrescat aliquis ex succis alimentalibus, licet non adsit insignis causa ad introducendam putredinem: fieriquè synochus cum putredine. Massa verò sanguinea necessario requirit causam insignem ad introducendam putredinem in eam: & hinc est, quod ex putredine massæ sanguineæ fit necessario febris pestilens: vt probabimus suo loco) non fit necessario febris pestilens, immò verò non potest fieri febris pestilens sanguinea, eò quod non requiritur causa adeo valida; adeoquè venefica, licèt dixerit Hipp. primo de natura humana 19. omnium esse naturæ familiarissimum. Verum cum aliqui succi sint alimentales, ita dispositus potest esse sanguis, vt minus resistat causis putrefacientibus, quam reliqui succi. Ex succo itaquè sanguineo putrescente fieri potest febris. Aduertendum autem putredinem hanc posse esse duplicem, vel leuem, uel insignem, per putredinem leuem intelligo illam, quæ proponitur à Galeno secundo Aphor. 17. & præcipuè vndecimo meth. nono, illam silicet in qua sanguis est semimalus, nequè adèo putrescit, quin deduci rursus possit ad benignum, ex tali autem illius putredine fit febris verè sanguinea, eò quod sanguis putrescit sub forma propria.

Putredo duplex.

Et hoc est quod voluit Auicena, licet non intellexerit Galenum, quia habuit codicem deprauatum. Hæc igitur febris est sanguinea quia quando sanguis leuiter putrescit, putrescit sub forma propria, ita vt denuo possit ad benignum deduci.

Hæ tamen febres, licet sint sanguineæ, à Galeno secundo de different. feb. nono, & secundo de Cris. duodecimo dicuntur febres quodammodo biliosæ, vt ex hoc duo significet, vnum, hanc esse febrem sanguineam, non biliosam, si enim voluisset significare hanc esse biliosam, non dixisset, quodammodo biliosam: alterum verò, hanc esse febrem quodammodo biliosam: nam licet detur febris sanguinea, non tamen ob id necesse est constituere periodos plures tribus, sed tres tantum, nempè quotidianas, triduanas, & quatriduanas, febris enim hæc, cum sit quodammodo biliosa, est sanguinea, sed habet periodos de tertia in tertiam, vti febris biliosa.

Gal. locus explicatur.

Ratio huius est, quoniam vbi inficitur sanguis leui tamen putredine, tunc putrescit vel secundum partem tenuem, (quod vt plurimum euenit) vel secundum partem crassam; si secundum tenuem, tunc vi putredinis sanguis non vertitur in bilem, sed in materiam quandam bili simillimam: vt ob id biliosas etiam periodos excitet; quare febris hæc sanguinea statuitur quodammodo biliosa, eò quod periodos habet febris biliosæ. Eodem planè modo si putredo, leuis tamen, occupet crassiorem sanguis partem, portio hæc non degenerat in melancholiam, neque in atram bilem, sed in aliquod, quod est in confinio atræbilis, vnde febris ab ipso producta, erit quidem sanguinea, attamen poterit etiam vocari febris quodammodo melancholica.

Cur febris sanguinea periodicet de tertia in tertiam, sicut tertiana. Cur feb. sanguinea dicatur quodam modo biliosa.

Quod

Quod si quartus hic succus putrescat, sed insigniter, cum sic non putrescat sub forma propria, nec possit amplius ad benignum deduci, propterea ex ipso non fiet febris sanguinea, nec quodammodo biliosa, nec quodammodo melã cholica, sed febris verè biliosa, vel verè melancholica: nam, vbi succus sanguineus insigniter putrescit, cum non seruet amplius suam formam, si putredo occupet partem sanguinis tenuiorem, tunc sanguis verè vertitur in bilem excrementitiam exactè, non quodammodo, ex quo postea humore non fit febris sanguinea, sed febris verè biliosa, eò quod fit ex tenui parte sanguinis cõuersa verè in bilem excrementitiam. Idem etiam dicendum est de parte crassiore sanguinis, hæc enim ob insignem putredinem vertitur in bilem atrã, vnde fit febris non quodammodo melancholica, sed verè melancholica, quæ periodos habet de quarto in quartum. Ex his patet, quid intelligamus per sanguinem peccantem: intelligimus enim peccantem non modo simpliciter, sed etiam in venis.

Per sanguinem peccantem quid intelligendũ.

Vnde sententia fuit Auicenę febres sanguineas esse continuas, & inseparabiles, voluit etiam sanguinis locum esse intra venas. Atque maximo sanè cum artificio dicit febres sanguineas esse continuas, & inseparabiles: dicit enim continuas, vt significaret febrem sanguineam non desinere ad infebricitationem. Addidit inseparabiles, quia potest esse febris continua per subingressum paroxismorum: erunt quidem febres suaptè natura intermittẽtes, eò quod materia putrescit extra venas, sed dicentur continuæ per subingressum, quoniam, antequam prior desinat febris, altera superuenit. Vt igitur significaret, febrem sanguineam esse omnibus modis continuam, dicit ipsam esse continuam inseparabilem: & hoc fit ob sanguinis naturam. Vnde ex Hippocr. primo Aphorismorum agente de habitu athletarum, vbi aderat summa illa sanguinis redundantia disrumpebatur vas, vel suffocabatur calor. Sed aduertendum venas has esse varias, sunt enim venæ totius, & venæ partis: venæ totius sunt illæ, quæ spectant ad eas partes, quę sunt inter alas, & inguina, & sunt magna vasa: sunt etiam aliæ venæ remotiores ad totum tamen spectantes.

Auic. locus declaratur.

Venæ sunt in duplici differentia.

Vnde si sanguis peccet in magnis illis vasis, febris fit sanguinea vnam tantum habens accessionem, & nihil aliud est, quam synochus vel cum putredine, vel sine putredine, sed cum putredine ichorum, non massæ sanguineæ. Si autem redundet sanguis in venis remotis, fiunt febres sanguineæ, quæ habẽt periodos, non tamen deducentes ægros ad infebricitationem. Si verò redundet sanguis in venis partium fiunt febres ex affectu veluti inflammatorio, & si pars ita inflammetur, vt sanguis reperiatur non modo in venis partis, sed etiã in particularibus, tunc fiet affectus verè inflammatorius; tunc tamen nõ erit febris principalis, sed accidentalis de qua hic non loquimur, Dicit tamẽ Galenus loco citato loquens, de his febribus, si sanguis inficiatur, putrescatvè in venis alicuius partis, & fiat inflammatio, apparere accessiones de tertia in tertiam vt in pluribus: nam rationi consonum est, vt sanguis, qui fluit in aliquam partem, vel quia transmittatur, vel quia attrahatur, sit portio sui tenuior, quæ degenerat in materiam potius bili similem, vnde fit etiam febris quodammodo biliosa.

At si febris hæc fiat ex inflammatione, est febris quodammodo biliosa, non principalis. De causis non est, quod hic loquamur.

Quæstio de causa synochi cum putredine.

Reuocatur in dubium, vtrum synochus cum putredine fiat ex ichoribus, an

an potius ex humoribus. Nos pro huius rei veritate reſolutè dicimus ſynochum cum putredine nequaquam fieri ex humoribus, ideſt ex ſanguine ſumpto pro aggregato ex quatuor ſuccis alimentalibus, ſed ex maſſa ſanguinea ex quatuor ichoribus; quæ veritas primum explicanda, deinde Gal. authoritate confirmanda eſt.

Per quatuor ichores quid intelligatur.

Quò ad primum, cum dicimus ſynochum putridam fieri ex putredine quatuor ichorum, per quatuor ichores intelligimus maſſam ichoroſam non omnibus modis acceptam, ſed correſpondentem maſſæ humoroſæ peccantis in quanto; ichores enim proportione reſpondent ſuis humoribus: nam cum in ſynocho adſit plenitudo, & ideo vigeat ſanguis, & maſſa humoroſa peccans in quanto: propterea hi etiam ichores, exiſtente hac plenitudine, debent eſſe correſpondentes dictæ maſſæ, ideſt ſicut in maſſa humoroſa peccante in quãto, in plenitudine propoſita, ſuccus ſanguineus maximè ſui copia reliquos excedit ſuccos, ita vt ſit plenitudo illa inæqualis, in qua maximus eſt exceſſus ſecundum ſuccum ſanguineum, à ſimili oportet, vt in maſſa ichoroſa, ichor ſanguineus maximè excedat alios ichores: Hinc neceſſario ſequitur, vt corpus ſynocho correptum nec frigidioris, nec calidioris temperaturæ ſit, ſi enim ſit frigidi temperamenti, tunc redundat potius maſſa ſanguinea pituitoſa peccans in quali, quam maſſa ſanguinea tantum, ex qua maſſa pituitoſa, nequaquam fit ſynochus, ſed ſi maſſa hæc ichoroſa, quæ correſpondet maſſæ humoroſæ pituitoſæ, putreſcat in magnis vaſis fiet febris continẽs, quæ poterit etiam dici cauſus pituitoſus ex ichore tamen, ſed nothus, quod etiam dicendum eſt, ſi maſſa fuerit melancholica, fiet enim ſimiliter nothus. Quod ſi calidius ſit corpus, tunc multiplicabitur maſſa ſanguinea biliosa, excedet bilis, corpuſquè bilioſum erit, vnde etiam maſſa ichoroſa erit bilioſa, ex qua fiet febris continens, & cauſus, qui plurimum cauſi exquiſiti naturam ſapit. At ſi corpus ſit athleticum, atquè etiam temperatum, in quo redũdet ſanguis, ſimiliter etiam ichor ſanguineus excedet reliquos ichores, fietq; ſynochus, de qua eſt ſermo.

Probatur ſynochum putridam fieri ex ichorum putredine: Prima rãtio. Galeni locus explicatur.

Sed hanc eandem veritatem ex Galeno etiam confirmemus. Galen. itaq; 9. meth. 3. loquens de ſynocho putrida dicit, hanc fieri ex quatuor ſuccis æqualiter putreſcentibus, per putredinem autem æqualem intelligit putredinem inuadentem quàm celerrimè omnes ſuccos, ita vt non reperiatur vna portio ipſorum putrida, & altera putredinis expers, ſed neceſſario putredo inuadat æqualiter omnes ſuccos, ideſt ſecundum omnes ſui partes. Quæ explicatio deſumitur ex Galeno loco citato, vbi dicit febrem hanc fieri in corpore calido, non autem in frigido; frigidum enim non poteſt hanc admittere febrem; eò quod ſui frigiditate reſiſtit, quo minus cauſa putrefaciens cito communicetur omnibus corporis partibus, æqualiterquè ſuccos omnes inuadat. Si ergo in corpore frigido non fit febris, quia frigiditas prohibet, quo minus putredo omnibus ſuccis æqualiter impartiatur, ſequitur in hac febre omnes ſuccos æqualiter putreſcere. Si itaquè hoc modo intelligi debet Galenus, (non enim aliter intelligi poteſt) ſi dicamus ipſum loqui de ſuccis alimentalibus, velleque putridam ſynochum fieri ex ipſorum putredine, quæritur numquid loquatur de inſigni, an de remiſſa putredine, non de inſigni quidem loqui poteſt, eo quod febris eſſet non modo ſynochus putrida, ſed etiam peſtilens, quæ à reliquis diſcrepat putredinis excellentia. Neq; etiam dicendum eſt eum de remiſſa loqui, quoniam etiam ſi remiſſa ſupponatur putredo, cum

tamen ſit in qualibet portione ſanguinis, (aliter enim non eſſet æqualis putredo) non eſſet poſſibile, vires adeo conſiſtere, vt permitterent euacuationẽ ſanguinis vſque ad animi deliquium; Quare dicendum eſt eum non loqui de ſuccis alimentalibus, ſed de ichoroſis. Ad hæc ratio non dictat, vt cauſa putrefactiua æqualiter agat in quatuor ſuccos alimentales. Nam cum ex Hipp. primo de natura humana 19. ſanguis ſit valdè familiaris; immò inter omnes ſuccos familiariſſimus naturæ, rationi conſentaneum eſſe videtur, vt reliqui ſucci prius putreſcant, deinde verò ſanguis, & potiſſimum quia, ſi ſupponat leuem eſſe putredinem, neceſſarium eſt eam produci à cauſa putrefactiua leui, quæ non poteſt æqualiter omnes ſuccos putrefacere. Si igitur putredinis cauſa eſt remiſſa, & magis reſiſtit ſanguis, quomodo æqualiter aget in quatuor ſuccos? hoc quidem mente concipi non poteſt. Quare per quatuor ſuccos intelligere oportet ſuccos ichoroſos, non alimentales. Cõfirmatio rationis.

Eadem etiam veritas adhuc confirmatur à Galeno nono, meth. 3. vbi dicit corpus ſynocho correptum, eſſe repletum calidis excrementis, & redundare etiam ſuccis alimentalibus, nempe maſſa illa peccante in quanto; oportet enim illud eſſe corpus calidum plethoricum, quo ſtante, ſi ei cauſa putrefaciens occurrat, quid potius putrefiet, calida ne excrementa redundantia, an ſucci alimentales? ſed nemo adeo demens aſſereret putreſcere potius ſuccos alimentales: neceſſe ergo eſt vt putreſcant calida excrementa, quæ cum à natura non cuſtodiantur, facilè putreſcunt, hæc autem ſunt ea, quæ ſuccis proportione reſpondent, nempè ichores, qui ſunt portiones excrementitiæ emanantes ex maſſa ſanguinea efferueſcente. Secunda ratio. Ichores q d.

Tertio veritatem hanc confirmat Gal. 9. meth. 4. vbi ait, in febre, quę fit ex cutis ſtipatione, nos poſſe inſignem moliri euacuationem, vſque etiam ad animi deliquium: ſecus autem eſſe faciendum, ſi procedat ex corruptela humorum. Si ergo dicamus in ſynocho putrida nõ putreſcere ichores, ſed quatuor ſuccos alimentales, non licebit mittere ſanguinem vſque ad animi defectũ, quod tamen faciendum eſſe percipit Galenus ipſe .n. loco citato in ſynocho cum putredine per venam ſectam ſanguinem euacuat vſque ad animi defectum, non alia ſanè de cauſa, niſi quia cognouit ſynochum putridam fieri tantum poſſe ex putredine non humorum, non ſuccorum alimentalium, ſed ichorum. Tertia ratio.

Poſtremo hoc etiam aliqua ex parte comprobari poteſt ex Galeno 9. meth. primo, vbi loquens de ſynocho, prout in ſe continet, & ſynochum cum putredine, & ſynochum ſine putredine dicit, febrem hanc accedere ad vtrunque genus, ideſt ad genus ephemerarum, & ad genus putridarum: ſed ita tamen accedere, vt non referat naturã extremorum, ideſt vel putridarum, vel ephemerarum. Quod dictum ſic eſt intelligendum, ſynochus eſt genus quoddam febris, quod prædicatur de ſynocho ſine putredine, & de ſynocho cum putredine. Quò ad ſynochum abſque putredine, febris hæc ex Galeno licet nomine non ſit ephemera, eſt tamen re ephemera, multumquè accedit ad genus ephemerarum, non tamen exquiſitè ſapit naturam ipſarum, eo quod fit, ex Auicena in hoc capite, ex humoribus, qui tamen dum feruent, reddunt ſpiritus cordis in calefacto eſſe, primum tamen humores ipſi in caleſcunt. In febre autem ephemera exactè, quæ fit ex primitiua cauſa, non primum accendũtur humores, ſed ſpiritus, in ſynocho verò ſine putredine ſpiritus principaliter, quidem accenduntur, ſed non primum, & ideo non ſapit exquiſitè naturam Quarta ratio. Gal. locus explicatur.

ephemerarum

ephemerarum ſed illi proximè accedit. Quod ſi conſideremus ſynochum cũ putredine eiuſquè naturam, exactè videtur referre naturam putridæ febris, eò quod in ipſa eſt putredo, humores enim cordis ob putridas fuligines accẽduntur. Quare hæc adeo exquiſita febris putrida apparet vt nihil ei deeſſe videatur, at nihil quidẽ deeſſet, ſi ex humoribus fieret, ſed cum fiat ex ichoribus, hinc eſt, quod accedit ad genus putridarum, nõ ita tamen, quin aliquid illi deficiat; eo quod non humores, ſed ichores putreſcunt. Conſtitutum itaq; ſit ſynochum putridam nequaquam fieri ex quatuor humoribus, ſed neceſſario ex quatuor ichoribus maſſæ ſanguineæ correſpondentibus.

Synochus putrida vnde fiat.

Differentiæ.

Quod attinet ad differentias, hæ poſſunt deſumi à materia, & à loco, materia hæc poteſt eſſe vel ſanguis, vel ichor ſanguinis, vnde febres fiunt ſynochi, quodammodo billioſæ, & quodammodo etiam melancholicæ: ex ſanguine fiunt ſynochi ſine putredine, ex ſanguine accepto pro quarto ſucco ſolũ, fiunt febres quodammodo vel bilioſæ, vel melancholicæ. A loco, ſi materia peccet in vaſis magnis fiunt febres continentes; ſi in paruis, fiunt continuæ proportionatæ; ſi in venis partis, fiunt febres prouenientes ex affectu veluti eriſipelaceo & quoniam vt plurimum fit inflammatio, non autem affectus veluti inflammatorius.

Continens triplex.

Verum quo ad continentem; febris huius ex Galeno nono meth. 3. triplex eſt differentia, vel enim æqualiter eundem tenorem ſeruat, vel augendo progreditur, vel decreſcendo procedit. Huius cauſa nulla eſt alia, niſi quia diſcrimen eſt vel in vapore, vel in ichore: in vapore quidem in ſynocho ſine putredine; in ichore verò in ſynocho cum putredine, quod ſic declaro. In ſynocho ſine putredine cum ſanguis efferueſcat, ſed remiſſus ſit feruor, non gignuntur ichores, ſed vapores tantum emanant: vnde ſi contingat, vt æqualis ſit portio vaporum, qui generantur, portioni eorum, qui reſoluuntur, febris eundem ſeruat tenorem, eò quod æqualis eſt vaporum & generatio, & reſſolutio: contra verò inæqualis erit febris, nam ſi maior ſit portio vaporum, qui reſoluunt quam eorum, qui regenerantur; febris erit decreſcens; ſi verò oppoſitũ fiat, febris erit augeſcens, atque hinc fit, vt quo magis corpus erit calidum, & repletum, magiſquè ſtipatum, ita etiam maior fiet vaporum regeneratio, quam reſſolutio. Idem eſt dicendum de ſynocho cum putredine; nam cum hæc febris fiat ex ichoribus, ſi maſſa ſanguinea inſigniter efferueſcat, vt generentur, emanentquè ichores, interdum æqualis, interdum verò inæqualis eſt eorum portio, & quę generatur, & quę reſoluitur: vnde quod dictum fuit de vaporibus, dicendum eſt etiam de ichoribus.

Sig 12. A Pulſu.

Propterea ex Galeno loco citato, & ex Auicena potiſſimum, febris hæc dignoſcitur ex pulſu pleno, veloci, & magis veloci, quam frequenti: ratio huius eſt, quoniam ſanguis redundat, vnde pulſus eſt magnus ſecundum omnes dimenſiones, virtus enim eſt valida, ita vt poſſit in omnes dimenſiones amplificare arterias. Pulſus eſt plenus ob copiam ſanguinis, eſt velox propter adauctam neceſſitatem euentandi inſignem calorem cordis: & ob eandem cauſã etiam frequens eſt: magis tamen velox, quam frequens, quia virtus eſt robuſta.

A Calore.

A Colore.

Præterea non adeſt inſignis mordacitas; ſanguineæ enim febres ſunt mites reſpectu videlicet aliarum febrium; vbi autem febris, ibi etiam neceſſario caloris mordacitas. Inſuper adſunt ſigna ſanguinis copioſi, vt rubedo in facie, & præceſſerunt cauſæ, quæ potuere ſanguinem multiplicare. An verò ſit febris continens, necnè, id facillime colligetis, quia continens vnicam habet

bet accessionem; non continens verò plures habet accessiones. Sed cognoscere oportet, quando febris est continens, an sit synochus cum putredine, an synochus absque putredine.

Cognoscitur itaquè febrem non putridam à reliquis differre cum Galeno nono meth. tertio potissimum ex tribus, ex pulsu, lotio, & calore; ex pulsu; non enim aderit in eo inæqualitas, quæ quidem percipitur in synocho cum putredine. Per inæqualitatem non intelligatis inæqualitatem febrilem, quę reperitur in qualibet febre, immo in ephemera re, & nomine, nedum in synocho sine putredine; sed intelligatis inæqualitatem illam, in qua velocior est systoles, dyastole, ratione putredinis, & præcipuè inter initia febris. Ex lotio, hoc enim putredinem indicabit, magisquè mutabitur, & magis coloratum fiet in synocho cum putredine, quam in synocho sine putredine, in quo nullã vel certè exiguam habet mutationem. Ex calore; aderit namque caloris acrimonia, qualis proposita fuit in sermone de signis febrium putridarum, in synocho cum putredine, quę non erit in synocho sine putredine, tùm quia nulla adest putredo, tùm etiam quia feruor in sanguine est mitis.

Signa synochi sine putredine.
A Pulsu.
A Lotio.
A Calore.

Dicit autem Auicena in hac febre opus esse non refrigerare tantum, sed et euacuare, crassefacere, attenuare, mundificare, digerere. Quæ dicta, licet difficilia videantur, possunt tamen facilè intelligi, si ad methodum medendi confugiatur, idest ad indicantia principalia, quæ sunt tria, virtus, febris, & materia, quæ est causa febris. De virtute ne verbum quidem facit Auicena, eò quod ipsa semper supponi debet in quocũquè morbo; & ideo requirit sermonem non particularem, sed generalem, & ob id supponit virtutem ex alibi traditis, & potissimum etiam, quia in synocho virtus est vsquè adeo robusta, vt non concurrat tanquam indicans vitale, sed potius vt indicans curatorium ex accidenti; non enim virtus potest esse indicans principale, nisi quatenus est indicans vitale.

Indicationes.
Indicãs principale triplex.

Neque etiam considerat Auicena indicationes, quæ desumuntur à febre, eò quod egit de ipsis in tractatu de cura febrium putridarum in generali. Respexit itaquè solum materiam, quæ quidem in his febribus est duplex, vel. n. est massa sanguinea, vel materia prodiens ex feruore massæ sanguineæ. Si consideremus massam sanguineam, ab hac desumuntur indicationes, prout ipsa peccare potest vel in quanto, vel in quali. Si peccet in quanto, oritur indicatio euacuandi, & ideo dicit opus esse euacuare & quidem copiose, immò per venam sectam; siquidem in synocho adest valida plenitudo, quæ vehemẽtem facit morbum. Si consideremus massam hanc ratione qualitatis, hęc est aut syncera, aut mista, si syncera, peccat vel in prima, vel in secunda qualitate; Si in prima, peccat eò quod feruet, & ideo ex Auicena oritur indicatio refrigerandi, vnde dicit refrigerandum esse ratione non febris, sed materiæ, quippe qui hauriat indicationes à materia sola. Si autem peccet in secunda, peccat, quia sanguis est aut crassior, aut tenuior, & propterea ait interdum opus esse crassefacere, dum respicit sanguinem tenuiorem, interdum verò attenuare, dum oculos dirigit ad sanguinem crassiorem. Quod si sanguis sit mistus, oritur indicatio mundificandi: ratione demum materiæ quæ generatur à feruore sanguinis, oritur indicatio digerendi, idest distribuendi ad circũferentiam, atquè dissoluendi, & eradicandi, siuè sint vapores in synocho sine putredine, siuè sint ichores in synocho cum putredine.

Cur Auic. nõ considerauit febrem.
Materia in febribus est duplex.

Cum dixerit Galenus secundo Prognost. 27. morbum fore salubrem, vbi Prognosticũ

adest

adest exuperantia integerrimi humoris, idest sanguinis, ideo licet colligere, febres sanguineas esse potius salubres, quam lethales, siquidem hæ originem ex benigno humore, i. ex sanguine ducunt. Excipiuntur tñ febres sanguineę pestilentes, quia oriuntur non modo ex sanguine, sed etiam ex massa sanguinea putrescente; febres autem sanguineæ, & præcipuè synochus, siue cum putredine, siue sine putredine fit ex sanguine non putrescente, sed feruescente tantum, ob id statuendum est synochos esse febres suapte natura salubres, eò quod & virtus est valida, & morbus est mitis, ita vt dictet ratio morbum mitem superari posse à virtute valida. At si quis committatur error ex Galeno nono meth. quarto, & quinto, fieri potest, vt febres hæ lethales euadant, vt synochus non putrida fiat putrida; & putrida fiat pestilens. Præterea aduertendum est synochum sine putredine esse febrem multo salubriorem synocho cum putredine. Si loquamur de synocho putrida, cuius tres sunt species, synochus procedens augendo est periculosior; minus periculosa si eundem seruet tenorem, adhuc minus periculosa, si sit decrescens, ratio huius est quoniam febris est magis tuta, quando excrementum, siue sit vapor, siue ichor, in minori copia regeneratur, quam resoluitur; cuius oppositum dicendum est si febris opposito modo se habeat. Tandem & hoc statuendum est febrem procedentem ex sanguine tenuiori esse salubriorem febre proueniente ex sanguine crassiore. Cum igitur febris hæc sit salubris, modo non fiat error, ob id breuiter de remedijs febrem hanc expellentibus à nobis est agendum.

Curatio. Chyrurgia. Quantum itaquè ad sectionem venæ, si qua febris exigit sectionem venæ eam exigit potissimum synochus; in hac enim adest plenitudo, & ea quidem satis valida, licet validior sit in synocho cum putredine. Plenitudo autem considerari debet ratione non modo vitij, quod actu producitur, sed etiam illius, quod potest excitari; plenitudo enim actu faciens synochum sine putredine, nisi occurratur, potest facere synochum cum putredine. Accedit, quod in hac febre nihil adesse potest, quod reluctetur; nam cũ febris hęc corripiat corpus iuuenile calidum plethoricum, & carnosum, nulli dubium est virtutem esse potius robustam, quam debilem.

Propterea Galen. nono meth. quarto in synocho, non modo sine putredine, sed & in synocho cum putredine sanguinem euacuat per venam sectam, & vsque ad animi deliquium, licet tanta missio sanguinis non placeat Auerroi. **Auerroes cõtra Galenũ.** Immo Auerroes septimo Coll. repræhendit Galenum dicens, non debere nos tantam moliri euacuationem, quoniam natura, quando rectè operañ, nunquam euacuat vsque ad syncopim: Medici autem naturæ imittatores esse debent. **Auerrois error.** Sed errauit Auerroes, eò quod non distinxit defectum animi à syncope; nõ enim decet euacuare vsque ad syncopim, sed licet quidem vsq; ad animi defectum; **Terminus missionis sãguinis in hac febre.** non enim est expectandum, pulsum maximè cadere, hominesquè obmutescere, sed quod mediocriter refrigerentur corpora, & aliqua appareat in pulsu mutatio. **Differentia inter defectum animi & syncopim.** In defectu animi loquuntur homines, aut certè loqui possunt, at in syncope nequaquam, & euacuatio hæc in synocho est maxime salutaris, eo quod tollitur abundantia & tepescit etiam feruor; euacuamus enim, & refrigeramus, quæ duo sunt necessaria in hac febre. Natura etiam tempore crisis, vbi rectè operatur, interdum molitur euacuationem vsue ad animi deliquium, nunquam verò vsquè ad syncopim. Vnde etiam Auicena cognoscens esse per quàm salutare, vt copiosus sanguis educatur dicit,

cit,

cit, si accidat fluxus sanguinis narium, hunc non esse cohibendum, nisi maxima adsit necessitas, nisi silicet homo deducatur non modo ad lipothymiam, sed etiam ad syncopim; Quapropter ille etiam probat magnam sanguinis euacuationem.

Ego tamen, vt ingenuè hac in re meam proferam sententiam, non consulo, vt in synocho siue putrida, siue non putrida fiat sanguinis missio vsquè ad lipothymiam, res enim est nimis periculosa, ex Galeno nono meth. decimo, non possumus.n. esse ita prudentes, vt inhibeamus, si id præstemus, ne succedat etiam syncopis, à qua arcendi omnino sunt ægri. Quare secta vena tangatis pulsum, & cum primum obseruabitis mutationem in eo euidentem ad paruitatem, & inæqualitatem, illico sistatis sanguinis missionem, & hanc potius repetatis: hic enim agitur de vita hominis, & euacuato sanguine in maiori copia, quam par sit, homo versatur in maximo vitæ discrimine, hacq; de de causa non ex toto redarguendus est Auerroes.

Sententia ꝓpria circa sectioné venę.

Quod spectat ad modum, & reliqua, hæc supposita sint ex alibi traditis. Præter tamen rem non erit paucula quædam in medium afferre de tempore, & potissimum, quia ab alijs fortasse non ponderantur hæc Galeni dicta, quorum tamen recta intellectio maximè conducet ad curationem harum febriũ. Galenus itaquè nono meth. quarto, vbi recenset historiam liberi cuiusdam correpti synocho sine putredine, ipsius curationem aggrediens illi tertia die venam aperuit, licet prima die, vel saltem in principio secundæ illius curationem succepisset, & bis in die illum inuiseret: siquè rectè ponderentur dicta ipsius conspicuum erit non seccuisse venam in principio, sed circa medium illius diei, decima silicet hora post secundam diem. Refferens verò curationem serui cuiusdam ait, in principio secundæ diei, prima silicet visitatione, statim illi venam seccuisse. Quæritur ergo, quæ fuerit ratio huius diuersitatis. Non est quod dicatis, id factum fuisse, eo quod esset inter indicantia dissensio, quod fortasse ab aliquibus dici posset, eo quod Galenus loco citato ait, quod cum conuenissent medici, habitus est sermo de venæ sectione, fuit tamen auxilium hoc in aliud tempus dilatum. Vbi propterea non dicit ipsius fuisse sententiam, vt vena seccaretur: quod si fuisset, dubio procul dixisset, in errore fuisse medicos illos, & eius consilium fuisse vt vena seccaretur, & quamprimum, sicuti dicit alibi, vbi solet redarguere alios practicantes. Quare horum dimissa solutione dicamus nos confugiendum esse ad methodũ medendi, cuius virtute omnes possunt difficultates tolli. Sciendum igitur quod tempus agendi desumitur ex præsentia indicantis, & ex absentia impedientis, vnde cum in synocho cum putredine adesset præsentia indicantis, nullumquè adesset impediens iure illico secta fuit vena. Contra verò in synocho sine putredine cum nec adesset vis indicantis, atque præsto esset id, quod aliqua ex parte impedire poterat, optimo iure non statim aperta fuit vena, sed postea, idest non prima, nec secunda, sed tertia die; id autem declaro, & primum considero synochum sine putredine. In plenitudine synochi sine putredine non est tanta vis, quanta est in plenitudine synochi cum putredine, in qua quidem febre feruor est insignior, vt ob id generentur ichores, putrescentes, qui feruor non est in synocho sine putredine. Et ideo hoc aliqua ex parte insinuans Galenus ait, in synocho non putrida posse putredinem excitari, idest synochum absquè putredine posse degenerare in synochum cum putredine prima, secunda, vel tertia die. Vt ex hoc significaret

Modus. Tempus.

Dubitatio. Quorundã solutio confutatur.

Solutio propria. Qñ agẽdum vnde colligatur.

Gal. locus declaratur.

ret non oportere, vt in synocho sine putredine transeamus tertiam diem: nã si perseuerauerit feruor, fiet putrida, nisi occurramus. Vnde cum putredo immineat modo prima, modo secunda, modo tertia die, prout febris est intensior, vel remissior; si remissior sit, nullum est periculum, vt prima, nec secunda die febris non putrida mutetur in putridam, sed potius tertia die. Si verò sit intensior, imminet periculum ne id secunda die eueniat: si sit adhuc intensior, id prima etiam die fieri potest.

Vnde Galenus iure optimo distulit venę sectionem vsque in tertiam diem, propterea quod synochus de qua ibi loquitur, erat febris valde remissa, adeo vt medici in ancipiti versarentur, num esset febris ephemera re, & nomine, an verò synochus. Quare quando accesseritis ad laborantes synocho sine putredine, si febris fuerit remissa, poteritis differre sectionem venæ: sin minus, quam primum venam seccare debetis. Præterea aderat aliquid, quod impedire poterat vnde videatis quęso, quàm assiduè Galen. dirigat oculos ad methodum medendi, non enim ibi loquitur de synocho in genere, nec in specie, sed de indiuidua, idest de illa, qua correptus erat liber illæ, & dicit ad fuisse cruditates, quæ quidem habent rationem antecedentis, vt primum esset occurrendum cruditatibus in ventre existentibus; deinde verò seccanda vena: iure igitur potuit differre sectionem venæ, vsque ad tertiam diem in synocho non putrida. At in synocho putrida aderat præsentia indicantis, & vis quidem insignis, quia febris erat putrida, & iam actu aderat putredo, nec quicquam interdicebat; non enim proponit seruum cruditatibus refertum, & ideo mirum non debet esse, si statim in synocho cum putredine venam aperuit. Omitto nunc cucurbitulas, & id genus alia, quoniam non est, quod eadem in quocunq; morbo repetam.

Quõ sit procedendum ĩ synocho nõ putrida circa tempus secandi venã.

De Cucurbitulis.

Paucis itaquè absoluam medicamenta, quæ non alia esse debent, quam respicientia scopos propositos in superius traditis. Oportet igitur vt medicamenta sint mundificantia sanguinem, attenuantia, crassefacientia, refrigerantia, digerentia, dissoluentia. Hic non reddo rationem, quia patet ex supra traditis in sermone de indicationibus. Quò ad mundificantia probat Auicena vsum, & hunc quidem frequentem cassiæ fistulæ, sed licebit etiã vti manna, syrupo rof. sol. infusione tamarindorum, & huiusmodi alijs vim mundificandi habentibus, citra caliditatem, de quibus aliàs diximus. Quò ad attenuantia, ex Galeno vndecimo meth. nono expedit vti oximelite; sed licet vti etiam syrupo acetoso simplici, emulsione seminum melonum; hæc enim, vt dicit Auicena debent esse attenuantia, simul & extinguentia feruorem, & ideo non debent esse calida, optima itaque erit mulsa aquosa, optimũ quoquè erit medicamentum, si paretur hoc modo, Rec. syr. acet. simplicius ℥. 1. ſ. emulsionis seminum peponum ℥. 1. aquæ hordeaceæ ℥. 11. misce. Si autẽ sanguis sit tenuior, oportet vti incrassantibus; vnde Auicena plurimum laudat iuiubas; iubet enim, vt capiantur centum iuiubæ, & decoquãtur in libris quinque aquæ ad consumptionem tertiarum duarum, deinde vt aliquid sacchari admisceatur, sed quoniam dulcia facile bilescunt, bonum erit illius parum admiscere.

Pharmacia.

Medicaméta

Mundificantia.

Attenuãtia.

Incrassantia.

Præterea vnum proponit Auic. & notatu quidem dignum circa iuiubas, nempè nequaquam illis vti debere, si crassior sit sanguis, propterea quod incrassant. Vnde maxime errant practicantes illi, qui in qualibet pleuritide, in quacunque destillatione in pectus, siue ex materia tenui, siue ex materia

Practicantiũ quorundam error.

crassa,

crassa, quomodocunque vtuntur iuiubis: quamuis sint auxilia pectoralia. Isti inquam, grauissime errant, quia vbi materia est crassa, nequaquam illi vti licet, eò quod, vt diximus, incrassant. Quare expedit vti iuiubus, & syrupis paratis ex rosis, & aliquibus alijs, in quibus aliqua sit incrassandi vis, qualis est vsus symphiti, consolidæ, hæc enim habent vim incrassandi moderatè, & citra caliditatem. Probantur etiam refrigerantia, vt est frigida. Sed aduertendum ex Galeno nono meth. quarto, & quinto, tunc vtendum esse frigida, quādo posthabita est venæ sectio, quam tamen spernere non oportet: nam, vt dicit Galenus in hac febre oportet & euacuare, & refrigerare. Si posthabita fuerit venæ sectio, quæ euacuant, & calefaciunt, calefaciendo nocent: quæ euacuant & refrigerant densando solent obesse ratione copiæ, & ideo in maximo periculo positi sunt febricitantes, quando ipsis non secta est vena: si autem cōtingat ipsam non fuisse sectam, vel medici negligentia, vel ægri inobediētia, tunc maxime expedit vti frigida; eò quod ab hac extinguitur feruor, quo extincto ita roboratur virtus, vt ea occurrat etiam abundantiæ, faciendo euacuationes per sudorem, vel per alias vias. Refrigerātia. Qñ vtendū sit frigida.

De frigidæ autem administratione aliàs abundè diximus; hoc vnum tamē nunc est aduertendum, corpus synocho affectum magis perferre frigidam, q̄ corpus febre ardente detentum: ratio huius est, quoniam corpus synocho laborans est carnosum: gracile verò est corpus illud; quod vexatur à febre ardente, corpora autem carnosa magis tolerant frigidam, quam gracilia. Præterea oportet etiam vti digerentibus ratione ciborum putrescentium, vt digerantur materiæ istæ, & in extimas partes distribuantur in vias decentes, vt ad cutim, & ad vias lotij. Vnde probantur ea, quæ proponit Galenus vndecimo meth. nono, veluti radices apij, petroselini, quæ in aqua decoquantur, quæ si fuerit hordeacea fiet optimum medicamētum digerens, idest distribuens materias in partes ignobiles: vnde licebit etiam vti oximelite ex Galeno loco citato. Postremo sunt dissoluentia materias iam digestas, & sunt ea, quæ proponuntur à Galeno loco citato, veluti balneum aquæ dulcis, inūctiones ex oleo camomellino, de quibus aliàs in primo libro in cura febrium putridarum in generali diximus. Digerentia. Dissoluētia.

Quare sufficiat pauca tantum de victu afferre: Galenus itaque dat mulsam, & ptissanam, in quibus exhibendis hunc ordinem seruat, vt paulò post venæ sectionem det mulsam: deinde paucos ab hinc horis det ptissanam: hoc autē modo progreditur Galenus, quia eum nō latet, post euacuationem sanguinis vsque ad animi deliquium per sectam venam, roborandas esse vires, alimēto tamen exiguo, quia post sectionem venæ non exhiberi debet cibus copiosus, quoniam cum venæ tunc inanitæ nimis auidè alliciant, alimentum crudum sugerent: & ideo Galenus dat paucum cibum, idest mulsam. At quoniam mulsa non sufficiebat ad roborandas vires nimium labefactatas, propter missionem sanguinis vsque ad animi defectum, ideo post concoctam mulsam dat cibum minus tenuem, nempè ptissanam. Auic. autem dicit opus esse post animi defectum exhibere cibum attenuantem, & talem cibum exhibens subdit. *Et ratione syncopis dabis panem cum agresta.* Vnde exhibet modò attenuantia, modò crassefacientia, prębet. n. agrestam, & corpus lentium, in quibus est vis crassefaciendi. Id autem facit Auic. ne recedat à suis fundamentis, cum. n. in indicationibus diximus, quod oportet modò attenuare, modo incrassare, prout sanguis est vel tenuior, vel crassior, propterea Auicena respiciens sanguinem Diæta. Auic. locus declaratur.

guinem tenuiorem dat panem cum agresta: respiciens sanguinem crassiorem dat victum subtilem, idest attenuantem, ratione tenuitatis substantiæ, non autem ratione caliditatis. De vino, & reliquis nihil prorsus dico, quia hæc satis, superquè per se nota sunt, & hęc de febribus sanguineis dicta sufficiant.

DE FEBRIBVS PITVITOSIS, *& primum de quotidianis.*

Continuatio. Ordis ratio cum Auic.

Absoluta febrium biliosarum, atquè sanguinearum tractatione, vnà cum Auic. duce nostro de pituitosis agendum est: quem ordinem fortasse hac de causa seruauit, quia cum primum locutus sit de febribus biliosis, vt potè de febribus igneis, antequam descendat ad febres melancholicas, atquè, vt ita dicam, terrestres, ordinis ratio exigere videtur, vt de febribus pituitosis, vt potè de febribus aqueis pertractat; in hoc autem negotio Auic. more suo nos exercet in triplici parte medicinæ, pathologica, symiotica, & curatrice, & plura etiam constituit capita in hac materia. Nos autem nihil quod necessarium

Ordo proprius.

sit omittentes, ordinem consuetum seruabimus, vt nulla prorsus sit pituitosa febris, quæ à nobis non sit proponenda, vna tantum excepta, nempè febre pituitosa syncopali, de qua in hoc tractatu de febribus pituitosis non agemus: ratio huius est, quoniam cum febris syncopalis sit febris communis, tùm pituitosæ, tum biliosæ etiam febri, in tractatu proprio febris syncopalis, de pituitosa etiam syncopali agemus. In primis itaquè ipsius nomen, deinde definitionem, & tandem reliqua sigilatim explicabimus.

Nomen.

Febris igitur hæc dicitur quotidiana, quia quotidie inuadit: dicitur etiam pituitosa, quia à pituita gignitur. Item est febris putrida causata à pituita pu-

Definitio.

trescente. Quid sit intelligendum per febrem putridam, satis patet ex aliàs traditis, ita vt sufficiat explicare quid intelligendum sit per pituitam putre-

Pituita duplex.

scentem. Pro huius itaquè intelligentia sciendum, quòd pituita est duplex, alimentalis videlicet, & excrementitia, per pituitam alimentalem intelligimus succum in venis, vnà cum reliquis tribus succis, existentem: quæ sanè pituita alimentalis, si conferatur cum alijs succis, est frigida & humida; quo fit, vt corporis partes frigidæ, & humidæ tali succo alantur: & nec solum id præstat huiusmodi succus, vt silicet alat frigidas, humidasquè corporis partes, sed etiam penuria sanguinis verti potest in succum sanguineum, quo partes nutriri possunt. Hæc quoquè pituita alimentalis potest dupliciter consi-

Pituita alimentalis dupliciter considerat.

derari, vno modo quatenus putrescit sub forma propria, altero, quatenus degenerat à forma propria adeo, vt non possit amplius esse alimentum corporis. Si putrescat sub forma propria, tunc nihil aliud est, quam pituita dulcis, vel potius subdulcis: voco pituitam potius subdulcem, quam dulcem, eò qđ si pituita conferatur cum succo sanguineo, succus iste propriè est dulcis & naturæ magis familiaris, licet autem pituita alimentalis sit etiam dulcis; alimētum enim dulce est, subdulcis tamen dicitur potius, quia non est ita dulcis, vt sanguis, atquè ex hac fit febris pituitosa continua, quę etiam erit pituitosa exquisita, non tamen exactè, & potest etiam esse febris illa, quæ ab Auicena vocatur latica, seu latens. Hæc igitur pituita subdulcis alimentalis, quatenus putrescit sub forma propria facit febrem pituitosam continua exquisitam, non exactè tamen.

Si verò aliunde eueniat, vt putrescat pituita alimentalis non sub forma propria, sed excrementitia euadat, vt non possit amplius alere ratione causę, vel calefacientis, vel refrigerantis, tunc si consideremus causam calefacientem, hoc fit quando pituita dulcis alimentalis salsa fit, salsa enim fieri non potest, nisi ratione causæ calefacientis.

Per causam calefacientem non intelligatis bilem permistam: nam licet bilis, vbi misceatur cum pituita, agens in pituitam calefaciendo eam ex dulci salsam reddat; ex hac tamen non fit febris pituitosa exquisita, sed notha, de qua in præsentia non loquimur, loquimur enim de febre quotidiana exquisita, quæ fit à sola pituita. Animaduertendum tamen, quando miscetur pituita dulcis cum bile, ita vt salsa euadat, febrem ab ipsa productam esse notham, modo pituitosam, modo biliosam, pituitosam quidem, si pituita; biliosam verò si bilis excedat, de quarum neutra loquimur. Pituita igitur redditur salsa ratione causæ calefacientis, quæ quidem potest esse materia, potest etiam esse simplex intemperies, ex Galeno secundo de differentijs febrium sexto, vbi vult pituitam fieri salsam, vel ob putredinem, vel ob permistionem salsæ serosæ humiditatis; quando enim salsa serosa humiditas miscetur cum pituita dulci, facile est totam massam salsam fieri, ita vt non percipiatur dulcedo, sed salsedo; sapor enim ille, vehementer admodum sensum ferit, & pauca salsedo potest copiosam materiam dulcem, salsam efficere. Hoc fit etiam citra mistionem huius salsæ serosæ humiditatis; hoc est ratione putredinis, idest caloris agentis in pituitam dulcem; quando enim validus calor agit in pituitam dulcem, secundum aliquam partem tantum illam exurit; secundum quam partem salsa etiam euadit. Vnde non credatis vniuersas materias esse putridas, sed secundum aliquam tantum partem; quæ pars salsa reddita, est in causa, vt tota illa materia fiat salsa, quæ quidem materia est calida, & sicca potestate; habetquè vim calefaciendi, & siccandi ex Alexandro. Neque credatis Alexandrum aduersari Galeno, vt quidam volunt, qui putãt Galenum velle, pituitam salsam esse frigidam, & humidam, adducti non ratione, nequè rei natura, sed verbis ipsius, qui secundo de diff. feb. sexto secundum istos videtur asserere, omnem pituitam esse frigidam, & humidam. Sed quòd hoc sit falsum, & verum quod nos dicebamus patet, quoniam idem Gal. loco citato proponens dulcem pituitam, dicit eam non esse exquisitè frigidam, eam aliqua ex parte calidam esse significans; si igitur hoc proponit Gal. de pituita dulci, quid sentiendum est de salsa, quę est calidior dulci? si dulcis non est exquisitè frigida, multo minus exquisitè frigida erit salsa. Ratione igitur causæ calefacientis pituita alimentalis degenerare potest in salsam, ex qua fiunt febres pituitosæ exquisitæ, nothæquè, quod rectè intelligatis; nunc enim sermo est de pituita salsa citra mistionem alterius humoris; vnde statui potest febris hæc exquisita, quoniam fit à syncero humore, notha verò, quoniam pituitosa febris fieri debet à frigido humore; sed cum hæc fiat à calido, pituita.n. salsa est calida, ideo potest vocari notha. Vnde etiam causus ex pituita salsa dicitur nothus, licet non fiat ex mistione bilis cum pituita. Atquè febris hæc ad differentiam illius, quæ fit à pituita alimentali, vt putrescit sub forma propria, potest esse & continua, & intermittens, sicuti febris, quæ fit ab alimentali pituita, prout alimentalis est, dicitur tantum continua. Quod si pituita alimentalis degeneret à propria forma ad frigiditatem fit acida, & hæc est duplex, vel acida tantum, vel acida & vitrea simul; inter has enim est differentia:

Causæ pituitæ salsæ.

Contra quosdam de pituita salsa.

Pituita acida est duplex.

ferentia: nam licet vtraquè fiat à causa refrigerante, acida tamen quæ vitrea dicitur, fit à causa magis refrigerante, vt non modo refrigeret pituitam, acidamquè reddat, sed etiam iusto crassiorem faciat, vt proinde acquirat consistentiam viro similem: propter quam similitudinem à Praxagora vocata fuit vitrea, ex quibus quidem materiebus fiunt febres pituitosæ, atquè ex pituita acida fieri potest febris epiala, quæ fit etiam ex vitrea. At licet vtraquè febris statuenda sit epiala exquisita, cum vtraque fit à syncera pituita, ad differentiam epialæ spuriæ, quæ fit à bile mista cum pituita acida, tamen quæ fit ex acida, & vitrea simul statuenda est epiala exquisita exactè. Si verò fiat ex pituita acida tantum, dicitur epiala exquisita non exactè. Non proposui pituitam gypseam, licet reperiatur, eò quod nunc fit sermo de pituita quæ potest febrem accendere, sed pituita gypsea est adeo crassa, terestrisquè, vt non possit ita accendi, & putrescere, vt vi ipsius excitetur febris. Hæ igitur sunt febres, quæ possunt produci ex pituita alimentali, quæ in ventriculo gignitur.

Epiala vnde fiat.

Epiala exquisita duplex.

Cur omissa sit pituita gypsea.

Si autem sermo fiat de pituita excrementitia propriè dicta, hæc in ventriculo generatur, dico propriè, ad differentiam pituitę illius, quæ dicitur succus, seu materia succosa, quæ generatur in cerebro, & est excrementitia, immo est excrementum tertiæ coctionis, & crassum; in qualibet enim coctione duo sunt excrementa vnum tenue, alterum crassum. Hæc autem excrementitia materia est, vel naturalis, vel præter naturam, naturalis est pituita, quæ potius vocari debet insipida, quam dulcis, Hanc vocat Auicena insipidam: Galenus verò & reliqui dulcem appellant. Vnde aduertendum dari pituitam dulcem, acidam, & salsam ex Galeno secundo de differentijs feb. 6. qui quidem nec diminutus, nec discors est à reliquis.

Materia excrementitia est duplex.

Pituita insipida & dulcis sunt idē.

Pituita triplex.

Nec obstat, licèt detur etiam pituita vitrea, & insipida quia vitrea reducitur ad acidam, cum acidum habeat saporem; in primis enim pituita fit acida tantum, deinde vitrea, dicitur autem vitrea non ratione saporis, sed substantiæ. Insipida verò reducitur ad dulcem, dicitur autem insipida respectu alimentalis, insipida enim est pituita non alimentalis, sed excrementitia naturalis, quæ si conferatur cum alimentali, dicitur insipida, quoniam alimentum est dulce, nil enim nutrit, nisi dulce, & ideo bilis etiam alimentalis est dulcis. Quare cum ea sit excrementitia, si comparetur cum alimentali, alimentalis dicitur dulcis, hęc verò insipida. At si conferatur hæc excrementitia naturalis cum pituita excrementitia præter naturam, potest vocari dulcis respectu salsæ & acidæ, & ideo modo dulcis modo insipida dicitur. Quare Galenus & reliqui rectè statuere, pituitam dulcem, salsam, & acidam.

Bilis alimētalis est dulcis.

Ad rem igitur redeuntes, si consideremus pituitam hanc excrementitiam naturalem, siue insipida, siue dulcis vocetur, ex hac fiunt febres pituitosæ exquisitæ: immò exquisitæ exactè; nulla enim datur febris exquisitissima, nisi ea, quæ producitur à pituita excrementitia naturali, & de hac loquitur Galenus primo ad Glauc. cap. de cura quotidianæ exquisitæ. Hæc quæso memoria retineatis, ex his enim sponte sua innumeræ corruent difficultates, intelligetisquè etiam Galenum ab Alexandro non fuisse rectè intellectū. Sed dicet aliquis; hoc videtur voluntariū; quia nonnè posset aliquis etiam asserere febrem pituitosam exquisitissimam produci à pituita salsa, acida, vitrea, & dulci? quæ maior ratio est illius, quam harum. Pro solutione huius

Dubitatio.

huius dubitationis oportet declarare Galenum per eundem Galenum; nam Galenus vbi locutus est de febre biliosa exquisita, & exquisita exactè, ipsam voluit fieri ex bile, non quacunque, sed à flaua excrementitia, & naturali; ex naturæ enim legibus factum est, vt flaua bilis excrementitia produceretur, aliter enim massa sanguinea non esset expiata. Et ideo vt tertiana producitur ex bile excrementitia naturali; ita etiam pituitosa producitur à pituita excrementitia naturali, & proinde à pituita vel dulci, vel insipida, quæ in ventriculo generatur, Vnde si contingat fieri febrem ex pituita naturali insipida, siuè dulci, quæ gignitur in cerebro, hæc non erit febris pituitosa exquisitissima, exquisita quidem erit, non tamen exactè, & hæc dicitur febris pituitosa cattarrhalis.

Solutio.

Si autem pituita putrescens sit excrementitia, sed præter naturam, hæc potest esse salsa, acida, & vitrea; pituita enim salsa, & acida non solum possunt gigni ex pituita non naturali tantum, sed etiam ex excrementitia, & ex his fiũt febres pituitosæ exquisitæ, non tamen exactè. Hinc fit, quòd quemadmodũ materiæ hę pituitosæ sunt inuicem differentes, ita etiam necessarium sit statuere, febrem hanc, à varijs causis produci posse, à calefaciẽtibus videlicet & refrigerantibus; à calefacientibus quidem ratione febris, quæ fit à salsa pituita, sed de his causis satis egimus in sermone de causis febrium biliosarum; à refrigerantibus verò ratione pituitæ acidæ, vitreæ, & insipidæ, immò etiã subdulcis, de quibus causis egit Galenus secundo de diff. feb. primo & quarto. Vnde verbi gratia in frigido temperamento oriuntur hę febres, & ob id vigere solent in ætate senili, in aere frigido, & potissimum hyeme, eam etiam gignit similis victus ratio, vt cibi frigidi, & humidi, & potus frigidæ, immodica etiam quies & animi, & corporis, & abusus medicamentorum refrigerãtium, & humectantium. Sed aduertendum pro curatione, quòd licèt febres hæ fiant à causis frigidis, inter has tamen est differentia; eo quod occurrunt causæ modo magis, modo minus frigidæ: verbi gratia, si febris fiat ex pituita insipida, causę refrigerantes sunt remissiores; si fiat ex acida, sunt intensiores, si fiat ex vitrea, sunt intensissimæ, vt ex his facillimum sit colligere pituitosas febres fieri ex pituita vel dulci, vel salsa, vel acida.

Febres pituitosæ à causis frigidis, & calidis produci possunt.

Atquè ex traditis facilè etiam colligi potest, differentiam esse inter has febres, ratione, non modo materiæ, verum etiam loci; locus enim est pro necessitate considerantis; quoniam materia gignitur, vel in ventriculo, vel in capite. Dicit autem Galenus primo ad Glauc. quinto, raro accidere febrem pituitosam fieri citra noxam ventriculi, febres enim pituitosæ fiunt vt plurimum affecto ventriculo. Dicit, *vt plurimum*, quia non tantum possunt fieri febres pituitosæ, eò quod producatur copiosa pituita ob intemperiem ventriculi, sed ob pituitosos cibos copiosiores; fieri nanque possunt febres hæ ventriculo benè se habente, & vitio in obiecto existente. Præterea, quia fiunt etiam interdum febres hæ non affecto ventriculo, sed capite, & dicuntur febres pituitosæ catarrhales, in quibus primum capiti est occurrendum. Differentię pituitosæ febris, quæ desumuntur à loco, sunt multiplices, prout multipliciter etiam locus considerari debet. Hic tripliciter autem perpendi potest, primũ quidem pro vt materia vel in hoc, vel in illo loco generatur. Vnde si generatur in ventriculo, fit febris, quæ dicitur pituitosa, si gignatur in capite, fit febris quæ dicitur catarrhalis. Secundo autem prout materia putrescit, vel in venis, vel extra venas: vnde fiunt febres & continuæ, & intermittentes pituitosæ,

Pituitosarũ febrium differentię desumuntur à materia & à loco.
Differentiæ à materia.
Gal. locus declaratur.

Differentiæ à loco.
Locus tripliciter põt considerari.

tosæ. Animaduertendum autem quo ad continuas febres, has, si fiant ex materia putrescente in venis paruis, vocari febres laticas, siue latentes, & potissimum si fiant ex pituita dulci, si verò putrescat in venis magnis, dici causos pituitosos nothos.

Cur quotidianæ intermittentes nō habeant interuallū ita purum vt tertianæ & quartanæ.

Quod attinet ad intermittentes, cum Auicena, & Alexandro aduertendū etiam, quòd hæ, licet sint intermittentes, & prodeant ex materia putrescente extra venas, non habent tamen interuallum ita purum, vt febres biliosæ, & melancholicæ, propterea quod materia pituitosa est non modo crassa, sed etiā summæ viscida, ita vt non possit nisi maxima cum difficultate resolui: quare febris hæc non desinit ad exquisitam integritatem. Tertio consideratur locus prout affligitur ratione materiæ pituitosæ: quæ quidem affectio est, aut similis, aut dissimilis, per affectionem similem intelligimus, quando corporis partes caliditate afficiuntur æquali, ita vt non sit asserendum, vnam esse calidam, aliam esse frigidam, sed omnes partes simili affectione vexantur, & hæ similiter febres vocantur pituitosæ. Quod si contingat partes non æqualiter affici, sed vnam caliditate, aliam frigiditate, tunc febres hæ non similiter pituitosæ dicuntur, sed varijs donantur nominibus. Nam vt colligitur ex Auicena in hac dissimilitudine fieri potest, quod vel frigus intus affligat, & foris calor, vel contra calor intus, frigus foris vexet, si contingat, frigus intus, foris calorem affligere, febris hæc est quidem pituitosa, sed dicitur epiala. At si calor intus, frigus foris percipiatur, febris hæc pituitosa quidem est, sed dicitur lypiria.

Affectio loci ratione materiæ duplex.

Epiala triplex.

Quo ad epialam aduertendum, hanc esse triplicem, ex Galeno secundo de diff. feb. sexto, & lib. de inæq. intemp. cap. octauo, fit enim epiala quædam ex acida pituita tantum, quædam autem ex acida, & vitrea; quædam verò ex acida mista cum bile, sed epialæ priores sunt exquisitæ; postrema verò est notha. At iure dicet quisquam, controuersiam aliquam esse inter Galenum, & Auicenam, nam Galenus loco citato, & præcipue lib. de inæq. inté. cap. 8. dicit in epiala febricitantes eadem in parte percipere & calorem, & frigus. Auicena verò videtur dicere, in diuersis partibus: in internis silicet frigus, in externis vero calorem. Sed nulla quidem est inter tantos viros controuersia, si eorum auctoritates rectè percipiantur: dicimus igitur quod cum impossibile sit vt eodem tempore eadem in parte percipiatur calor, & frigus; duo.n. contraria simul se non compatiuntur eodem tempore, & in eadem parte, propterea per eandem partem Galenus intelligit totam partem organicam, verbi gratia artus, seu crura, non tamen eandem partem partis; in cruribus nāquè epiala laborantes eodem tempore percipiunt calorem, & frigus, non tamen in eadem parte cruris. Verum cum Auicena intus percipitur frigus, foris vero calor, ratio huius est, quoniam, sicuti etiam dicit Galenus, frigus persentitur ratione pituitæ nondum putrescentis: calor verò affligit ratione portionis illius putrescentis, quæ est portio tenuior pituitæ, à qua prodeunt vapores putres, qui petentes circunferentiā, & extimas corporis partes, fit, vt sentiatur calor in parte extima cutis, & frigus in parte intima eiusdem,

Controuersia inter Galenum & Auicenam.

Conciliatio.

Gal. locus declaratur.

Cur in epiala intus frigus foris vero calor percipiatur.

Lypiria est multiplex & cur in ipsa exteriora frigeant interiora vrātur. Prima causa. Secunda.

Quò ad lypiriam pituitosam, hæc ex Auicena est multiplex; nam cum fiat, quando in internis calor, in externis frigus percipitur, hoc euenit primum, quia cum pituita putrescat in internis partibus non eminuntur vapores in partes extimas, & ideo frigescunt. Secundo quia in pituita putrescente insignis est putredo, vt internæ partes plurimum affligantur, quo fit, vt calor ad

ipsas

ipsas reuocetur, vnà cum spiritu & sanguine, vnde exteriora calore priuata refrigerantur, atquè febris hæc maximè accedit ad febrem pituitosam syncopalem. Tertiò, quoniam à pituita putrescente in internis partibus, antequam incipiat putrescere, vel etiam in principio putredinis, prodeunt vapores petentes exteriora, qui cum ex Auicena non sint vehemẽter, sed parũ calidi, & potius temperati, cum petunt exteriores partes, caliditatem illam amittunt, sicuti euenit etiam calenti aquæ, quæ licèt calida sit, aliquo tamen temporis interuallo refrigeratur, quod etiam contingit vaporibus istis pituitosis, vnde cùm recedunt à suo fonte, nimirum à pituita illa calente in interioribus, refrigerantur: atq; ita in exterioribus febricitantes persentiunt non calorem, sed potius frigiditatis sensum. Tertia.

Quo ad cognitionem, & primum si sermo fiat de signis indicantibus febrẽ pituitosam in genere, idest febrem pituitosam distinctam à biliosis, & reliquis febribus, quantum licet colligere ex Galeno secundo de Cris. 3. & 5. & secundo de diff. feb. quarto. Item primo ad Glauc. quinto; atque etiam ex Auicena in tractatu proprio, signa hæc dessumenda sunt potissimum ex actione læsa, ex exeunte mutato, & ex qualitate mutata. De signis.

Quantum ad actionem læsam, indicatur febris hæc ex propensione ad sõnum, sunt enim febricitantes valde procliues ad dormiendum ratione pituitæ, & potissimum non salsæ, attamen non sufficit vnicum signum, quia licet febricitantes vigilent, non tamen ob id dicendum est febrem non esse pituitosam; talis enim vigilia potest prouenire ex pituita salsa. Præterea indicatur etiam ex non multa siti, hæc enim est remissa, propterea quod pituita est frigida & humida, dummodo tamen (vt bene monet Auicena) non sit vel salsa, vel vehementer putrida; nam vbi est vehementer putrida, tunc calor etiam in ipsa existens est insignis, ita vt possit esse in causa intensæ sitis. Amplius indicatur etiam ex pulsu, hic enim est rarus, tardus, paruus, inæqualisquè, & hoc quia febris fit à materia pituitosa, quæ cum sit frigida, & humida, in hac febre non adest ea euentandi caloris necessitas, quæ adest in reliquis febrib⁹; & ideo nec frequens, nec velox est pulsus. Sed rectè intelligendi sunt authores; non enim credendum, est pulsum in febribus pituitosis esse absolutè, vel tardum, vel rarum, quia cum pulsus indicans febrem in genere sit pulsus velox, & frequens, & in omni febre sit pulsus, vt ita dicam, genericus, ideo talis etiam erit in febre pituitosa. Ab actione læsa.

Per pulsum igitur tardum, & rarum ab Auicena propositum intelligere oportet, minus velocem, & minus frequentem, quam in reliquis febribus: & hoc quidem, quia in hac non adest tanta euentandi caloris necessitas, quanta in alijs, vt supra dictum est. Insuper indicatur etiam ex pulsu paruo, non tamen absolutè paruo, quia vbi pulsus est absolute paruus, virtus etiam ipsa debilis est, ita vt non liceat venam seccare, quod tamen in hac febre facere licet. Quare per paruum intelligatis non ita magnum, vt in alijs febribus; ratio huius est, quoniam cum materia pituitosa sit frigida, & humida, virtus non potest esse ita robusta, vt possit arteriam in omnes dimensiones attollere, præterea cum sit materia viscida, ipsius visciditas impedit, quo minus corp⁹ arteriæ, quantum opus esset, dilatari possit. Præterea indicatur etiam ex pulsu inæquali; talis autem est, quoniam materia pituitosa non est vniformis, sed vna pars est magis, alia verò minus viscida, alia etiam magis, alia minus crassa, & potissimum propter sui visciditatem potest adhærere arterijs; vnde necesse Auic. locus declaratur.

Ab exeunte mutato.

cesse est pulsum fierit inæqualem. Indicatur insuper ab exeunte mutato, vt ex vomitu pituitæ, ex lotio primum tenui, deinde crasso albicante, atque interdum rubido, ex Galeno, & Auicena loco citato: Nec præter rationem lotium obseruatur tale in his febribus, & primum tenue: eò quod in principio materia pituitosa non excernitur, sed detinetur, cum autem deinde attenuetur, expurgeturque, ideo lotium tenue crassescit, albicansquè apparet ob copiam pituitæ.

Cur in feb. pituitosis lotium quãdoque sit rubicundum.

Lotium autem apparet aliquando rubicundum; quoniam in febribus pituitosis interdum, ob earum diuturnitatem, languet iecoris sanguificatrix facultas, calorquè ipsius adeo hebetatus, vt non possit sanguinem à parte serosa penitus secernere. Vnde cum sanguis non separetur, sed mistus cum lotio excernatur est in causa, vt lotium rubescat. Denuo indicatur ex qualitate mutata, idest ex calore mordaci, fumoso remisso, & inæquali, qui proponitur ab Auicena pro inditio huius febris. Nec admodum difficile est causam huius reddere, nam calor apparet mordax, eò quod putrescit pituita, vbi autem est putredo, ibi etiam est caloris acrimonia, licet hæc magis, ac magis appareat, prout diutius detinetur manus in parte tacta; ratione enim visciditatis huius materiæ calor non vincitur à manu, sed ipse vincit manum. Hic prætera calor est fumosus, quod addit Auicena ad differentiam caloris mordacis flammei, qui quidem emanat ex biliosa materia, illa enim iurè potest cum aridis conferri lignis, pituitosa verò cum viridibus, & quemadmodum ex aridis celerrimè emergit flamma, primum tamen apparet etiam fumus, ex viridibus verò antequam exardescant, prorumpit potius fumus, non autẽ flamma, ita ex pituita putrescente instar lignorum viridium prorumpit caliditas fumosa; quæ remissa est, quia pituita, licèt accendatur, non potest tamen ita accendi, quemadmodum bilis, & sanguis. Postremò inæqualis est hæc caliditas, nec seruat eundem statum, quoniam cum pituitosa materia habeat partes & viscidiores, & minus viscidas, & ideo non possit æqualiter putrescere. propterea sequitur caliditatem illam non esse æqualem, sed inæqualem. Quibus inditijs addi possunt temperatura frigida, ætas, aer, victus ratio pituitosa, ex quibus iunctis cum superioribus facilè licebit colligere, febrem adesse pituitosam.

A qualitate mutata.

Ab internis & externis.

Signa differẽtiarum.

Verum cognoscendæ sunt etiam differentiæ, quæ desumuntur & à materia & à loco. Quo ad materiam oportet cognoscere an febris oriatur ex pituita dulci, an ex salsa, an ex acida, an ex vitrea: Id autem cognoscetis ex eo, q, febris vel erit continua, vel intermittens, si sit continua, & sit à pituita salsa aderit sitis insignis, salsedo oris: si verò fiat à pituita dulci, siuè acida, siue vitrea, calor mitior erit neque aderit feruor illæ nec salsedo oris neque sitis; & hoc potissimum si febris fiat à pituita in venis putrescente. Vtrum autem fiat febris à pituita dulci, an ab acida, facilè cognoscetis, quoniam si fiat ex pituita dulci, erit febris latica de cuius signis suo loco agemus; causæquè precedentes sunt remissiores. Contra verò sunt admodum intensæ, si fiat ex acida pituita, & percipitur sapor non dulcis, sed acidus potius, si acida redundet pituita.

At si febris fuerit intermittens, cognoscetis, quoniam si fiat ex salsa pituita, accessio incipiet cum horrore, si fiat ex pituita dulci, inuadet cum refrigeratione, si ex pituita acida, *initium habebit cum rigore*. Ratio autem huius diuersitatis est, quoniam si in primis peccet pituita dulcis, cum hæc non sit mor-

dax, ob remissam eius frigiditatem, ob quam a d intemperiem aliquam vergere videtur, non potest rigor fieri, nec horror, sed solus frigiditatis sensus.

Si autem salsa peccauerit ob eius mordacitatem fiet horror, & si acida putrescat fiet rigor, quoniam acida pituita (dicant alij quicquid velint) est mordacior salsa. Quod dictum licet prima fronte videatur erroneum, verissimum tamen est, & veritas pendet ex concepta natura vtriusq; materiæ: nam cum pituita salsa fiat vel ex pituita dulci, quæ putrescit secundum aliquam portionem tantum, vel ex mistione cum dulci pituita salsæ serosæ humiditatis: Acida vero, illius comparatione, sit intensè frigida, & frigidum ex Hipp. fit mordax: propterea salsa tantam non habet mordacitatem, quanta in acida reperitur, Quare ratione pituitæ acidæ fiet rigor: ratione autem salsæ fiet horror idest mediū quoddam inter rigorem, & frigus: id autem fit quoniam, cum (vt diximus) salsa pituita fiat ex dulci secundum aliquam tantum partem putrescente, ratione portionis dulcis oporteret fieri frigus: ratione verò portionis putrescentis mordacis deberet fieri rigor, attamen hic non potest excitari propter dulcis pituitæ portionem, quæ eum fieri prohibet; nec potest causari frigus, quia prohibetur à portione putrescente: propterea excitatur medium quoddam inter frigus & rigorem, idest horror. Quare ex horrore indicatur febris pituitosa ex salsa pituita. Pituita acida est mordacior salsa.

Animaduertendum autem circa febrem continuam, vt distinguatis febrē continuam pituitosam laticam à febre hectica, illam verò ex traditis facilè cognoscetis, quoniam per interuallum decem, & octo horrarum pulsus videtur esse frequentior, & euidentius indicare dispositionem febrilem; per sex horas autem obseruabitur tepor; dicit enim Auicena per horas sex remittetur febris: quod non obseruabitis in febre hectica, in qua semper eodem modo se habebit febris, præterquàm ab assumpto cibo. Ad hæc cutis etiam erit mollis; & subtumens in febre latica, quod nequaquam obseruabitur in hectica. Præterea cognoscendum etiam est, num febris pituitosa sit simpliciter pituitosa, an potius epiala, vel lypiria, quod facile cognoscetis ex relatu ęgri: nam si æger eodem tempore percipiet & calorem, & frigus, febris nō erit simpliciter pituitosa: Sed si calor intus, frigus foris sentiatur, est febris lypiria, si verò oppositum contingat dicatis hanc esse febrem epialam.

Verum aduertenda sunt quædam circa epialam, & primum quod Auicena vult febrem hanc indicari ex periodo quotidiana: monet tamen hoc non esse perpetuum, quia interdum periodus est triduana, vel quatriduana, inquit enim fieri posse, quod pituita ob sui crassitiem, & paucitatem periodos habeat non quotidie, sed aliquando de tertia in tertiam & nōnunquam de quarta in quartam. Quod si superficietenus tantum intelligatur, aduersari videt his, quæ à nobis aliàs proposita fuerunt in materia periodicationis ex mente Galeni & Auicenę; ex his enim inferri posse videtur febrem hanc non esse epialam neque pituitosam. Verum pro huius rei recta intellectione dico, sicuti etiam ibi dixi, causam periodicationis febrium esse humoris naturam, atq; proprietatem non copiam, nec crassitiem, licet ad ipsam requiratur non modo proprietas, sed etiam debita quantitas; sicut enim magnes nunquam attrahet ferrem, nisi sit in debita quantitate, ita etiam dicendum est prorsus de pituita, nam quando est in conuenienti quantitate, facit periodos quotidie. At si sit pauca, & etiam crassior quam natura sua esse solet, quod in epiala cōtingit, tunc non potest causare periodum quotidie, quia defficit quantitas, & ideo

Auic. locus declaratur. Causa periodi febrium. Quæ sint necessaria ad periodicationem.

ideo cum ipsa in spatio vnius diei non regeneretur in tanta quantitate, vt nouam possit accessionem promouere, non fit accessio quotidie, sed aut tertia, aut quarta quaque die. Quare Auicena rectè dicit, in epiala pituitosa periodos interdum esse de tertia in tertiam, interdum de quarta in quartam ob paucitatem, crassitiemquè materiæ.

Postremò aduertendum circa epialam, quòd cum ipsa fieri possit ex pituita acida, vitreaquè, & ex bile mista cum pituita, oportet cognoscere, quæ epiala à qua causa producatur, & quo modo febres hæ inuicem distinguãtur, Si igitur epiala fiat ex pituita acida non vitrea, percipietur rigor intensior frigore; contra verò si fiat ex vitrea, frigus erit intensius rigore. Huius discriminis causa est, quòd sicuti acida pituita est minus crassa, quam vitrea, vitrea enim est crassior; acida verò est tenuior; ita etiam pituita acida est minus frigida, quã vitrea; Cum igitur acida pituita sit minus frigida, & magis tenuis, ratione tenuitatis fit, vt rigor fiat intensior, eò quod maiori cum impetu agitatur; frigus verò fit remissius. Cũ autem pituita vitrea sit frigidior, & crassior; ob id frigus est intensius, rigor verò est magis remissus, quoniam pituita crassior non potest summo cum impetu commoueri. Quod si procedat epiala ex pituita mista cum bile, obseruabitur rigor ad differentiam epialæ exquisitæ; qui quidem rigor erit cum sensu punctionis, non autem frigiditatis, sicuti fit in exquisita, & hoc euenit ratione bilis, quæ calida est.

Indicationes. Quantum ad indicationes communibus posthabitis, liceat nobis indicationes tantum peculiares proponere, quæ respiciant pituitosam materiam; quando ratione huius febris hæc à reliquis distinguatur. Oportet igitur considerare materiam pituitosam, & quæ iam genita est, & quæ potest adhuc gigni. Si consideremus materiam genitam, oportet ipsam putridam eradicare; quoniam tamen hæc non cedit euacuantibus, ideo prius debet præparari: præparatio autem hæc in hoc consistit, quòd, quoniam omnis pituita est crassa, ac viscida, ideo oritur indicatio eam attenuandi, & abstergendi. Quoniam autem differentia est inter materias pituitosas, dulcis enim, acida, & vitrea sunt potius frigidæ, & humidæ; salsa verò est potius calida, & sicca; ob id sicuti ratione salsæ pituitæ oritur indicatio refrigerandi, atquè etiam aliqua ex parte humectandi; ita ratione aliarum materierum oritur indicatio calefaciendi & siccandi. Differentia autem est inter ipsas secundum magis, & minus, ita vt moderatè sit calefaciendum ratione pituitæ dulcis; magis autẽ ratione acidæ; maximè verò ratione vitreæ. Si consideremus materiam prout regenerari potest, quoniam hæc regeneratur potissimum vitio ventriculi, vel capitis, ob id oritur indicatio roborandi has partes, & alterandi, idest modo refrigerandi, modo calefaciendi: refrigerandi quidem ratione pituitæ salsæ, quæ producitur ab intemperie calida: calefaciendi verò, & siccandi ratione pituitæ dulcis, acidæ, & vitreæ, quæ procreantur ab intemperie frigida. Omitto partes esse roborandas, deinde etiam purgandas, & vniuersi corporis prouidentiam habendam esse, quoniam hæc sunt supponenda.

Prognosticũ. Inquiramus itaque an possimus his indicationibus satisfacere: si consideremus materiam vimquè pituitosæ febris, hęc ex propria sui natura nec salubris est, nec insalubris, vt interdum liceat, interdum non liceat his indicationibus satisfacere, & ob id oportet cognoscere quęnam pituitosa febris sit, & facilioris & difficilioris curationis, quę cognitio desumi debet ex differentijs, vt consideremus non vires, sed naturam febrium, oportet perpendere

differen-

differentias & à materia, & à loco: à materia, si oriatur febris ex pituita dulci, hæc est magis salubris, faciliusquè tollitur, difficilius autem, si ex acida, multo verò difficilius, si ex vitrea fiat, satis etiam periculosa est febris, quę fit ex pituita salsa. A loco, constat febrem continuam esse periculosiorem intermittente.

Quò ad intermittentem febrem pituitosam; de hac non ita dicendum est, quemadmodum dictum fuit de febre biliosa intermittente, hæc enim periculo vacat quia habet interuallum longum, syncerum, & exquisitum, at febres pituitosæ intermittentes habent interuallum breue, & illud quidem satis immundum, & maximè obscurum, & ideo febres hæ non sunt ita tutæ, vti biliosæ, immò, vt plurimum sunt periculosæ, dico vt plurimum, quia ex Auicena cap. proprio febris pituitosa interdum producitur à benigna, & pauca pituita, vt ob id febris sit valdè breuis, sed hæc est rarissima.

Vnde his suppositis accendamus ad medica præsidia, & primum ad sectionem venæ. Quod itaquè pertinet ad sectionem venæ, de hac Galenus primo ad Glauc. cap. de cura quotidianæ ne verbum quidem facit. Causa huius est quoniam ipsæ in cura quotidianæ intermittentis non admittebat venæ sectionem. Auicena verò cap. de cura quotidianæ intermittentis admittit venæ sectionem dicens, *Si rubedo fuerit in vrina, licet venam secare*, Quid ergo agendum? Est nè contradictio inter Galenum & Auicenam? nequaquam, Galenus enim respexit febrem quotidianam, in qua nulla ex parte locum habet plenitudo siuè exquisita, siuè notha, siuè communis, siuè determinata, vnde quando nulla adest plenitudo, nullo modo secari debet vena. At Auicena admittit venæ sectionem, quia loquitur de febre pituitosa, in qua adest plenitudo, ex qua indicatur venæ sectio; vt aliàs abundè probatum est. Ne autem dicta hæc videantur voluntaria, ostendamus Galenum locutum esse de febre quotidiana, in qua nulla adest plenitudo. Galenus, itaq; in primo ad Glauc. vbi profitetur doctrinam quandam compendiosam, cum loquatur de febribus biliosis exactè exquisitis, loqui etiam debuit de febre quotidiana exquisita exactè; non enim debet esse diuersa ratio, loquitur ergo de quotidiana exactè exquisita, in qua nulla adesse potest plenitudo, & in qua ita redundat pituita excrementitia, quæ est frigida, & humida, sicuti in tertiana exactè exquisita exuberat bilis. Vt enim fiat febris pituitosa exactè exquisita necesse est, vt corpus sit frigidum, & humidum, ambiésquè sit frigidum omnibus modis, idest secundum tempus anni, constitutionem, & regionem; & præcesserit victus ratio pituitosa, ex quibus omnibus conspicuum esse arbitror in hac febre desiderari plenitudinem. Non potest igitur adesse plenitudo in febre illa, de qua loquitur Galenus, & ob id nihil prorsus dicit de venæ sectione, non quia ipse loquatur ibi, (vt dicunt isti) compendiosè: id enim est à veritate alienũ, quia cum Galenus modo proponat, modo non proponat venæ sectionem; ideo eam ibi non proposuit, vt significaret, nequaquam secandam esse venã. At Auicena loquitur de quacunque febre pituitosa, idest de exquisita exactè, & exquisita non exactè, quoniam non profitetur doctrinam compendiosam, & ideo fieri potest, quod in febre pituitosa exquisita non exactè, adsit quandoque plenitudo; non enim semper adest, quam plenitudinem expressit Auicena cum dixit, secandam esse venam, cum adest rubedo in lotio, & in corpore. Vnde etiam Galenus primo ad Glauc. loquens de cura febrium continuarum, & proponens pituitosas admittebat venæ sectionem, quando in corpore rubor

Curatio.

Chirurgia.

Cur Gal. nil meminerit de venæ sectione.

Cur Auicena admittat venæ sectionem.

rubor est intensior, quam par sit pro naturali statu, idest quando venæ sunt tumidæ, quibus verbis clarissimè quidem Galenus plenitudinem expressit ac significauit. Quare ex his dilucidè patet, nunquid hic secari debeat vena, nec ne. De quantitate modo, & reliquis alias satis dictum fuit.

Pharmacia. Lenientia.

Quo ad medicamenta, inter lenientia probantur mel. ros. sol. species hierę, cassia, manna: sed aduertatis, ne his indiscriminatim vtamini. Vnde quo ad cassiam, hac vti licet in febre pituitosa ex pituita salsa. Quod si febris non fiat ex hac pituita, & cassia vti velitis, tunc cum ipsa misceatis aliqua calefacientia, vt semina anisorum, & fęniculi, quæ, vt aliàs diximus, ruditer cõtusa sint, illaquè hoc modo parata poteritis vti, licèt febris sit pituitosa continua. Si febris sit intermittens, & procedat ex pituita potissimum acida, vel vitrea, poteritis dare leniens ita paratum, Rec. floris cassiæ ʒ.6. specierũ hieræ simplicius ʒ.2. misce & cum zuccaro fiat bolus. At si febris sit continua, nullo modo detis hieram. Si verò redundarit pituita aquosa, tenuis, nec admodum crassa, poteritis exhibere mel ros. sol. & mannam, cum decocto betonicæ, vt Rec. melis ros. sol. mannæ optimæ ana ℥.2. decocti betonicæ quantum sufficit misce. Caueatis autem ab vsu prunorum, & tamarindorum pro alui lenitione; qua in re grauiter errare solent practicantes quidam; cum enim febricitantes hi vt plurimum habeant aluum stipticam, & expediat, propter residuum pituitæ, vt aluus semper sit lubrica, propterea practicantes quidam in his febribus diuturnis, vt aluum conseruent lubricam, concedunt tamarindos, & pruna; immò hæc quotidie in iure cocta febricitantibus dare solent, qui quidem modus maximè improbatur ab Auicena, quem tanquam optimũ ducem vos in re medica sequi debetis, dicit enim Tamarindos, & pruna plurimum lædere ventriculum frigidum.

A prunis & Tamarindis abstinendũ. Practicantiũ quorundam error.

Quare id vnum obiter notetis, non modo in febre pituitosa, sed etiam in reliquis diuturnis febribus, vbi patientes ventriculum habent frigidum, cauendum omnino esse à tamarindis, & fructibus, & aluus conseruari debet fluxilis quibusdam alijs, vt melle ros. sol. & huiusmodi.

Præparantia

Quò ad præparantia, Galenus primo ad Glauc. cap. proprio dicit vtẽdum esse oximelite, deinde post primos dies, illis, quæ lotium validè prouocent, Quod dictum videns Alexander maximè miratur, quomodo Galenus ita indifferenter in pituitosa febre vtatur calidis & siccis, immò insigniter calidis in tertio gradu, cum differentia sit inter istas febres pituitosas, & potissimum, quia ex ijs aliquæ fiunt ex salsa pituita, ex Galeno secundo de diff. feb. 6. Quare dicit Alexander non esse tutum imitari Galenum, sed desistendum aliquãdo esse à calidis, & vtendum frigidis, salsa enim pituita, vt potè calida, auxilium indicat frigidum.

Alex. contra Galenum.

Pro Galeno contra Alex.

Sed non difficile est tueri partes Galeni; ipse enim loquitur de febre pituitosa exquisita exactè, in qua redundat pituita frigida, & humida, & copiosa. Vbi notate, quæso, admirabile Galeni artificium; cum enim loquatur de quotidiana exquisita exactè, non loquitur de quotidiana ex pituita acida, nec ex vitrea, sed ex dulci, & insipida, quæ quidem non est valde frigida, sicuti est acida, & vitrea. Quare Galenus proponit oximel, quod non habet insignem vim calefaciendi, nam licet quædam in eo sit caliditas ratione mellis, tamen contemperatur ratione aceti, & ideo vtitur moderatè calefacientibus gratia præparationis, sed post primos dies vtitur lotium valdè cientibus, quę sunt calida, & sicca in tertio gradu, nam licet materia hæc non sit admodum frigida.

est

est tamen copiosa, aliter enim non esset febris exactè exquisita, est autem copiosa quia omnia ad ipsius generationem concurrunt, & ideo est omnino euacuanda. Et cum debeat etiam per lotium euacuari, quoniam est frigida, & copiosa, propterea opus est lotium prouocantibus, calidis silicet, & siccis in tertio gradu. Quare in praxi sic est procedendum, si fuerit febris pituitosa ex pituita salsa exhibeatis medicamentum præparans tale Rec.syr.acet. simplicius ℥.1.syr.de betonica ℥.ß.decocti ex capillis veneris, pentaphilo, acetosa, & betonica ℥.3.vel 4.misce. Si febris sit ex pituita frigida, & dulci, licet vti oximelite, syrupo de betonica, syrupo bisantino, cum decoctione ex betonica, ex radicibus petroselini, & fęniculi. Si febris sit ex pituita acida, & vitrea: ascẽdatis ad valentiora, vtentes syrupo de duabus radicibus, syrupo de quinque radicibus oximelite composito, squilitico, syrupo de hyssopo, de stecade, cum decocto non modo ex betonica, sed etiam ex saluia, hyssopo, stecade, petroselino, fœniculo potius tamen ex seminibus, quam ex radicibus, quia illa sunt calidiora istis. Pro ratione tamen febris hęc valentiora contemperari debent cum superioribus, quibus etiam vti oportet in febre continua ratione dispositionis febrilis. Auicena hic addit vnum notatu dignum nempè in cura epialæ, & lypiriæ pituitosæ, plurimum conferre succum agrestæ cum melle, & syr.ros. Quod dictum videtur valde suspectum, febris enim epiala, vt nostis, fit ex crassa, atque admodum viscida pituita, ita vt ei non sit occurrendum adstringentibus; & proinde non succo agrestæ. Quare in praxi in febribus epiala, & lipiria vos nequaquam vtamini adstringentibus, nisi id à vobis fieri cogat symptoma aliquod, quod respiciens Auicena, vsus fuit proprio medicamento; respexit enim os ventriculi; quod quandoquè, & vehementer quidẽ, lędi potest: Quare pro corroboratione oris ventriculi, ne tam promptè aduenientem materiam recipiat, optimum est vti aliquo adstringẽte, qualis est succus agrestæ. Verum quia respicere oportet non modo affectionem oris ventriculi, sed etiam causam morbificam, idest materiam, ideo Auice. immiscuit mel, quod habet vim detergendi, & calefaciendi. Vnde mel prodest ratione materiæ pituitosæ; imminuitquè frigiditatem & vim adstringentem succi agrestæ.

Circa præparantia in febribus pituitosis quõ ꝓcedendum.

Quando in Epiala & lypiria vti liceat succo agrestæ.

Quo ad purgantia, Auicena probat Agaricum, quo quidem expedit vti in qualibet febre pituitosa, etiam si fiat ex pituita salsa, & dulci. Quod si fiat ex pituita acida, & vitrea, oportet ascendere ad valentiora, vt ad Turbith, immò ad colocinthidem, consulo tñ ego, vt ratione ventriculi cum his misceatis pilulas masthichinas. Frequenti experientia comprobatum est pilulas cocchias cum masthichinis mistas nullum inferre detrimentum, vt Recip. pillul. cocchiarum ℈.4.masticinarum ℈.1.cum melle ros.sol.formentur pilulæ. Nec improbat Auicena elect.de dactilis, quod est satis correctum, & pituitosos humores euacuat. Sed aduertendum cum Auic. vt in febre pituitosa, quæ vt plurimum est diuturna, non semel tantum detis soluentia, sed sæpius; vnde Auic. quotidie dabat agaricum; quoniam concocta materia non potest vnica vice euacuari, sed oportet vicibus supplere, & potissimum quia materia hæc tota simul non potest concoqui, nec ventriculus sustinere potest medicamentum validum, & copiosum. Quare in praxi in hac febre ita progrediamini, vt detis vicissim præparantia, & purgantia, & primum quidem leuiora, deinde valentiora. Quod si quis sit ad vomitum valde pronus, licet vti vomitorijs, quibus vte

Purgantia.

batur Gal. à cibo; poteritis autem dare & succum raphani, atquè vrgente necessitate ascendere etiam ad flores genestæ; tollenda enim est febris hæc omnino, quia ipsa progrediente febricitantes euadunt hydropici.

Roborantia. Quò ad corroborantia, his vti licet & intus & foris. Intus adhibenda debent esse valida, prò varietate causæ generantis materiam. In febre itaque ex materia salsa pituitosa vtendum refrigerantibus, vt saccharo ros. conserua cichoracea: & licet etiam ascendere quod maius est, ad cõseruam ex betonica.

At si febris fiat ex causa frigida, vtendum est calefacientibus, & siccantibus, non modo remissis, sed etiam intensis, vt non solum conserua ex betonica, aromatico ros. sed etiam diatrion pipereõ, diacalamento, quo vtitur Galenus lib. de rigore cap. 7. in curatione cuiusdam sui coætanei epiala laborantis. Auicena autem ascendebat etiam ad magnas antidotos, idest ad Theriacam. Hæc conferunt intus ratione tùm ventriculi, tùm capitis, si febris fuerit catarrhalis, non ex salsa tamen pituita, foris etiam vti licet corroborantibus ratione tùm ventriculi, tùm etiam capitis: de quibus non est, quòd hic agatur, eò quod hoc esset proponere potius curationem frigidæ intemperiei, & capitis, & ventriculi, quam loqui de cura febrium.

Expedit igitur exterius vti calefacientibus, & exiccantibus, atque in hac febre moneo maximè proficuum esse vsum stillicidij, quo vti licebit post corporis expurgationem, etiam si æger non sit immunis à febre, quod stillicidium sit paratum ex oleo, vt Rec. oleorum de mastiche, de spica, de absinthio ana ℥. 9. vini aromatici, vel vini albi montani generosi, & antiqui lib. 1. spicę, saluæ, extremitatum absynthij, calami montani, menthæ ana p. 1. gariophyllorum, macis, cinnamomi, gingiberis ana ʒ. 1. fiat infusio per diem naturalem, deinde decocto in duplici vase per interuallum per horas 16. fiat fortis expressio, & colletur optimè. Hoc est optimum stillicidium ad roborandũ ventriculum, ita vt non regeneret pituitam.

Diæta. Quò ad dietam breuiter ex Auicena, immò ex Gal. etiam primo ad Glauc. cap. proprio, vtendum est victu attenuante, calefaciente, & siccante & præcipuè si febris sit ex pituita non salsa. Nam si salsa fuerit, cum calefaciẽtibus miscenda erunt refrigerantia, Quare condienda erunt cibaria in febre ex pituita non salsa aromaticis, petroselino, & huiusmodi alijs, cappares summopere commendantur à Galeno, conditi aceto, oleo, & sale.

Cõ tra Auic. de oleo. Probat Auic. etiam oleum, attamen fuit sententia Gal. libro de cibis boni, & mali succi, in oleo esse vim obstruentem, attamen Auicena defendi potest, si dicamus ipsum probare oleum non copiosum, sed paucum, & mistum etiam cum aceto, oleum enim paucum cum aceto mistum in acetarijs non potest obstruere. Quò ad potum Galenus primo ad Glauc. cap. de cura quotidianæ intermittentis nihil dicit de vino, de quo tamen loquitur in cura tertianæ, & quartanæ intermittentium: Auicena verò proponit vinum, & dicit *si pituita fuerit valdè frigida exhibendum est vinum apparentibus signis coctionis, tenuæ tamen, pauciferum & in pauca quantitate*. Quæ controuersia facilè tolli potest si dicamus, quòd quia Galenus vera respicit fundamenta nõ dat vinum, loquitur enim de febre quotidiana exquisita exactè, quæ est quidem intermittes, breue tamen interuallum habet, & obscurum, vt plus possit ad prohibendum vinum, & dispositio febrilis, & materia non exactè cocta, quam virtus ad indicandum; sermo enim est de febre ex pituita dulci.

Controuersia inter Galenũ & Auicenam de vino.

Conciliatio.

Auicena

Auicena verò non proponit vinum in qualibet febre pituitosa, sed tantum in ea, in qua pituita est valde frigida. Et ideo plus potest virtus ad indicandum vinum, vnà cum intensa frigiditate pituitæ, quam febrilis affectio simul cum semicruda materia ad prohibendum. Quare in praxi hoc modo procedatis, si febris fuerit ex pituita salsa, vel etiam ex dulci, non detis vinum, nisi appareant signa perfectæ coctionis.

Si autem fiat ex pituita acida, & vitrea, detis vinum, sed pauciferum & pau cum apparentibus signis concoctionis: Absoluta verò concoctione poteritis dare vinum in maiori copia, quod sit substantiæ tenuis, & mediocre potius quam pauciferum, & hæc de febribus pituitosis dicta sufficiant.

DE FEBRE SYNCOPALI.

Inter pituitosas febres recenseri etiam potest febris syncopalis, quæ quidē non modo pituitosa est, sed etiam biliosa, & ob id post tractatum de biliosis, ac pituitosis febribus agemus de febre syncopali, quæ dicitur syncopalis, eò qđ adnexam habet syncopim, quæ sanè non semel tantum in principio accessionis inuadit, sed sæpius: alioqui non diceretur syncopalis, vel saltem imminet periculum, nè sæpè inuadat, cuius febris hæc est definitio: Febris syncopalis est *febris pituitosa causata à praua materia os ventriculi insigniter lædente*. Definitio hæc est diligenter explicanda; nam ex ignoratione naturę huius febris Alexander ad curationem descendens, Galenum iniquè reprehendit. Dicimus itaquè non recedentes à Galeno duodecimo meth. à capite secundo vsque ad sextum, nec ab Auicena, per materiam prauam oportere intelligere materiam tùm pituitosam, tùm biliosam: pituitosa autem est frigida, & crassa, & viscida ex Galeno loco citato, ex qua fit syncopalis febris, quæ dicitur humorosa.

Cōtinuatio. Nomen. Definitio. Cōtrà Alex. Definitio explicatur.

Atquè materia hæc crassa potest, debetquè dupliciter considerari, primum quidem ratione copiæ, secundò autem ratione cruditatis: ratione copiæ materia vel est in tanta copia, vt aggrauet facultatem, & maximè obstruat; vnde maximum imminet periculum syncopis: vel non est in tanta copia, vt aggrauet, aut obstruat: & ideo non imminet syncopis, sed potius lipothymia. Differentia autem est inter has secundum magis, & minus; syncopis enim est deterior lipothymia, ex Galeno loco citato. Si consideremus materiam hanc penes cruditatem, hæc ex Galeno dupliciter esse potest cruda, primò adeo vt nequaquam possit concoqui, ad benignumquè deduci, in habitusquè mutari; altero, vt possit concoqui, in halitusquè mutari. Quò ad materiam biliosam, hæc potest esse non modo bilis flaua, sed etiam æruginosa ex Galeno duodecimo meth. vltimo, Quinimmò ex Auicena potest esse bilis non solum tenuis, verum etiam crassa.

Pituitosa materia dupliciter consideratur. Materia pōt dupliciter esse cruda.

Diximus autem febrem hanc causari ex materia praua infestante os ventriculi, per os autem ventriculi intelligimus os superius; hoc enim maximè cōsentit cum corde. Dicit enim Galenus loco citato cap. tertio syncopalem febrem fieri, quoniam bilis infestat os ventriculi. Postremò diximus, *insigniter lædente*, eò quod si leuis sit læsio, non fit syncopis, nec lipothymia, nō enim

compatitur cor, quia oportet vt insignis sit noxa, si cor per consensum affici debet: illud.n. maximè defenditur à natura. Quare hic inquirendum est quę sit cordis læsio omissa inquisitione causarum bilis, de quibus sępe diximus. Galenus itaquè loco citato dicit cor lędi, quoniam afficiuntur eius solida, quoniam intemperata reduntur: reduntur autem intemperata ob causas alterãtes, siuè ad calidum, siuè ad frigidum, lęduntur autem, non quia alterentur, sed quia deficiunt, vel ex defectu alimenti, vel vi causæ colliquantis, vt contingit in febribus acutis.

Qũo lædatur cor,

Læduntur autem spiritus, vel quia alterantur, vel quia corrumpuntur, alterantur à succis vitiosis, ab aere pestilenti, à venenis, siuè à medicamentis veneficis, siuè ab animalibus prodeuntibus; corrumpuntur autem ex Gal. propter dolorem insignem, mot⁹ immodicos, immodicã raritatem corporum cõtinentium, propter prohibitam transpirationem, & propter defectum alimẽti. His igitur ita constitutis ex Galeno loco citato cognoscendum modo est, quæ noxa in hac febre sit in corde, cuius vi fiat syncopis, pro quo declarando dicimus, non adesse noxam in solidis, quia, quando adest noxa in solidis, hęc est ratione vel alterationis, vel defectus: non est autẽ hic ratione alterationis, quia, vt optimè dicit Galenus, euacuata materia morbosa nullum adest syncopis periculum, quod si adesset intemperies euacuata materia illa non tam facilè amoueretur, eò quod esset insignis ad faciendam enim tantam noxam ratione intemperiei oportet ipsam esse insignem. Neque etiam ex defectu alimẽti vt ex colliquatione, quia non adest colliquatio in hac febre. Quare dicendum est cum Galeno noxam hanc referendam esse in spiritibus, qui quidem lęduntur, aut quia alterantur, aut quia corrumpuntur.

Quæ sit noxa in corde.

Qũo ledãtur spiritus.

In febre syncopali alterantur nè spiritus, an corrumpuntur? Modo alterantur, modo corrumpuntur, & aliquando alterantur simul, & corrumpuntur, Quod autem spiritus alterentur probo ex Auicena, qui dicit febrem syncopalem causari ex pituita frigida, & ex bile venefica.

Lubens audirem ego quo modo hæ Auic. verba ab alijs interpretentur, & præcipuè quia Galenus lib. duodecimo cap. cit. proponens febrem syncopalem, in medium affert illam quæ procedit ex pituita frigida, sicuti etiam proposuit Auicena. Proposuit etiam febrem syncopalem ex bile non venefica, sed calidiori; cum enim non potuerit in lib. metho. medendi proponere morbos qui non curantur indicationibus, sed solum experientia; ideo proponit bilem non veneficam, sed sua caliditate hanc febrem producentem. At Auicena dicit febrem hanc causari à frigiditate pituitæ, atquè à venefica natura materiæ biliosæ. Id autem ab eo factum est, quia prudentissimus hic vir, in sermone de febre syncopali, agit de qualibet febre, siuè indicationibus, siuè experientia curetur, diligentissimam enim febrium facit tractationem. Vnde respiciens noxam spirituum prout alterantur, dicit febrem hanc fieri à frigiditate pituitæ, atquè à venefica natura bilis; quia frigida substantia ita complexioni spirituum aduersatur, vt possit eos vsq; adeò alterare, vt fiat vel syncopis, vel lipothymia. Materia autem calida id nequaquam potest sua caliditate præstare, eò quod calidum non ita, vt frigidum aduersatur calido, at sua venefica qualitate, illud quidem facere potest.

Discordia inter Gal. & Auic.

Cõciliatio.

At si consideremus spiritus vt corrũpuntur, hi possunt corrũpi ratione materiæ, & crassæ, & tenuis, & proinde possunt corrumpi in febre syncopali, & humo-

& humorosa, & minuta, in febre humorosa ratione materiæ crassæ, quæ quidē vel est valdè copiosa, vel non est in tanta copia, si sit admodum copiosa, ita vt oneret, vt obstruat ex Galeno loco citato, tunc corrumpuntur spiritus ex prohibita transpiratione; vult enim Galenus spiritus posse corrumpi ex prohibita transpiratione. Quod si non sit in tanta copia, vt nec oneret, nec obstruat, tunc non fit syncopis, sed lipothymia, & læduntur spiritus, quia corrumpuntur, corrumpuntur autem ex defectu alimenti, non ob prohibitam transpirationem. Tandem si materia sit biliosa, tenuis, tunc læduntur, non quia alterentur; hoc enim est impossibile, sed quia corrumpuntur. Et ideo proposuit Galenus febrem syncopalem ex bile, in qua spiritus malè se habent, nō quia alterentur, sed quia corrumpuntur. Nam cum ex eius sententia cap. quinto spiritus corrumpantur ob immodicam raritatem corporum continentium, & ob nimiam resolutionem, dicatquè in febre syncopali ex bile corpora velocissimè resolui, propterea manifestum est, illum, per velocem dissipationē, quæ fit ratione bilis, proponere, non spirituum alterationem, sed corruptionem. Quare concludatis febrem hanc fieri à praua materia, vel pituitosa, vel biliosa, quæ sic lædit os ventriculi, vt in consensum trahatur cor, idest vt spiritus cordis lædantur: læduntur autem; quia vel alterantur, vel corrumpuntur, vel alterantur simul, & corrumpuntur, alterantur à pituita frigida, à bile venefica: corrumpuntur à pituita copiosa, à bile feruente: corrumpuntur simul, & alterantur à pituita copiosiore, & frigida; quatenus enim est frigida, spiritus ab ea alterantur; quatenus verò est copiosa ab hac ijdem spiritus corrumpuntur. Conclusio.

Ex his patet febrem hanc produci à materia vel crassa, vel tenui; si ex crassa, febris syncopalis humorosa dicitur. Materia autem crassa est aut pituita, aut bilis, si sit pituita, vocatur febris syncopalis exquisita, & quoniam febris exquisita potest esse vel exactè, vel non exactè exquisita, ideo si fiat ex materia pituitosa adeò copiosa, vt spiritus corrumpantur ob prohibitam transpirationem, vocatur syncopalis exquisita exactè. Si autem fiat ex pituita nō multum copiosa, ita vt corrumpantur spiritus ob defectum alimenti, vocatur febris syncopalis exquisita quidem, non tamen exactè, at si fiat ex bile crassa, erit syncopalis spuria. Quod si fiat ex materia tenui, febris erit syncopalis minuta, quæ aliquando est exquisita, aliquādo notha; exquisita quidem si à bile, notha verò si à pituita tenui. Differentiæ.

Febris etiam hęc in genere facile cognoscetur, eò quod febricitantes ob leuissimam causam, & sępè incidunt, vel in syncopim, vel in animi defectum. Quo autem ad signa differentiarum, cum febris hæc fiat à materia crassa, vel pituitosa, vel biliosa; si fiat ex materia pituitosa, cognoscetis ipsam ex signis propositis ab Auicena cap. proprio & à Galeno duodecimo meth. 3. Nam pręter inditia pituitæ, ex Galeno pulsus erit admodum paruus, rarus, tardus, inæqualis, & ea præcipuè inæqualitate, quæ est in vno pulsu, ita vt maior sit velocitas in systole quam in dyastole. Interdum autem dicit Galenus apparere etiam in pulsu inæqualitatem collectiuam, quæ attenditur, non penes eūdem pulsum, sed penes diuersos pulsus. Signa.

Quorum pulsuum causa est pituita, quæ non modo crassa, sed etiam frigida & viscida est. Omitto, quod nec aderit rubedo, nec flauities in corpore. Oportet etiam cognoscere, an febris hæc ex crassa pituita sit exquisita exactè, an non exactè; pro varia enim febre, vario etiam modo prognosticandum, va

Contra Alexandrum. rijſquè auxilijs in curatione eſt agendum. Quas quidem differentias minimè cognouit doctiſſimus Trallianus; ſi enim eas cognouiſſet, Galenum non repræhendiſſet. Vos igitur colligetis, febrem hanc eſſe exquiſitam exactè, quā do corporis habitus euaſerit & decolor, & æquo tumidior. Ratio huius eſt quoniam hæc fit à materia copioſiſſima obſtruente, vt ſpiritus corrumpantur ob prohibitam tranſpirationem, vnde partes non admittunt alimētum, adeò ipſæ ſunt repletæ: immo ſi quis alere audebit, ægros interficiet. Sed febris hæc poteſt etiam fieri à materia copioſa, quæ dupliciter cruda eſſe poteſt, vno modo vt cruda materia poſſit concoqui, & in alitus conuerti; & eam cognoſcetis ex eo, quòd pulſus fiet robuſtior, & corporis color erit albicans, & hoc colligitur ex Galeno loco citato, licet non ita clare ibi loquatur; vos tamen poteritis eam cognoſcere ex ijs, quæ ex nobis audiuiſtis. Si autem cruda ſit materia, vt ea nequæat in halitum conuerti, pulſus in principio erit imbecillis: progrediente verò febre imbecillior fiet, & color erit liuidus, plumbeus vè, qui indicat pituitam adeo rebellem, vt non poſſit ad benignum duci: atque vbi febricitantes ex copioſiſſima materia incident in aliquod ſymptoma hoc erit ſyncopis, non lipothymia: At ſi febris fuerit ſyncopalis humoroſa exquiſita non exactè, tunc non apparebit tumor ille; eo quod materia nō eſt admodum copioſa, & ſi febricitans corripietur ſymptomate, hoc erit lipothymia, non ſyncopis, ſi verò fuerit bilis craſſa, ex Auicena ægri ſentient exuſtionem in intimis partibus, propter caliditatem bilis. Aderit etiam oris amaritudo, color non albicans, ſed potius citrinus. Quibus addatis etiam ſigna bilis. Si fuerit febris ſyncopalis minuta, quæ fit vel à bile tenui, vel à pituita tenui, hanc facilè colligetis, eo quòd virtus celerimè diſſoluetur: atque etiam maximè diſſipabuntur ſpiritus. Atq; ſi redundabit bilis, aderunt bilis ſigna, & acceſſiones febris erunt de tertia in tertiam. Si verò redundabit pituita, acceſſiones obſeruabuntur quotidianæ: & ſic indicabitur pituita tenuis: vnde ſi fiat vomitus, pituita aquoſa apparebit.

Indicationes. Quò ad indicationes, hic deſumendæ ſunt indicationes à febre, cauſa, virtute, & à loco etiam affecto, ideſt ab ore ventriculi. Quare ratione febris indicatur auxilium refrigerans, & humectans; merito autem cauſæ, quæ eſt materia praua, indicatur ipſam eſſe tollendam: ſed quoniam non cedit euacuationi, niſi præparetur; ideo ratione materiæ craſſæ oritur indicatio attenuandi: & ſi craſſa materia ſit pituitoſa, quoniam eſt etiam frigida, humida, viſcidaquè, ob id oritur indicatio, calefaciendi, ſiccandi, & abſtergendi. Si verò craſſa materia ſit calida, ideſtallioſa, oritur indicatio refrigerandi: & ratione craſſitiei etiam attenuandi. At ſi ſit tenuis oritur indicatio incraſſandi, & ſi calida refrigerandi, ſi frigida calefaciendi: ratione virtutis nihil aliud indicatur quàm alimonia. Ratione loci affecti oritur indicatio leuiter roborandi os ventriculi ne amplius recipiat.

Prognoſticū. Quantum autem ad prognoſticum, dicerem ego febrem ſyncopalem ſuaptè natura eſſe febrem periculoſam: eò quod ſuperueniente ſyncope ſuperuenit ſymptoma, quod eſt via ad mortem. Sed cognoſcere etiam oportet, quæ febris magis, & quæ minus periculoſa ſit, & quæ lethalis. Si conſideremus febrem ſyncopalem humoroſam exquiſitam, hæc eſt, aut exactè, aut non exactè exquiſita, & ex his periculoſior eſt modo exquiſita exactè, modo exquiſita non exactè; & quandoque febris ex copioſiori materia, quandoquè ex minus copioſa, atque, quod maius eſt, interdū magis periculoſa eſt illa in qua

fit

fit lipothymia, quam ea, in qua fit ſyncopis, quare diſtinctiſſimè ita progredi oportet.

Si conſideremus febrem ſyncopalem humoroſam exquiſitam exactè, hæc fit ex materia copioſiſſima obſtruente, quæ aut poteſt, aut non poteſt in habitum conuerti: ſi poteſt; febris hæc eſt curabilis, ſi non poteſt, eſt incurabilis: ſi verò non poteſt amplius ad benignum deduci ob ſui cruditatem, eſt lethalis. At cum exquiſita non exactè oriatur ex materia non admodum copioſa; imminet tantum lipothymia. Quare febris hæc eſt minus periculoſa, quàm exquiſita exactè: eò quod materia minus copioſa, minus etiam difficulter coqui poteſt. Verum quoniam diximus febrem hanc prouenientem ex minori copia materiæ, aliquando eſſe periculoſiorem febre, quæ prouenit ex copioſiore materia, ideo ſciatis hoc eſſe verum, vbicunque cum hac febre iungitur inflammatio alicuius viſceris, quam inflammationem, proponit Galenus loco citato. Si igitur inflammatio adiungatur febri ſyncopali exquiſitæ exactè, febris hæc non erit tam periculoſa, ſicut eſt illa exquiſita non exactè, cũ qua iuncta eſt inflammatio. Ratio eſt, & meo quidem iudicio, demonſtratiua, qm̃ inflãmatio prohibet alimentũ, in febre aũt ſyncopali exquiſita nõ exactè opus eſt aliméto, quia indicatur à ſpiritibus, qui in ipſa extinguuntur ex defectu alimenti, quod non euenit in febre exquiſita exactè: cum igitur ratione inflammationis non dandum ſit alimentum, ratione verò febris ſyncopalis ipſum ſit exhibendum, res verſatur in ſummo diſcrimine, & proindè febricitantes moriuntur.

Secus autem eſt dicendum ſi febris ſit ſyncopalis exquiſita exactè, nam ratione inflammationis prohibetur alimentum, nec etiam indicatur ratione febris, quoniam licèt ſpiritus corrumpantur, non corrumpuntur tamen ob defectum alimenti, ſed ob prohibitam tranſpirationem, vt nec ratione talis corruptionis dari debeat alimentum.

Cum igitur corruptio in ſyncopali exquiſita non exactè indicet alimentũ, corruptio autem in ſyncopali exquiſita exactè non indicet illud; & alimentũ maxime prohibeatur ab inflammatione, hinc eſt quod quando cum tali febre iuncta eſt inflammatio, magis periculoſa eſt febris exquiſita nõ exactè, in qua fit lipothymia tantum, non autem ſyncopis. Vnde ob eandem cauſam idem eſt dicendum de febre ſyncopali minuta, quod ſilicet, licèt poſſit remoueri ex Galeno duodecimo meth. quinto & ſexto, maximè tamen erit periculoſa, ſi ei adiuncta fuerit inflammatio: nam ratione inflammationis inhibetur alimentum, quod maxime deſideratur à corruptione ſpirituũ in febre ſyncopali minuta: Immò magis indicatur, quam in ſyncopali non exactè, eo quod in ſyncopali minuta maior fit ſpirituum diſſipatio, & proindè copioſius etiam indicatur alimentum: quod tamen ab inflammatione prohibetur. Quare ipſa eſt periculoſiſſima, immò lethalis, vbi cum ea iuncta eſt inflammatio. Ob id diligenter conſiderandum eſt, quibus occurrendum ſit auxilijs; & primum in febre ſyncopali humoroſa gratia præſeruationis. Curatio.

Quò ad chyrurgiam, hæc excluditur, quia deſideratur indicans principale ſectionis venæ: quapropter dicendum eſt de medicamentis. Itaquè Galenus duodecimo meth. tertio dicit, febrem hanc requirere euacuantia; ſermo enim nunc fit de febre ſyncopali humoroſa, quæ fit ex copioſa materia. At cum dicat febricitantes iſtos, nec ſectionem venæ, nec medicamenta euacuãtia, ideſt euacuantia confertim, & ſenſibiliter perferre, propterea occurren- Chyrurgia.

dum

dum eſt auxilijs, quæ paulatim euacuent. Hæc autem iuuantia habent materias, quæ ex Galeno deſumendæ ſunt ex victus ratione, non autem ex medicamentis: vnde ſi Galenus quandoque loquatur de medicamentis, veluti de hyſſopo, & huiuſmodi alijs calefacientibus, ac attenuantibus, his vtitur potiꝰ pro alteratione cibi, quam loco medicamenti.

Vnde quo ad medicamenta, nil aliud proponit Galenus, quam ea, quæ foris adhibentur pro corroboratione ventriculi, quale eſt medicamentum, qđ fit ex abſynthio. Monet autem non quamprimum eſſe applicandum hoc auxilium, ideſt repleto ventriculo, ſed quando maiori ex parte concocta materia deſcenderit. Quare Galenus in viuendi potiſſimum ratione maxima vſus fuit diligẽtia: nam quo ad aerem, iubet vt eligatur media temperie prẽditus, & ideo fugiendus eſt aer, & calidior, & frigidior; calidior quidem, quia hic poteſt ſuccos pituitoſos, crudoſquè colliquare, qui deinde liquati poſſunt petere partes principales, vt cor, cerebrum, pulmones: frigidior verò, quia denſat corpora, auget obſtructiones, aggrauatquè viſcera.

Diæta. Aer.

Cibus.

Præterea quo ad cibum dicit aduertendũ eſſe, qualis ſit pulſus, ſi enim fuerit ſatis infirmus, ſatiſquè inæqualis, dat mulſam cum hyſſopo, & ſi æger perferat, dat mulſam, non modo per tres, ſed etiam per ſeptem dies. Monet autem, quòd ſi contingat, vt patiens abhorreat mulſam, poteritis dare modicum vel cremoris hordei, vel cremoris alicæ, vel etiam oximel. Si autem pulſus repente mutetur ad imbecillitatem, paruitatem, & inæqualitatem, exhibendus eſt panis in vino diluto madefactus. Vnde hic eſt aduertendum, qñ Galenus proponit vinum conſiderat imbecillitatem, quæ fit derepente. Quotieſcunque igitur obſeruabitis repentinam hanc mutationem, detis panem madefactum in vino diluto; ſin minus, detis mulſam, vel alia cibaria, vt diximus. Aduertendum etiam quo ad mulſam, hanc dari poſſe modo plus, modo minus coctam, ſi aluus non fluat, ſit minus cocta; minus enim cocta ex Galeno minus nutrit, magiſquè aluum ſubducit, ſi aluus fluat, ſit plus cocta, at ſi aluus plus æquo fluat, detis cremorem ptiſſanæ: quod ſi magis adhuc fluat, detis cremorem alicæ: cibaria autem hæc cum hyſſopo, vel cum petroſelino, vel cum huiuſmodi alio attenuante ſunt commiſcenda. Hinc obiter colligatis, quod ſi Galenus in ſyncopali humoroſa, & copioſiori materia obſtruente dat cremorem alicæ, non eſt quod vos ita abhorreatis vſum ipſius. Præterea aduertendum etiam ex Galeno circa oximel, an aer ſit calidus, an frigidus: nã in aere calido exhibendum eſt oximel frigidum, in aere frigido dandum eſt calidum actu, etiam ſi ſit conſvetudo in contrarium.

Dubitatio circa aerem.

Quæ dicta Galeni videntur ſatis difficilia: nam quando dicit exhibendum eſſe oximel actu frigidum tempore æſtatis, niſi viſcus aliquod ſit debile, videtur inſinuare, indicationem à virtute, cæteras indicationes antecellere. Sed difficultas eſt ratione aeris: quo modo ſilicet plus poſſit, quam reliqua; aer enim ſupponitur calidior, qui cum ſit intemperatus, indicat auxilium frigidũ. Quare ratione ipſius exhiberi ſolet oximel actu frigidum quod etiam ratione febris indicari poteſt, quæ tamen eſt remiſſa, quia loquimur de febre ſyncopali humoroſa.

At quò ad materiam, cum hæc ſit pituitoſa craſſa, viſcida, & frigida, ratione frigiditatis indicat auxilium calidum; calidum enim attenuat, abſtergitquè ad differentiam frigidi, quod potius incraſſat. Quo modo igitur indicatio ab aere ſuperat indicationes à materia? cum ratione materiæ indicetur au-

xilium

xilium calidum, & præterea cum consuetudo sit calidi, vt proponitur à Galeno, quæritur qũo plus possit aer q̃ consuetudo? cum maxima sit indicatio quæ à cõsuetudine dessumitur: Pro solutione dicimus quod aer hic consideratur à Galen. sicuti in nono meth. 14. vbi vult aerem frigidum posse accipi, vel vt habet rationem materiæ sanantis, vel vt habet rationem antecedentis sine quo non. Non considerat nunc illum, vt habet rationem materiæ sanantis, quoniam hac ratione non est indicans, sed materia iuuantis ab aliquo indicante; At eum contemplatur prout habet rationem eius sine quo non. Solutio.

Consideratur igitur aer, vt indicans curatorium sine quo non; & proinde vt habet rationem causæ morbificæ: nam si non habet rationem causæ faciẽtis res præter naturam, non potest esse indicans, sed potius materia indicati. Quomodo igitur aer potest plus, quam materia, & quam consuetudo? Aer habet rationem causæ morbosæ ratione tùm febris, tùm materiæ; febris quidẽ, quia cum hæc sit affectio calida, propterea ab aere calido intenditur. At plus non potest quam materia, & consuetudo, ita vt magis attendendum sit aeri, q̃ reliquis, quoniã febris, de qua loquimur, est remissa, si enim esset intensa, aer calidus plurimum quidem posset. Quare plus potest reliquis, prout habet rationem causæ morbificæ, si referatur ad materiam.

Quo modo autem si referatur ad materiam declaro: nam materia hæc ob aerem calidiorem liquatur, & dum liquatur, facile est, ex Galeno duodecimo, meth. tertio, vt decumbat in caput, in pulmones: Aer inquam, calidus ita aduersatur materię, vt sit in causa, quod materia liquetur, & liquata petat partes principales cum maximo ægrorum nocumento.

Solutio igitur in hoc consistit, quòd maxime omnium potest indicatio ab aere dessumpta quippè quæ sit in causa, vt materia morbifica colliquetur, colliquataquè deinde petat partes præcipuas, vnde periculum est mortis præsent antæ. Dicitquè Galenus tutius esse, vt materia resideat circa iecur, circa ventrem infericrem, quàm quòd petat partes principales. Ecce igitur quàm artificiosè, quantoquè cum fundamento locutus est Galenus in virtute indicantium. Quare licet adsit consuetudo calidi, vos tamen, quando maximè periculosa est materiæ liquatio, quæ fit ab aere calido, debetis in hac febre vti oximelite actu frigido: secus autem facere debetis, si aer sit frigidus; tũc enim nullum iminet periculum colliquationis succorum ratione aeris, ideo expedit in aere frigido vti oximelite calido, eò quod maximè potest indicatio quæ desumitur à materia. Solutionis collectio.

Præterea dicit Galenus loco citato, occurrendum esse inanitione hoc modo, vt cum non liceat euacuare corpus auxilijs repente sensibiliterquè euacuantibus, si contingat pulsum non esse admodum debile, poteritis vti clysterijs. Vnde aduertendum pulsu etiam existente mediocri Galenum non vti medicamentis per os assumendis sed clysterijs. Quinimò imitandus est Hippocr. qui primo de rat. vic. 45. ad educendam materiam per aluum medicamẽtis per inferius, si virtus sit debilis, pro clysterijs vtitur suppositorijs. Quare modo clysterijs mediocribus, modo suppositorijs vti oportebit, de quibus aliàs diximus. Inanitio.

Præterea vt monet Galenus moderatè se se gerere debent ægri circa somnum & vigiliam, quia cum succi sint crudi, ope somni debent concoqui, concocti deinde ope vigiliarũ distribui debent; & in his nulla est difficultas. Sed difficultas est in motu & quiete tantum: nam gratia motus Galenus loco cit. Somnus & Vigilia. Motus & quies.

iubet,

iubet, vt fricentur corpora,& primum pedes, & crura linteis asperis, deinde brachia,& quoniam imminet lassitudo ob talem frictionem,ideo admonet,vt partes illiniantur oleo aliquo relaxante vt oleo vel anethino, vel camomellino,& nisi presto sit huiusmodi oleum, iubet, vt capiamus flores camemoli, & decoquamus in oleo communi in duplici vasæ,vt oleum recipiat vim medicamenti,atquè deinde fricetur dorsum,& rursus artus,& ita progreditur, excepto eo tantum tempore,quo dormiendum est,& offerri debet cibus : reliquis horis fricat corpora,propositaquè vtitur frictione.

Alex. contra Galenum.

Vnde Alexander hoc videns dicit, se maximè admirari, quomodo Galen⁹ vtatur victu tenuissimo,& adeo assidua, violentaquè frictione : & potissimum quia ex Hipp.secundo Aphor.16. vbi fames, non est laborandum; vbi labor, non est iniungenda inædia. Quomodo igitur Galenus cum tali labore præcipit victum tenuissimum ? nempe mulsam tantum, & oximel tantum per tres, immò per septem dies, exhibenda esse ? Augetur difficultas, quoniam Gal. duodecimo methodi quinto loquens de syncopali humorosa iubet, vt corpora assiduè nutriantur. Hoc certè mirum est, quia febricitantes non possunt perferre inædiam. Quare Galeno aduersatur non modo Alexander sed etiã ipse met Galenus. Pro hac questione dilucidanda dicimus non esse possibile tueri Galenum, nisi confugiamus ad fundamenta proposita in explicatione definitionis : quorum vi clarè depræhendetis Galenum sibimet minimè aduersari, sed grauiter errare Alexandrum. Dicimus igitur febrem syncopalem humorosam esse duplicem, exquisitam videlicet exactè,& non exactè; & exquisitam exactè procedere ex copia materiæ obruentis, cuius vi corrumpuntus spiritus ob prohibitam transpirationem : & de præseruatione à syncopi in tali febre loquitur Galenus duodecimo meth. tertio, & quòd hoc sit verum, patet, quoniam proponit febrem syncopalem non modo ex succis crudis,sed etiam ex maxima copia succorum crudorum. In hac igitur febre Galen.proponit frictionem,& inædiam : Diximus præterea exquisitam non exactè, fieri ex cruda pituita,& in hac corrumpi spiritus ob defectum alimenti tantum, & de hac loquitur Galenus duodecimo meth.quinto. Quòd autem hoc sit verum, patet, quoniam licèt ipse proponat syncopalem humorosam, addit tamen hac in febre corpora assiduo egere alimento, & ideo vti oportet cibo⁹, non autem inædia. Cur priores perferunt inædiam, posteriores vero non ? Suppono ego in vtraquè febre materiam,quę est concoquenda, esse crudam, quo supposito dico,in syncopali humorosa exquisita exactè corpora ferre inędiam, eò quod nulla fit dissipatio, vbi enim copiosa est materia,tunc maximè obstruit, repletquè, ita vt si offeratur cibus, periculum sit suffocationis,& ratione huius repletionis nulla fit dissolutio. Quare non est fames,nec indigentia. Ideoquè errauit Alexander, quia crededit esse famem, quæ tamen non est, quia non fit resolutio, & ideo laborandum est & vtendum inędia, victuq; tenuissimo. At in exquisita non exactè, licèt materia sit cruda,non tamẽ est copiosa,non onerat,nec obstruit:& quia non obstruit, ideo fit resolutio. Quare ægri egent nutrimento; alioqui resoluentur : quoniam materia est cruda, ideo debet concoqui, sed antequam concoquatur,nisi detur alimentum,corrumpentur spiritus ex defectu alimenti. Quare optime locutus est Galenus, & ideo loco citato addit, in febre syncopali esse exhibendum vinum, seu panem in vino, pauco tamen ; in febre, inquam, exquisita exactè,& quando adest syncopis. Atquè si aer sit calidus oportet dare vinum prima vice frigidum,

Dubitatio causa victum tenuissimũ.

Solutio.

Contra Alexandrum.

dum, deinde verò calidum. Si aer sit frigidus, tunc vinum dari debet calidum, non modo prima vice, sed etiam alijs vicibus. Cuius modi procedendi hæc est ratio, nam differentia esse debet in modo procedendi, & ratione curationis, & ratione præseruationis; in præseruatione enim ratione debilis virtutis non egemus alimento tam cito nutriente, sicuti egemus, quãdo actu adest syncopis. Et ideo oportet, vt calidum actu detur alimentum: vt ratione caliditatis, & nutriat, & penetret magis. At si aer sit calidus, quoniam imminet periculum colliquationis succorum ex tali caliditate aeris, ideo saltem prima vice ad inhibendum hoc damnum, oportet, vt detur alimentum actu frigidum: huius enim frigiditatis beneficio inhibebitur talis colliquatio, deinde verò & secunda, & tertia vice; vbi autem cogimur ratione syncopis, possumus dare alimentum calidum. Sed aduertendum, vt alimentum detur in maiori copia, & sæpius, quando aderit lipothymia, quam vbi aderit syncopis: nam quando adest lipothymia, est febris in qua vires plus dissoluuntur, secus est, quando actu adest syncopis. Eodem planè modo, si febris sit syncopalis non ex pituita, sed ex bile crassa, addatis refrigerantia calorem bilis, de quibus aliàs egimus. Maxime hic proderit usus syrupi acetosi simplicius, ptissanæ, cremoris hordei, non cum hyssopo, nec huiusmodi alijs calefacientibus, sed cum syrupo acetoso simplici. Tandem si fuerit febris ex Galeno 12. meth. 6. procedens ex tenuibus succis, nempè syncopalis minuta, tunc refrigerantibus occurrendum est, atque crassefacientibus. Quare aer debet esse, non modo refrigerans, sed etiam constipans, ita vt alterandus sit rosis, cydonijs, folijs mespillorum, plantaginis, & reliquis huiusmodi adstringentibus, Quinimmò oportet flabellis caput refrigerare: itemquè etiam inunctionibus ex oleis adstringentibus; miseri namquè ægrotantes isti solent cum sudore mori. Vnde non est præter rationem corpus totum inungere oleo rosaceo, omphacino. Occurrendum est etiam ventriculo oleo mirthino, oleo omphacino, reliquisquè adstringentibus. Idem dicendum est de cibis, si enim sint adstringentes (sermo enim fit de præseruatione) maximè probatur vsus alicæ cremoris; & si huic addideritis succum granatorum, succum omphacinum, rhu obsoniorum, quod sumach vocatur, quæ omnia palato sunt iucũda, & possunt ventriculum corroborare, ita vt non tam promptè, immò nullo modo recipiat, quod ad illum confluit, optimè facietis: At si actu adfuerit syncopis, exhiberi etiam debet vinum, vt ait Galenus loco citato, quia defectus est in spiritibus, non autem in solidis: & ideo indicatur auxilium celerrimè nutriens, cuius materia potissimum est vinum, & ob id exhibebat Galenus vinum etiam actu existente syncopi. Vosquè etiam idem facere debetis, dummodo nulla inflammatio sit in iecore, in partibusquè vicinis loco affecto: nã quando adest hæc inflammatio, tunc actum est de vita ægrotantis, nullaquè superest amplius spes salutis. Hoc igitur modo progrediebatur diuinissimus Galenus, & in febre humorosa, & in febre minuta syncopali, ratione tùm præseruationis, tum curationis. Hæc de febribus syncopalibus dicta sufficiant.

Modus procedendi in exhibendo alimento in febre syncopali exquisita exacte.

DE

Modus procedendi in exhibendo alimento in febre synocali exquisita exacte.

DE FEBRIBVS MELANCHOLICIS, *& primum de Quartana tum intermittente, tum continua.*

Ordinis Auicenæ ratio.

In tractatu de febribus putridis Auicena vltimo loco disserit de quartanis, cuius ordinis nulla alia est causa, nisi quia præter id, quod febres hæ sunt (vt ita dixerim) terrestres, accedit etiam has ad differentiam reliquarum fieri ex alijs humoribus idest ex sanguine, bile, & pituita: ipse autem in hoc sermone loquitur de intermittentibus febribus, & de continuis, pauca tamen dicit de continuis, supponens ea, quæ proposuit in tractatu de intermittentibus. Nos tamen vtilitati vestræ consulentes eodem sermone de vtrisquè agemus.

Nomen.

Definitio.

Febris hæc iurè dicitur quartana, eo quod periodos habet de quarta in quartam: dicitur etiam melancholica quoniam originem ducit ex melãcholia. Nihilquè aliud est, quam *febris putrida procedens à bile nigra putrescente*. Quid velimus per febrem putridam, & per materiam putrescentem patet ex alias traditis. Dicit Auicena febrem hanc produci à causis melancholiam, & generantibus, & putrefacientibus: sufficiat itaquè explicare, quid intelligendum sit per bilem nigram, & ea potissimum de causa, quoniam huius ratione distinguitur febris hæc à qualibet alia febre; quartana enim fit ex bile nigra, reliquæ vero ex alijs fiunt humoribus. Per bilem igitur nigram oportet, vt optime dicit Auicena, intelligere, melancholiam sanguineam, biliosam, & pituitosam. Vnde minimè mirandum est si Auicena quandoque dicit dari quartanam biliosam, sanguineam, & pituitosam, quod sic declaro & primum quò ad bilem melancholicam, hæc est duplex, nempe alimentalis & excrementitia: per alimentalem intelligo succum in venis existentem, qui tamen satis terrestris, & siccus est, si conferatur cum reliquis succis alimentalibus, & est portio illa, qua aluntur partes corporis frigidæ & siccæ, si comparetur cum cæteris partibus; absolutæ enim non vocantur frigidæ, & siccæ. Ex hac itaquè bile nigra alimentali fieri possunt febres, quando putrescit, neque alia febris potest esse, quam melancholica continua, & nequaquam intermittẽs, propter rationem propriam in sermone de febribus sanguineis. Quò ad bilem nigram excrementitiam, hæc etiam est duplex naturalis, & præternaturam. Naturalis nihil aliud est, quam materia illa, quæ gignitur in iecore, & est excrementum crassum ad differentiam bilis excrementitiæ, quæ iure dicitur excrementum tenue.

Bilis melancholica est duplex.

Melãcholia quid.

Melancholia igitur est excrementum crassum secundæ coctionis, quod si putrescat ita, vt producat febrem, excitat non modo quartanam exquisitam simpliciter; sed etiam quartanam exquisitam exactè, de qua agit Galenus primo ad Glauc. cap. de cura quartanæ intermittentis; ibi enim de nulla alia agit febre, quàm de quartana exquisita exactè. Quod si cognouisset Alexander certè non ita allucinatus fuisset in curatione, & reliquis. Excrementitia vero, idest quæ non potest in alimentum conuerti, & præter naturam, potest esse multiplex, nam producitur vel ex melancholia alimentali, vel excrementitia secundum naturam: si ex alimentali, generatur propter vlteriorem caliditatem: quia melancholia alimentalis magis incalescit. At quoniam in hac caliditate dantur gradus, pro vt silicet, calor potest esse magis, vel minus intensus, ob id si calor non sit admodum intensus, ex melancholia alimentali

Contra Alexandrum.

producitur melancholia excrementitia, quæ tamen est præter naturam, sed dicitur melancholica materia hæc frigida, & sicca. Si autem calor sit intensior, melancholia alimentalis degenerat in atram bilem, in illam pessimam materiam, quæ vbi decidit in terram, instar aceti fermentat eam. Et hęc proprie dicitur melancholia, ex qua fiunt febres pessimæ. Si verò materia hæc præter naturam producatur ex melancholia excrementitia, tũc fit atra bilis. Si autem fiat ex melancholia alimentali, potest esse, & melancholia, & atrabilis.

Præterea si consideremus quartanam sanguineam, quæ fit à melancholia sanguinea, sanguis duas habet partes, vnam quidem crassam, alteram vero tenuem. Si respiciamus portionem crassiorem, tunc si remissus fuerit feruor, fiet melancholia, si verò intensus erit, fiet atra bilis; sed erit melancholia, & atrabilis sanguinea, quia generatur ex sanguine secundum portionem ipsius crassiorem. Si contemplemur partem tenuiorem sanguinis, hæc per caliditatem insignem mutatur in bilem flauam, quæ deinde perseuerante feruore tandem degenerat in atrambilem. Vnde animaduertendum atram bilem sanguineam non immediatè fieri ex sanguine tenui, sed ex bile; in bilem enim mutatur portio sanguinis tenuior, & proinde fit quartana febris atrabilaris. Si consideremus melancholiam biliosam, hæc febris nulla est alia, quam febris atrabilaris, ex atra bile, quæ quidem hoc nomine nuncupantur ad differẽtiam melancholiæ; flaua enim bilis, vbi plus æquo intenditur, mutatur in atrã bilem, non in melancholiam. Postremò si perpendamus melancholiam pituitosam, hæc febris fit ex pituita, & ideo Auicena hanc febrem vocat quartanam phlegmaticam. Neque hoc dictum Auicenæ videatur ita absurdum: nam si rectè Galeni dicta considerentur, fortasse etiam ipse idem sentit, quod & Auicena. Veritas, vt arbitror, est hæc, quòd quartana non fiat ex quocunque phlegmate; sed ex phlegmate salso tantum. Et sicut febris atrabilaris sanguinea non fit immediatè ex sanguine tenui; sed necesse est, vt ille vertatur primum in flauam bilem, tandem verò in nigram, ita etiam dicendum est, de phlegmate; phlegma enim salsum vi caloris insignis exuritur, & sic vertitur in bilem: bilis deinde in atram bilem, atque ita fit febris quartana phlegmatica, quoniam primum ducit originem ex phlegmate. Veritas hæc colligi potest ex Galeno quarto de simp. med. secundo vbi testatur, quod salsum est, illud per diuturnam caliditatem amarescere, atque bilescere, ex quibus apparet quomodo phlegma salsum vertitur in bilem, quæ deinde potest conuerti in atram bilem. Idem etiam colligere licet ex Galeno 7. Aphor. 42. nam vbi ait Hipp. febres non procedentes ex bile balneo curari: procedentes verò ex bile non curari, sed augeri potius; cum Hipp. per febres non ex bile intellexerit hecticas, & ephemeras, per febres verò ex bile, putrida, Galenus in commento, vt ostenderet Aphorismum illum esse Hipp. non potuit aliter illum tueri nisi dicendo, quod per bilem intelligi possunt humores omnes, vt non modo sanguis, bilis flaua, & atra, sed & pituita intelligi possit, quoniam fortasse, (dicit Galenus) pituita ratione putrefactionis potest in bilem conuerti. Vnde nil aliud potuit significare, nisi phlegma salsum, quod putrescit, quod per vlteriorem caliditatem potest bilescere. Quod dictum quia non redarguitur à Galeno ideo credendum est hanc fuisse ipsius sententiam. Præterea Auerrores 3. coll. 7. loquens de febribus melancholicis dicit, quosdam putasse febres me-

Melãcholia alimentalis duplex.

Hipp. locus declaratur.

Per bilem intelligi possunt omnes humores.

lancholicas fieri ex adustione sanguinis, & phlegmatis; quorum sententiam non improbat, quia cognouit eam non esse improbandam. Quare pro veritate statuendum est, dari quartanam pituitosam, prout fit ex bile flaua degenerante in atram, quæ flaua bilis fit ex adustione phlegmatis salsi. Vnde hinc hoc vnum obiter colligatis, cum fiat quartana ex atrabile, in maximo errore esse eos, qui negant putridas febres produci posse ex bile æruginosa, & cærulea. Nam si datur febris intermittens atrabilaris, multo magis statuendum est, febrem causari ex bile æruginosa, & cærulea: eo quod atrabilis est longè sęuior, & magis infensa naturæ, quam ęruginosa, & cærulea.

Dantur febres ex bile æruginosa, cæruleaque.

Dubitatio.

Ex hac veritate ita constituta, quod detur quartana melancholica, sanguinea, biliosa, & pituitosa, non est, quod quis imaginetur, hæc dicta aduersari Galeno; si quidem Galenus tertio prognosticorum 27. vult quartanam fieri, ex flaua bile, vel ex sanguine crassiori. Vnde non videtur proponere quartanas melancholicas, nec pituitosas, sed sanguineas tantum, & biliosas. Nam facile ex traditis est colligere, quidnam senserit Galenus; quantum enim ad crassiorem sanguinem, cum per ipsum significet portionē sanguinis fęci vini proportione respondentem, propterea intelligit melancholiam, & sanguinis crassiorem partem. Quare intelligit quartanam & melancholicam, & sanguineam, sanguineam, inquam, ratione partis crassæ.

Solutio.

Dum autem proponit quartanam biliosam, intelligit non modo biliosam, sed & sanguineam, secundum tenuem portionem, & etiam phlegmaticam. Nam, cum fiat quartana ex portione tenui sanguinis, & ex phlegmate salso, oportet, vt hæ materiæ degenerent in bilem, deinde vero bilis vertatur in atram bilem. Hæc autem materia, idest nigra bilis, quæ, vt diximus, est multiplex, fit ex causa calefaciente, ac siccante, potestquè esse, & interna & externa. Ex Galeno libro de atrabile cap. tertio, item secundo decis. duodecimo item tertio Aphorismorum 22. causa calefaciens interna aut est febris, aut non; si sit febris ex Galen. loco citato & febris diuturna, & præcipuè erratica, ex hac enim aduruntur humores, incinerantur, conuertunturquè in materiam exustam, ex qua deinde materia fiunt febres quartanæ. Præterea fieri etiam possunt ex causa calefaciente citra febrem, & hæc causa est potissimum insignis caliditas iecoris. Animaduertendum tamen iecoris vigente caliditate, quandoquè gigni bilem flauam, quandoque melancholiam; nam si homo vescatur cibis biliosis producitur bilis; si melancholicis generabitur potius melancholia, quæ fit ex causa calefaciente, & siccante, licèt hæc materia sit frigida, & sicca. Et hoc proponit etiam Galenus secundo de temperam: vltimo, vbi voluit, melancholicum temperamentum esse frigidum, & siccum: melancholiam verò gigni à causa calefaciente; nam iecur sua caliditate gignit melancholiam, & materiam, quæ resolutis portionibus tenuibus remanet frigida, & sicca, terrestrisquè, quæ quando redundat in toto, ipsum refrigerat, & siccat; redditquè corporis habitum frigidum, & siccum.

Ad rem igitur redeuntes dicimus, quòd causa generans quartanam, est causa calefáciens, & siccans, quod etiam dicendum est, de causa externa, nam aer calidior hoc potest efficere, & præsertim si homo cibis vtatur melancholicis. Nec est, quòd quis dicat Galenum loco citato dixisse, quartanas oriri, & multiplicari potius anno quadragesimo, quam antę, & potius

tius autumno, quam æstate, & etiam dicit primo ad Glauc. 6. fieri, vbi adest imbecillitas, tumorquè in liene: qui tumor est potius affectus frigidus, in Autumno aer est frigidus; & post annum quadragesimum calor diminuitur. Quoniam vt colligi potest ex Galeno primo Epid. secundo 21. vbi sermo fit de materia melancholica, de causa huius febri, potest esse sermo, nempe de causa generante, vel colligente, idest de causa, quæ materiam generat, vel genitam materiam detinet: si loquamur de causa generante bilem nigram, hæc est calefaciens: at si loquamur de causa, cuius ui materia genita detinetur, hęc non est calefaciens, sed potius refrigerans; vt quando diminuitur calor progrediente ætate, in autumno, in tumore lienis; tumor enim lienis est in causa non generationis, sed collectionis materiæ. Et ob id in curatione oportet, vt dirigantur remedia ad causas generantes, & detinentes. Atque dicant alij, quicquid velint, quartana distinguitur ratione loci, & materiæ, vt dicendũ sit, dari quartanam melancholicam, sanguineam, biliosam, & pituitosam. Dicit autem Galenus loco citato dari febrem melancholicam, & febrem atrabilarem; per febrem melancholicã intelligimus febrẽ factam à materia frigida, & sicca, quæ non habet uim abradendi. Per febrem atrabilarem intelligimus febrem, factam ex materia calida, & sicca habente uim corrodendi. Et licet dixerit Auer. 3. coll. 12. atram bilem esse acidam, non est tamen adeo acida, quin sit etiam particeps caliditatis, habet enim partes valdè calidas, quæ ex Galeno vim habent abradendi. Nec est, quod quis ambigat, cur in febre atrabilari non fiant errosiones, obseruamus enim febres atrabilares, in quibus nec vlcera apparent, nec excoriationes. Quandoquidem Galenus tertio prognosticorũ 27. & 28. ait atrambilem ad differentiam melancholiæ uim habere abradendi; sed addit, vbi abundè est collecta: cũ aũt in febribus atrabilarijs protrudatur materia exterius ad ambitũ totius corporis, ideo in quauis corporis parte, in qua reperitur hæc materia, colligitur in tam pauca quãtitate, vt non possit abradere, & ob id non semper apparent vlcera. Interdum tamen apparent, & quidem pessima, si contingat, quòd in aliqua parte copiose colligatur materia. Et ideo datur febris & melancholica, & atrabilaris: sed nulla datur quartana, quæ sit exquisita exactè, nisi melancholica, quæ fit ex melancholia excrementitia naturali; reliquę enim omnes sunt quidem exquisitæ, non tamen exactè.

Responsio tacitę obiectioni.

Differentiæ.

Dubitatio circa quartanam atribilariam. Solutio.

Similiter ex Galeno dicendum est, quartanarum alias esse intermittentes, alias esse continuas. Sed continuæ rarissime contingunt: ratio est, quoniam istæ fiũt vel ex melancholia alimentali, vel ex melancholia excrementitia: si ex alimentali, cũ hæc sit valdè pauca, si conferatur cum reliquis portionibus alimentalibus; propterea non potest esse in tanta copia, vt fiat febris continua nisi rarissimè; si ex excrementitia, hæc materia est adeo inimica naturæ, quia est frigida, & sicca, vt nõ colligatur in venis; sed protrudatur foras. Quare febres sunt potius intermittentes, quam continuæ. Quoniam autem rarò euenit, vt materia hæc detineatur, & vbi detinetur, valida tunc adest causa, idcirco, licèt rarissimè contingat quartana continua; quandocunquè tamen contingit, est periculosissima.

Cur quartanæ continuę sint rarissimæ.

Quo ad cognitionem huius febris in genere, nos ex Galeno plerisquè in locis, præcipuè tamen secundo de differen. feb. primo & quinto, item secundo de Cris. 3. & 4. & primo ad Glauc. sexto, & septimo dicimus, febrem hanc distingui

Signa.

stingui à reliquis febribus, ex ijs quæ indicant copiam humoris melancholici, veluti ex temperatura iecoris calidiore, ex vsu ciborum melancholicorũ, ex tempore autumni, ex tumore lienis, ex suppressa hemorrhoidum euacuatione, ex febribus melãcholicis eo tempore passim vagantibus. Quo ad signa differentiarum, hæc dessumuntur à materia, & à loco. Quo ad materiam, diximus febrem hanc fieri vel ex melancholia, vel ex atrabile. Primum itaquè si contingat febrem esse intermittentem, tunc aderit rigor, qui ossa cruciare videbitur, conquærenturquè ægri maximè de summo dolore circa ossa tempore rigoris: quoniam materia melancholica ob sui crassitiem non ita petit exteriores partes; sed residet circa periostia, & circa partes illas sensitiuas, vt videantur quartanarij sentire dolorem in ossibus, licet ossa non doleant; sed ita referunt, quoniam periostia nimis affliguntur. Distinguetis autem vos has febres; nam si erit ex melancholia aderit primum frigus, deinde horror, tandem rigor, qui quidem aderit cũ sensu frigiditatis, perinde ac si frigida super dorsum proijceretur. Si autẽ febris fuerit atrabilaris, illico obseruabitur horror, & citius etiam prorumpet rigor, qui tamen erit cum sensu punctionis. Huius autem discriminis hæc est ratio, quia in febre melancholica, materia est crassior, atque frigidior: in febre atrabilari est minus crassa, & est calida. Quare ratione crassitiei fit, vt melancholia non ita attenuetur, sicut atrabilis.

Ab internis & externis.

A frigore &c.

Præterea distinguetis etiam ex siti: nam ex Auicena & Galeno loco citato in quartana non adest multa sitis (loquitur autem de quartana melancholica) in febre vero atrabilari, sitis est intensior, eò quòd materia est calida.

A siti.

Amplius distinguetis ex lotio, nam in febre atrabilari lotium erit coloratum, quoniam atrabilis fit ob insignem exustionem, & præcipuè ex materia conuersa in bilem flauam, quæ deinde in atram degenerat, & ideo lotiũ erit intensè flauum, obscurumquè, at in febre melancholica, lotium etiam albicans quandoquè, & decoloratum apparebit, ex Galeno atque Auicena locis citatis.

A lotio.

Præterea distinguetis etiam ex pulsu: nam ex Galeno in febre melancholica pulsus est debilis, paruus, tardus, rarusque, vt assimilari possit pulsui senis in vltimo senio constituti. Quod intelligendum est ex Galeno in principio accessionum: nam in augumento, & statu frequentior, velociorquè fit pulsus, minus tamen frequens, ac velox, quam in reliquis febribus. Atque in interuallo statim rarus ac tardus euadit propter frigiditatem crassitiemq; huius humoris. At si febris fuerit atrabilaris, tunc ratione caliditatis pulsus est satis frequens, & velox.

A pulsu.

Sed distinguetis etiam ex calore: nam in febre melancholica calor erit satis remissus, non fumosus, sed potius flammeus, & celerrimè talis non redditur, sed tarde. Ratio est quoniam humor hic est frigidus, & siccus; vnde tardè accenditur, & ideo tardè apparet illa flammea caliditas. Est autem caliditas flammea potius, quam fumosa, quoniam, vt dicit Galenus quando accenditur hæc materia, tunc attenuatur instar testæ accensæ, vt nihil fumosum relinquatur, sicut relinquitur in materia pituitosa ratione humiditatis, vt ipsa quidem iure possit comparari lignis viridibus. Sed moderata apparet accensio hæc in febre melancholica ad differentiam febris biliosæ, quia bilis est humor tenuis, melancholia verò est humor crassus.

A calore.

At

At si febris fuerit atrabilaris, sentietur calor intensissimus, licèt non ita citò, vt in febre biliosa, ratione crassitiei, & adeo intensus, ita vt febricitantes isti loco consistere nequeant, tanta est humoris huius malignitas, quæ inquietudo non apparet in febre melancholica. Verum quando febris, est melancholica, tunc cognoscere oportet an fiat ex melancholia alimentali, an ex excrementitia. Si fiat ex alimentali, tunc febris erit continua, quam ægri non ita facilè sustinebunt: propterea quod illa materia putrescit, quod non obseruabitis si febris oriatur ex materia excrementitia. Quod si febris sit atrabilaris oportet potissimum cognoscere an sit, vel melancholica, vel sanguinea, vel biliosa, vel pituitosa, quod facilè cognoscetis, vt optime monet Aetius, ex lotio, & ex ijs, quæ possunt indicare dominium, vel melancholiæ, vel sanguinis, vel bilis, vel pituitæ salsæ.

Febrium autem differentias à loco desumptas, idest an febris sit vel continua, vel intermittens ita facile cognoscetis, vt superfluum sit harum signa proponere. Quartana enim intermittens longum habet interuallum, & ad integritatem perducitur ad differentiam continuæ: quare accedamus iã ad curationem. Hic itaquè tria sunt indicantia principalia, virtus, febris, & ipsius causa. Quid indicet virtus tam sæpe diximus, vt turpe sit id amplius repetere. Quo ad febrem, hæc indicat auxilium refrigerans, & humectans, sed animaduertendum, in febre melancholica febris uim esse imbecillam: contra verò in atrabilari illius vim esse insignem. Quo ad causam febris, hæc est nigra bilis, quę in hac febre considerari debet pro vt est putrida, & pro ut est genita: item etiam prout potest gigni, & colligi. Si consideremus materiam genitam, hęc est expurganda: vnde indicatur auxilium expurgans bilem nigram; sed quoniam hæc materia non cedit auxilio expurganti, nisi præparetur, ideo, est præparanda, hæc autem præparatio ea postulat auxilia, quorum vi materia cedat auxilio euacuanti; pertinax enim est materia, & melancholica, & atrabilaris ratione crassitiei, atque siccitatis. Quare vtraquè materia indicat auxilium attenuans, atque humectans. Differentia autem est inter has materias: nam melancholica resistit ratione frigiditatis, & ideo indicat auxilium calefaciens, atra verò bilis reluctatur ratione caliditatis: quare indicatur ab ea auxilium refrigerans. Si verò consideremus materiam prout & gignitur, & colligitur, cum gignatur ex caliditate iecoris, ideo refrigerandum est illud cum autem colligatur, detineaturquè ratione imbecillitatis vel tumoris lienis, ob id lien roborari, & ipsius tumor auferri debet.

Curatio. Indicantia principalia.

Materia in febre dupliciter consideratur. Indicationes.

At licet ne hisce scopis satisfacere? si consideremus febrem in genere, nihil certi statuere licet; quartana enim toto genere nec salubris, nec insalubris est censenda. Quare confugiendum est ad differentias à materia, & à loco. Quo ad materiam, febris melancholica, modo non sit continua, est potius salutaris ex Hipp. & Galeno primo Epid. secundo, & tertio, vbi volunt febrem hanc esse tutissimam, sermo autem ibi est de quartana intermittente exquisita exactè. Aduertendum tamen id esse verum, dummodo non adsit lienis tumor: nam fieri potest, quòd homo occidatur à quartana intermittẽte, cum tumore lienis; tunc enim moritur non propter febrem, sed ob tumorẽ lienis, quoniam illum solet subsequi hydrops. At si tumor ille non adsit, & febris quartana rectè curetur, tunc periculo vacat; immo est vtilis ex Galeno, & Hippocr. 6. Epid. 6. penultimo. Item 5. Aphor. 7. nam si contingat, quod aliquis sit obnoxius conuulsioni, beneficio quartanæ conuulsione non corripitur:

Prognostica.

tur: & si quis conuulsione detineatur, ex quartana superueniente liberatur, & huius rationé ibi reddens Galenus ait, si quidem per conuulsionem oportet intelligere illam, quæ fit ex repletione tantum, ex materia pituitosa, ex materia, quæ debet attenuari, calefieri, concoqui, ac discuti: vnde ope caloris febrilis concoquitur, attenuaturquè materia: ope autem rigoris in hac febre satis intensi discutitur. Verum febris hæc, licet sit salubris, diuturna tamen est, atque ex Galeno loco citato solet per hyemem durare, atque desinere tẽpore veris. Ratio est, quoniam cum ipsa fiat potissimum autumali tempore, quo humores ad interiora recurrunt, quem recursum fouet hyems sui frigiditate, ideo febris vsque ad vernum tempus protrahitur, quo deinde tempore succi mouentur ad circumferentiã, & dissipantur; vnde febris solet delitescere. Hinc ex Hipp. Aestiuæ quartanæ breuiores sunt. Sed quænam est maior, & longitudo, & breuitas quartanæ? Hipp. 6. Epid. 6. 21. ait quartanam non produci vltra annum. Quod dictum videns Galenus cognoscensquè quartanas, etiam vltra annum protrahi; Auicena enim dicit duodecim etiam annos quandoquè quartanam perdurasse, vt tueretur Hipp. dicit ita intelligendum esse eius locum, quoniam tempore Hippocr. in victu non fiebant tot errata à quartanarijs, propter quos errores quartanæ vltra annum producuntur. Vnde hoc cognoscens Auicena dicit quartanam non produci vltra annum, nisi fiat error. Quo ad breuitatem quartanæ non licèt certum præscribere terminum. Febris hæc vt plurimum est diuturna, quandoquè tamen cito etiam desinit. Obseruaui ego & plures, quartanas curatas fuisse in spatio mensis vnius: omnes tamen ferè semper circa solstitium hyemale curantur, quando medici sunt diligentes, & quartanarij sunt obedientes: qui certè rari sunt. Quod si fuerit febris atrabilaris, hæc est valde periculosa: minus autem ea, quæ fit ex sanguine: quæ verò fit ex flaua bile, est periculosissima.

Explicatio loci Hipp. ex Galeno.

Quo ad differentias à loco, quis nescit febrem continuam esse summè periculosam, nam, cum insignis sit causa, insignem etiam esse effectum necesse est. Hæc tamen febris continua rarissimè apparet vt diximus. Vnde Galenus primo ad Glauc. cap. proprio ait, febrem hanc ab initio esse leniter, blandèque tractandam, vt præter rationem sit inter initia valido vti medicamẽto. Dicit tamen, si adfuerit sanguinis redundantia, oportere venam aperire, vel basilicam, vel mediam sinistri lateris, obseruandumquè esse sanguinem: nã si erit flauus, & tenuis, illico vena clausa sistendus est: si verò erit nigrior, crassiorquè permittendum est eum exire. Quibus in verbis licet diligens videatur esse Galenus, quantum tamen coniectura ego assequi possum, ipse fuit valde difficilis, vt neminem viderim, qui hactenus locum hunc citatum rectè exposuerit.

Chyrurgia.

Gal. locus difficilissimus.

Difficultatis ratio est hæc, quoniam si adsunt signa sanguinis redundantis, & sermo fit de quartana intermittente exquisita exactè tantum, quomodo secta vena exit sanguis biliosus, & tenuis, cum enim redundet tantum melancholia excremẽtitia naturalis, necesse est, vt id, quod exit, sit nigrum, & crassum. Augetur difficultas, quoniam ex Galeno loco citato expedit venã secare inter initia; dicit enim febrem hanc esse blandè tractandam, nisi redundet sanguis: quoniam redundante sanguine inter initia secanda est vena. At Auicena cap. proprio de quartana melancholica dicit, tunc secandam esse, quando materia est concocta. Pro huius loci explicatione dico nequaquam cõfugiendum esse ad venæ sectionem nisi adsit principale indicãs,

Difficultatis ratio.

Augetur difficultas.

Solutio.

idest plenitudo, siue sit communis, siue determinata. In febre igitur melancholica videndum est an adsit plenitudo, nec ne. Vbi venæ turgent, redundat sanguis, qui potest esse, & biliosus, & melancholicus, si sit biliosus, nullo modo secari debet vena, nec ipsa secta permittendum est sanguinem exire. At si sanguis sit melancholicus, si materia illa sit in venis, si sanguis sit crassus, ac niger, oportet sinere, vt ipse exeat. Potest autem sanguis biliosus redundare in febre melancholica, quoniam fieri potest, vt sanguis redundet in venis totius, & materia melancholica resideat circa lienem in vena porta, non in vena caua; cum enim materia hæc sit excrementum secundæ coctionis, nō est necessarium, quod ipsa redundet in vena caua, sed residet in vena porta. Quare si ita contingat, pessimum est permittere, vt post sectam venam exeat sanguis tenuis ac flauus, quoniā ex Auicena si permittetur exire, debilis fiet virtus, eò quod euacuatur id, quod deberet retineri; febris enim non fit à materia tenui, & biliosa, sed à crassa, & melancholica. Præterea euacuatur id, quod habet rationem remedij; cum enim febris fiat à materia frigida, & crassa quando euacuatur sanguis tenuis, ac biliosus, euacuatur materia calefaciens, atque attenuans, & proinde id, qnod est præsidium. Tandem (dicit Galenus) summo cum discrimine febricitantis mouētur humores ad exteriora: nam per venam sectam euacuatur sanguis existens in vena caua: vnde sanguis existens in vena porta, materia videlicet illa crassa, deducitur ad venam cauam, & ad exteriora, vt periculum sit, ne febris ex intermittente fiat continua. At si quartana fuerit pituitosa, ex Auicena secanda est vena, sed, vt ipse dicit, in fine: per finem autem non intelligit declinationem febris, sed finem hyemis: ita vt in principio veris secanda sit vena, tunc enim adest plenitudo, redundatquè sanguis. Quod si quartana sit atrabilaris, Auicena nihil meminit de sectione venæ: ratio est quoniam in quartana adest potius cacochymia, qua quidem vigente purgandum est potius corpus, quam euacuandum. Quare oculos dirigens Auicena ad vera fundamenta modo improbat, modo probat venæ sectionem.

Vtrum conueniat venæ sectione.

Quo ad quantitatem sanguinis modo plus, modo minus est euacuandum, pro ut magis, vel minus redundat. Quare in quartana sanguinea ex Auicena plus sanguinis est educendum, sed oportet tunc respicere vires. Quo ad modum foramen venæ sit amplum vt, sanguis crassus facilè possit per illud exire. Quo ad tempus Galenus inter initia videtur venam secare. Auicena vero dicit secandam esse venam digesta materia, quid igitur statuendum in hac horum authorum discordia? dicimus, quòd quando sit agendum desumitur ex præsentia indicantis, & ex absentia prohibentis: in quartana autem modò adest, modo non adest præsentia indicantis: adest, quando redundat sanguis melancholicus in vena caua, & pcipuè quando adest tumor in liene; quādo enim viscus illud tumore afficitur, non potest admittere excrementum melancholicum, quo fit vt illud permeet per vniuersum corpus: & ideo sequitur lienosorum cutis colorem fieri nigrum, quia materia illa petit omnes corporis partes, venas totiusq; ingreditur. Cum igitur in toto succus iste redundet, ideo potest, & debet euacuari, quoniam adest præsentia indicantis. Et ideo dicit Galenus loco citato, si redundet sanguis inter initia secādam esse venam, præsertim autem (inquit ipse) redundat in ijs, quorum lien male se habet, quoniam ob vitium lienis succus iste in toto redundat: vnde adest præsentia indicantis.

Quantitas.
Modus.
Tempus.
Dubitatio.
Solutio.

Vtrum conueniat venæ sectione. At si contingat, quod succus iste excrementitius resideat *in vena porta*, non in vena caua, neque in toto, cauendum est à sectione venæ, donec adsit præsentia indicantis, quæ quidem aderit quando succus, qui est in ramis portæ digeretur, distribueturquè in venas totius: tunc enim ipse mistus erit cum sanguine, & per sectionem venæ poterit commodè euacuari, & ob id hoc respiciens Auicena dicit secandam esse venam, quando materia erit digesta, idest distributa.

Locus. Quo ad locum Aetius non recedens à Galeno: vult seccandam esse vel basilicam, vel mediam sinistri lateris, quia respicit lienis affectionem. Vnde si nullum sit vitium in liene, & materia melancholica redundet in toto, poterit

Cucurbitulę. etiam basilica dextri lateris aperiri. At si vires, vel ætas prohibeant sectionem venæ, affigendæ erunt cucurbitulæ infernis partibus: immò si vires non

Hemorrhoidum apertio. sint admodũ robustæ, potest etiam secari saluatella sinistræ manus. Sed quid dicendum de hemorrhoidibus, debent nè istæ aperiri? si suppressa fuerit euacuatio per istas venas optimum erit ipsas aperire. Vnde sententia fuit Hipp. & Gal. 6. Aphor. vndecimo & 21. immò 6. Epid. 3. 37. non esse præter rationẽ, si sanguis per has venas effluat; quando enim venæ iste, effundunt sanguinẽ, liberant homines à tumore lienis, & à quibuscunque vitijs melancholicis, quoniam ex Galeno crassus ille succus cum sanguine mixtus quomodè per *venas illas effluit*.

Dubitatio. Vnum liceat aperire hemorrhoides in quartana. Sed hic vnum omnino est inquirendum, an videlicet, liceat in quartana non modo *melancholica*, *sed etiam atrabilari hemorrhoides aperire*, *fuit* enim aliàs, & rursus etiam viget maximorum virorum sententia nequaquam aperiendas esse in morbis atrabilarijs, sed solũ in melancholicis, nec isti aliud habent fundamentum quam Hippocratis & Galeni auctoritatem perperam ab ipsis intellectam. Nam cum dixerit Hipp. 6. Aphor. 12. Atrabile vexatis hemorrhoides superuenientes bonæ. Galenus ibi per atrabile vexatos exponit laborantes vitio procedente ex melancholia, non autem ex atrabile. Si itaquè Galenus ita interpretatur, ergo in morbis atrabilarijs, in furore silicet, & in mania non licet has venas aperire, sed in affectibus tantum melan

Solutio. cholicis. Attamen dicerem ego, non esse præter rationem; sed maximè salutiferum etiam in febre atrabilari venas istas aperire. Fundamentum est, & in fallor demonstratiuum, passimquè desumptum ex Galeno, qui dicit, quòd quamuis sanguis per vnam venam extractus magis vnam respiciat partem, quam alteram, totum tamen æqualiter per quamlibet venam sectã euacuat, quod quidem experientia satis superquè comprobat. Veruntamen propter *illos, qui nihil credere volunt, nisi adductis auctoritatibus, etiam auctoritates proponamus*. Fuit igitur sententia Hippoc. & Gal. 6. Epid. 3. 37. in habentibus venas sanguifluas, optimum esse, si laborent, vel pleuritide, vel inflãmatione pulmonis, vel inflammatiunculis, quas vocant Dothienes, vel affectibus, qui dicuntur Terebinthi, vel phagedena, vel lepra, & huiusmodi alijs affectibus, hemorrhoides recludere. Si ex Hippocr. & Galen. sententia venæ sanguifluę, hemorrhoides reclusæ conferunt in malis propositis, quæ fiunt non ex melancholia, sed ex atrabile, cur non expedit in morbis atrabilarijs venas istas aperire? Quod adhuc magis confirmatur, quandoquidem plenitudo à Galeno proposita, fit non à sanguine melancholico, sed potius à bilioso, ac tenui, inflammatio etiam pulmonis, & ipsa fit à sanguine bilioso, atrabilari. Similiter lepra & phagedena; per hoc enim malum

ex Galeno oportet intelligere vlcera corrodentia, quæ fiunt non à melancholia, sed ab humore abradente, & atrabilari. Quare si in his affectibus biliosis, & atrabilarijs vtilis est apertio venarum istarum, cur non debent reliquis con sentientibus in quartana atrabilari aperiri? Quare consulo vobis, vt in quartana atrabilari, in alijsq; similibus morbis, recludatis has venas, & potissimũ si turgidæ apparebunt. Sed ad auctoritatẽ Hipp. vbi Galenus per atram bilẽ exponit affectum melancholicum, non autem atrabilarem respondentes dicimus, non esse inferendum, Hippocr. intelligit affectum melancholicum nõ atrabilarem, ergo in morbo atrabilari non debent venæ istæ aperiri, sicuti inferunt isti, & pessimè. Sed vt ex toto acquiescatis, ponderare debetis verba Hippocr. considerata tamen prius rei ipsius natura; sic enim videbitis verba auctorum non refragari rationi. Hipp. voluit in atrabile vexato cõferre venas sanguifluas, sed addit *natura*, quia sanguis, qui secundum naturam per has venas consueuit effluere est tantum melancholicus, non autem atrabilaris; & ratio est, quia is redundat in venis portæ, & est excrementum secundæ coctionis crassum tantum, non præter naturam, sed naturale, & ob id in aliquibus solet naturæ sponte talis materia excrementitia naturalis exire per dictas venas. Ideoquè Hippocr. cum respiciat excrementum hoc naturale, quod spõte naturæ per venas illas aliquando exit, addit natura, ob id tamen non *improbaret si sanguis atrabilaris, & excrementum præter naturam per has* propelleretur, & venæ istæ aperirentur, vt materia hæc atrabilaris exiret. *Quare in praxi in febre etiam atrabilari debetis quandoquè venas istas* aperire.

Verum addebat Galenus oportere inter initia leuibus progredi, & ob id ipse vtebatur mollibus, nõ autem acribus clysterijs, quem etiam vos in quartana melancholica imitari debetis. Quare in quartana melancholica, de qua loco citato loquitur Galenus licet vti melle ros. sol. cum manna dilutis in decoctione borraginis. *At si febris fuerit atrabilaris, vtendum est refrigeranti* bus: vnde proponit Auicena serum lactis, quia agit de quacunque febre. Et quia cognouit, febrem hanc non esse ita leniter tractandam, vt quartana exquisita exactè, eò quod redundat pessimus ille humor, qui nullo modo est diu in corpore detinendus, ideo ipse non modo dat serum lactis, sed etiam cũ eo miscet polipodium & epithimum, quoniam cognouit materiam illam redundare *in primis vijs circa iecur, ideo vtitur medicamento electiuè educente.* Animaduertendum autem inter initia non vtendum esse electiuè educentib⁹, nisi adsint conditiones, & aliquid, quod vrgeat, quod licèt in præsentia non adsit, *non tamen reprehendendus est Auicena, quia ex hac auctoritate non* est afferendum, ipsum proponere minorationem; fuit enim dogmaticus, & licèt in presentia vtatur epithimo, non tamen in substantia, sed ipsius tantummodo virtute, i. infusione vtitur illudq; in pauca quãtitate, & minima dosi immiscet; & propterea non potest à remotis attrahere. Quare illud infundi po*terit in sero lactis à ℈. 2. ad ℥. 1. & ita infusum, & maceratum* serum propinari; serum enim ipsius caliditatem obtundit: poteruntquè dari seri lib. 2. vel 3. sic enim, & lenietis, & contemperabitis, & ideo probo practicantes neotericos, qui dant cassiam, & syrupum viol. sol. si enim aliud medicamentum exhi beretur *immineret periculum, ne, dum euacuatur materia hæc atrabilaris,* exulcerarentur intestina. Quare consulo, vt in hac febre, & ante, & post etiam

Clysteria.

Lenientia.

Num liceat *vti electiuè* educentibus *in principio* morbi.

leniens

leniens per os datum, injiciatis clystere ex ptisana hordeacea in qua decoctæ sint maluæ, atquè addatis pinguedinem, & butirum sine sale; *vt huius clysterij benefitio ita muniantur intestina, vt non exulcerentur. Sed addebat Galenus in febre hac vtendum esse attenuantibus, calefacientibus, & siccantibus: atque addebat statutis quibusdam diebus exhibendum esse Diatrion piperior,* & Diaspoliticum, & si quotidie poteris (inquit Galenus) dare aquam cum pipere, optimum erit, quod quidem dicit respiciés auxilia præparantia.

Dubitatio. At dubium est, cur in quartana exquisita exactà vtatur, siccantibus; vtitur quidē calefacientibus, & attenuantibus, quia materia est frigida, & crassa: at absurdum esse videtur vti siccantibus, quia non conueniunt ratione materiæ melancholicæ, eò quod materia sicca, qualis est melancholica, non est magis siccanda: nam quæcunque uim habent calefaciendi ex Auicena habent etiam vim attenuandi & siccandi.

Solutio. At dicimus Galenum vti siccantib^9, non vt siccet, sed quia non potest non siccare, cum ex Auicena quæcunque calefacientia attenuandi, & siccandi facultate sint etiam prædita, ideo cogitur vti calefacientibus, atquè attenuantibus merito materiæ frigidæ, & crassæ; sed tanquam vir prudentissimus occurrit humectantibus. Præterea addebat Auicena in quartana pituitosa optimum esse, vbi adest necessitas miscere cū lenientibus vim ipsius turbith, & dicit *& gradatio sit modica ad agaricum.* Quib^9

Auicenæ locus declaratur. verbis significare voluit quando adest insignis copia huius materiæ tunc miscendem esse non substantiam, sed vim turbith, quod educit pituitam existētem in proximis ductibus, & cum turbith miscebat oximel, vt medicamentū esset attenuas ad detergens superfluitates crassas, & viscidas.

Explicatio loci Auicenæ. Cum autem is addit. *Et gradatio sit modica ad agaricum.* locus hic est ita intelligendus vbi insignis est copia superfluitatum pituitosarum, quæ possunt cōuerti in melancholiam, & atrambilem, tunc oportet cum lenientibus, verbi gratia cum melle ros. sol. miscere vim soluentis, & licet vti modo agarico, modo turbith, prout ægri melius hoc, vel illud perferunt. Vnde non semper dari debet agaricum, nec semper turbith, sed modo vnum, modo alterum. Verum vt moneret Auicena hæc medicamenta danda esse non modo in virtute, sed & etiam in pauca quantitate, dicit, *Et gradatio sit modica ad agaricum,* idest oportet vti modica copia agarici verbi gratia ℈.2. nō ʒ1; vnde si datur agaricū in pauca quantitate, multo magis dari debet turbith in pauca etiam quantitate, eo quod hoc est magis validum agarico. Quare non est ita locutus Auicena (pace quorundam) vt significaret agaricum esse valentius, si enim hoc significare voluisset, non posset excusari.

Preparantia. Quo ad præparantia dicit Galenus loco citato vtendum esse salsis, & synapi, atque etiam statutis diebus Diatrion pipereon, & Diaspoliticon. *Et si quotidie* (dicit Galenus) *dabis piper cum aqua non erit malum,* quòd declaro gratia curationis.

Explicatio loci Galeni. Primum proponit Galenus salsa, & synapi, idest calefacientia, & siccantia, & tenuis substantiæ: calefacientia quidem ratione materiæ frigidæ: res autem tenuis substantiæ, ratione materiæ crassæ: siccātia verò non animo siccandi, sed quia vtens calefacientibus necessario ratione causæ febris cogitur siccare: eò quod quæcunque calefacientia ex Auicena habent etiam attenuandi vim, & siccandi. Vnde si fieri posset ex Auicena vt reperirentur calefacientia tenuis substantiæ, & humectantia, istis vti procul dubio optimum esset, quoniam hæc aduersarentur materiæ melancholicæ, frigidæ, crassæ, & siccæ.

ſiccæ. Sed quoniam non reperitur aliquid, quod ſit materia auxilij calefacien tis, attenuantis, atque humectantis, ideo oportet miſcere humectantia, vt ope *ſynapi, & ſalſamentorum calefaciamus, & nullum inferamus detrimentum* ratione ſiccitatis. Quare Galenus vtebatur carnibus mollibus, piſcibus nem pe *humectantibus, vt corrigeret ſiccitatem præparantium*.

Vnde in praxi non erit præter rationem, ſi cum calefacientibus, ac attenuã tibus, & proinde ſiccantibus immiſceamus ſyr. de pomis ſimpl. de ſucco borraginis, de liquiritia; & de capillis veneris. Nõ erit (inquam) præter rationem ſi aliqui ex his ſyrupis miſceantur cum ſyrupo biſantino, de duabus radicibꝰ de quinque radic. & cum decoctis ex ijſdem. Sed cur voluit Galenus, ſtatutis diebus dandum eſſe Diatrion pipereon, & diaſpoliticon ante ſtatum: Theriacam verò niſi poſt ſtatum, & poſt expurgationem totius corporis, licèt theriaca ſit minus calida, quam diatrion pipereon? Auicena verò dicit exhibendum eſſe diatrion piperion & diaſpoliticon ante coctionem: nec danda eſſe hæc medicaméta, niſi poſt digeſtionem, ante coctionem rarius, quam ſingulis tribus diebus, ideſt ſingulis ſex diebus. Præterea proponens diatrion pipe reon diaſpoliticon, diacalamentum, diaſulphur, theriacam, & mithridatum dicit, in genere loquens de his omnibus, immo de aqua cum pipere, hæc nequaquam danda eſſe ante coctionem. Cõtradictio.

Non eſt poſſibile tantos auctores rectè intelligere, niſi prius conſtet, quæ ſit vis horum medicamentorum ideſt quomodo differant diatrion, & diaſpoliticon, à Theriaca, & Mithridato. Quod igitur attinet ad Diatrion pipereon, hoc calefacit, & attenuat, ſed materias proximas tantum; eius enim vis non peruenit ad partes diſtantes. Quod etiam eſt ſtatuendum de diaſpolitico, præſertim quia fit non modo ex cimino, pipere, & ruta, ſed etiam ex nitro. Atquè ex Galeno quarto de tuend. val. 7. habet vim ſubducendi aluum, quando fit ex dictis medicamentis ruditer contuſis. Horum igitur medicamentorum vis calefaciens, attenuans, ac detergens, peruenire non poteſt ad locos remo tos; nõ enim tranſcit iecur. Contra vero dicendum eſt de theriaca: hæc enim inſigniter permeat, vt inſtar ignis per totam corporis molem diſpergatur. Præ terea pro intellectione dictorum Galeni, & Auicenæ cognoſcendum eſt quid ſibi voluerit Auicena per digeſtionem, quando dicit danda, & non danda eſſe medicamenta ante digeſtionem. Pro huius igitur rei declaratione ſciendum eſt, quòd concoctio eſt triplex, obſcura, euidens, & perfecta: non licet vti propoſitis medicamentis ante coctionem obſcuram; non enim debemus vti ſalſis, nec ſynapi, alijsve propoſitis: niſi incipiant aparere ſigna coctionis. Dum autem apparet coctio ſi obſcura ſit, licet vti ſynapi, & Diatrion pipereon, non autem diacalamento, neque medicamento ex aſſa, alijſquè propoſitis ab Auicena. Quando concoctio adeſt obſcura, licet vti tantum diatrion pipereon, diaſpoliticon, atque ijs, quæ non ita penetrant. Quando adſunt ſigna euiden tis coctionis, tunc licet vti ſalſis, ſynapi, diatrion pipereon, & diaſpoliticon. Sed differentia eſt, quoniam licet vti iſtis, vt dicit Galenus ſtatutis diebus, ideſt in die minoris afflictionis, verbi gratia ſi paroxiſmus inuadat die lunæ, dandum eſt medicamentum die mercurij, quia die lunæ adeſt acceſſio; die vero Martis corpus non vſque adeo bene ſe habet ob pręcedentem paroxiſmum, Die vero Mercurij magis diſtat à febre; & melius ſe habet, ideo dari debet ſtatutis diebus in die propoſita correſpõdente diei Mercurij. Verum dicit Auic.

Conciliatio.

Vis diatrion piperon.

Vis diaſpoliti tici.

Theriacæ vis

Auic. locus declaratur.

interdum ſingulis tribus diebus, interdum rarius; rarius ante digeſtionem.i. ſingulis ſex diebus, vt ſit intermiſſio duarum acceſſionem, hocquè modo progrediendum eſt in curatione, quod adhuc magis declaro. Quando adſunt ſigna coctionis obſcuræ, tunc cum Auicena dari debent medicamenta ante coctionem euidentem. Quando damus medicamentum tempore coctionis obſcuræ, tunc procul dubio ipſum damus ante coctionem euidentem. Et ob id opus eſt dare medicamentum ſtatutis diebus, ſicuti ait Galenus ſed ſingulis diebus, rariuſquè, vt dicit Auicena: quando autem adſunt ſigna coctionis euidentis tunc dare debemus medicamentum ſtatutis diebus, ideſt ſingulis tribus diebus.

Contra practicantes.

Propterea maxime errant practicãtes, qui dant indifferenter trochiſcos, & diatrion pipereon; ſolẽt enim iſti ante ſyrupum quotidie dare vel diatrion pipereon, vel piper, vel confectionem ex ſynapi, & huiuſmodi, peſsimè autem faciunt iſti, quia non modo nõ curant quartanas, ſed eas augent ex ſimplicibus reddendo duplices, & ex intermittentibus continuas, & hoc eſt, quod ſtatuebat Galenus quartanas in principio eſſe leniter tractandas. Quare ante coctionem obſcuram, & in genere nequaquam hæc detis, ſed mollioribus agatis. Vnde Auicena non excedebat oximel ſimp. quod dari poteſt cum ſyrupo de borragine, cum ſyrupo de pomis ſimplici, ſemperquè miſceatis petroſelinum, fæniculum, & piper. Vbi deinde apparent ſigna coctionis obſcuræ tũc detis ſingulis ſex diebus, in die à nobis propoſita, aliquid diatrion pipereon, & diaſpoliticon. Quando apparent poſtea ſigna coctionis euidentis date ſingulis tribus diebus, vt dicit Auicena, ſtatutis verò, & ſingulis ſex diebus, vt inquit Galenus, vt intrepretatur Auicena. In euiditi autem coctione non eſt dandum mithridatum, neq; therica; quoniam dari ſolum debent poſt ſtatũ, exquiſitamquè corporis purgationem, ratio eſt, quoniam hæc non ſunt medicamenta præparantia, ſed euacuantia, ex Galeno loco citato. Atque iſtis præparantibus vtẽdum eſt in quartana melancholica: in quartana vero atrabilari miſcere oportet, immo verò vti frigidis. Quare Auicena vtebatur ſyrupo viol. quo quidem licet vti, & ſyrupis etiam cichoraceis, & ſyrupo de ſucco acetoſæ. Et in ſumma cum Alexandro vtendum eſt ijs, quibus vti oportet in tertiana exquiſita, & ideo ipſe breuiter ſe expedit. Verum admonebat Auicena tradens quartanæ atrabilaris curationem vtendum eſſe refrigerãtibus, de quibus diximus in ſermone de febribus bilioſis, nõ tamen ſemper; ſed per primos dies tantum, vt tranſactis viginti diebus immiſceamus ea, quæ habẽt vim calefaciendi, & ſiccandi: non vt calefaciamus, ſed vt attenuemus. Ratio autem, qua adductus fuit Auicena, eſt hæc, quoniam in febre atrabilari, atrabilis fit à flaua bile, vel etiam ex ſanguine craſſo inſigniter exuſto, quę quidem materia præter id, quod calida eſt, ac ſicca, eſt etiam craſſa, & ideo exigit auxilium refrigerans, humectans, & attenuans, oportetquè primum ex Auicena vti auxilio refrigerante & humectante, deinde vero attenuante. Quare ipſe vtitur primum ſyrupis refrigerantibus, & humectantibus, deinde tranſacta vigeſima die attenuantibus, ideſt calefacientibus, atque ſiccantibus, quia reſpexit indicantia, quando ſilicet agendum, quod deſumitur ex præſentia indicantis, & ex abſentia impedire potentis, cum enim inter initia feruens ſit atrabilis, vt pote quæ genita ſit ex inſigni calore adurente, facit etiam diſpoſitionem febrilem intenſam, & ideo vtitur refrigerantibus, & humectantibus.

Vtrũ liceat dare confectiones magnas in euidenti coctione.

Quibus

Quibus quidem vti oportet, quia plus potest caliditas huius materiæ, quam crassities. Cum vero per triginta dies vsi fuerimus refrigerantibus & humectantibus, & proinde contemperantibus hanc materiam, tunc plus pōt crassities, quam caliditas, quia hæc est castigata ope frigidorum. Quare cum frigidis, nempe cū syr. viol. de pomis, & cū syr. de capillis veneris, & emulsione seminum melonum, oportet miscere habentia vim attenuandi, vt petroselinū, fęniculū, cetrach, & radices capparorum. Quæ quidem omnia calefaciūt, ac siccant: vtimur tamen ipsis, quatenus attenuant. Præterea addebat Gal. quotidie vtendum esse aqua cum pipere, non tamen statutis diebus: nam piper licèt calefaciat, & siccet, temperatur tamen beneficio aquæ, & illo vtebatur tm̄ in quartana exquisita, non in atrabilari. Propterea grauirer errauit Alexander, qui Gal. redarguit, eò quod Gal. non loquitur de febre atrabilari, vt ipse putauit. Vnde sibimet constans Gal. dicit, quando adsunt signa coctionis, inūgendum esse ventrem, vt corpus facile expurgetur: & danda esse euacuantia atros succos, & melancholicos per vomitum, vt aliquādo dandum sit album veratrum in virtute, & infusum, in radicibus, immo etiā in substātia. Et siquis non posset perferre vomitorium, oporteret per inferiora euacuare, non semel tantum, sed sæpius, si oportebit. Tandem Gal. iubebat dandam esse Theriacam, quibus in verbis nil aliud proponit, quam materiam auxiliorum euacuātiū, & qn̄ agendum. Atq; ibi loquitur Gal. de euacuantibus, & sensibiliter, & insensibiliter, nēpe per vomitū, per aluum, & per lotium, & per cutim; si quidē præter proposita, & frictiones, & balnea proponit. Vnde primum proponit vomitoriū, de quo non est quod hic multa dicamus, & præsertim de elleboro albo: illud tm̄ dico, quòd qn̄ adsunt cōditiones requisitæ, tunc licèt vti vomitorio, dummodo sit quartana melancholica: nam si febris sit atrabilaris, atra bilis per vomitū non est euacuanda. At in quartana melancholica, vbi nō licèt semper vti veratro albo, mitioribus agatis, ideo cum Auic. poteritis dare succum raphani cum semine, & oximel simpl. Sed licet etiam vti medicamentis per inferiora euacuantibus, & si quartana sit melancholica, oportet dare allicientia succos melancholicos, vt v.g. cum Auic. sénam, polipodiū, epithimū, & veratrū nigrū, quibus modo vno, modo alio modo vti licebit. In bolo ita pręscribere poteritis, v.g. Rec. elect. lenit. ℨ.5. cōfect. amech ℨ.3. cum saccharo fiat bol. In potu vero sic. Rec. cort. rad. veratri nigri ℨ.1. seminū anisorū, dauci an. gr̄ 10. fol. senæ ℨ.2. gingiberis gr̄.7. passularū dulciū ℨ.1. Decocti liquiritię, capillorū veneris in quo infusæ sint mirobolanorū nigrorū ℨ.2. q. 5. fiat infusio s. A. & reliqua: deinde adde mānæ ell. ℥.1. mellis ros. sol. ℥.1. s. misce & f. potio breuis. In quartana aūt sanguinea Auic. probat pro medicamēto per aluum euacuante chebulos mirobalanos, polipodiū, fumariā, syr. ros. Nec est quod quis dubitet, qūo in quartana sanguinea vtatur Auic. purgantibus; non. n. vtitur purgātibus ratione sanguinis, quoniā sanguis non euacuatur per medicamentum; sed ratione illius materiæ, quæ generatur ex sanguine, i. melancholicæ. Quare polipodio, epithimo, séna vti licet in quartana sanguinea, & deniq; ijs omnibus, quibus vti licet in quartana melancholica. Si autem quartana sit phlegmatica, ex phlegmate salso, Auicena præter polipodium, epithimumq;, probat etiam turbith: nec ab re; cognouit. n. opus esse medicamentis ratione materiæ, tum pituitosæ, tum etiam melancholicæ, ratione, inquam, pituitosæ, quæ est basis melancholicæ, prout materia melācholica gignitur ex phlegmate salso. Quare ipse vtitur turbith: vobis etiam vti licet agarico ratione pituitosæ,

Cōtra Alex.

Purgans in quartana melancholica.

Purgans in qnartana sanguinea.

Purgans in quartana phlegmatica

tuitosæ, polipodio autem & alijs ratione melancholiæ. In hac tamen febre non desistatis à sero lactis ca prini: nam quartana pituitosa necessario est a trabilaris. Vnde phlegma salsum non degenerat in melancholiam, nisi prius ver tatur in flauam bilem, & amarescat. Quæ flaua bilis producitur ex phlegmate salso, quod est calidum, pôt etiam immisceri syr. viol. sol. Itẽ etiam mel. viol. sol. quod magis etiã probo: nã ratione mellis fit detersio, qua opus est merito pituitæ.

Purgans in quartana biliosa.

Postremo si fuerit quartana atrabilaris biliosa, facta ex flaua bile, quæ vertatur in atram bilem, Auic. probat, admiscenda esse refrigerãtia, admittitquè sennam polipodium, epithimum, & alia huiusmodi atros humores euacuantia, quibus tamen admista sint refrigerantia, vt serum lactis. Aduertendũ tamen vbi non adest copia lactis caprini, vt in hyeme, licere vti sero lactis vac cini. Vnde in quartana atrabilari optimũ erit medicamẽtũ hoc Rec. flor. cass. nup excractæ ℥.5. conf. hamec ℥.2. cũ saccharo f. bol. Quibus deuoratis illico dẽtur seri lactis, vel caprini, vel vacini lib. 3. Præterea expedit etiã vti euac uã tibus per lotium ab Auic. propositis, quę tamen varia esse debent pro varia fe bre. Quare in quartana melancholica licet vti ijs, quæ habent vim attenuãdi, & calefaciendi, veluti est medicamentũ paratũ non modo ex cetrach. sed ẽt ex fœniculo, ex petroselino, ex dauco, ex asparagis, ex capparibus, & huiusmo di alijs diureticis, de quibus diximus in sermone de febribus pituitosis. Si aũt sit quartana atrabilaris vtendũ est refrigerantib⁹, exhiberiq; debet medicamentũ tale v.g. Rec. seri lactis caprini, vel vacini lib. 2. vel 3. Emulsionis seminum melonũ ℥.2. missæ. Non improbo syr. de liquiritia, nec syr. de capillis veneris: magis tamẽ probo emulsionẽ seminũ melonũ. Atq; si optatis, vt validi⁹ & sine detrimẽto reddatur medicamentũ, maceretis in sero lactis radices viri des, aut petroselini, aut etiã fœniculi; non enimerit validum diureticum, nec ob id calefaciet corpus, accendetq; materiã. Præterea proponuntur euacuan tia per cutim: atq; à Gal. loc. cit. huius auxilij duplex proponitur materia, vna quidẽ foris, altera verò intus adhibetur. Quæ foris administratur, est frictio, balneũq; monet tamẽ Gal. tutius esse vti frictione, quam balneo. Vnde si quis contentus sit frictionibus poterimus à balneo desistere. Ratio est, qm̃ à Gal. proponũtur moderatæ, & blãdæ frictiones, quæ non ita agitãt corpus, neque ita euocant materias, vt balneũ aquæ dulcis: & præsertim quia Gal. hoc auxilium proponit ante statũ, licèt corpus tũc non sit exactè expurgatũ. Præterea foris probat etiã Gal. vsum Theriacæ. nec Auic. addit mithridatũ, sed medica mentum ex assa, liceat etiã addere diacalamentũ. At non sufficit nosse materiam auxiliorum, sed nosse etiam oportet, quando agendum. Si Galeni dicta rectè perpendantur, is proponens euacuãtia materias, aliquibus ante, aliquibus post, aliquibus & ante, & post statum vtitur; vtitur enim vomitorijs, & euacuantibus per aluum, & ante, & post statum, diureticis vero post statum, licèt nondum exactè expurgatum sit corpus, euacuantia tamen per cutim. Theriaca verò vtitur post statum tantum, & post corporis euaeuationem, vel per vomitum, vel per aluum. Ratio est, quoniam, quæ habent vim euacuandi per cutim, ut Theriaca, maximè agitant materias compellendo à centro ad circumferentiam; & præsertim si contingat, quod materia sit cruda, vel etiam cocta, & copiosa, vt non possit euacuari, sed hæreat meatibus, & augeat potius obstructiones. Vnde non ab re quartana ex simplici fiat duplex, ex intermittente fiat continua.

Diuretica.

Euacuantia per cutim.

T Secus

Secus aũt dicendum est de medicamẽtis purgantibus per aluum. Et ob id ait Gal. vbi adsunt signa coctionis, optimum esse expurgare non tantum semel; sed etiam sępius, si opus sit. Vbi Gal. per signa coctionis non intelligit signa coctionis post statum ægritudinis; sed signa coctionis, & quidem perfectæ; ratione tamen portionis materiæ tantum, nõ totius materiæ, & hoc ostendo ex verbis ipsiusmet Gal. Nam vbi dixit antea vtendum esse medicamentis propositis post statum, statim subdit, & cum signa apparuerint coctionis oportet euacuare, & semel, & sępius, si oportuerit: si dicit Gal. exhibenda esse medicamenta post statum, cur infert, & si signa coctionis apparuerint? Non ne post statum adsunt signa coctionis? hoc certè nulli dubium est; ergo voluit inferre vtendũ esse illis medicamentis post statum, & si signa coctionis apparuerint, opus esse purgare atros humores, & semel, & sæpius, si oportuerit; cognouit .n. in quartana melancholica materiam redũdantem esse, & copiosam, & crassam, adeo vt non possit eodem tempore tota concoqui, sed partim concoquitur, partim cruda permanet: *prout magis, vel minus crassa est, atque remota.* Vnde quãdo portio illius est cocta, cum sit excrementitia, nec possit in halitum conuerti, *nec in eodem statu persistere: propterea nisi euacuetur, putrescit.* Quare materia est partim coquenda, partim euacuanda. Vnde si volueritis pręter spem, & opinionem multorum curare quartanas, oportet eodem ferè modo progredi, quo etiam progredi solemus in præparatione corporis ad assumendum guaiacum. Vos igitur debetis inter initia dare syrupos illos leuiores, propositos per sex, vel septem dies, deinde medicamentum purgans, (non loquor nunc de euacuatione sanguinis quia hanc suppono.) Post medicamentum purgans oportet rursus vti syrupis per septem, vel octo dies, sed mediocribus; *deinde rursus aliud dari debet medicamentum, postea in die quietis* detur syrupus qui habeat vim aliquam euacuandi. Vnde v.g. poteritis in decocto aut liquiritiæ, aut borraginis, vel cæpillorum veneris infundere foliorũ sennæ ℥.2. atque addere syrupi de pomis simp. ℥.1. & dare die quietiori. In alia autem die non tam quieta, idest in ea, quæ succedit accessioni, debetis dare illud medicamentum, quod dicit Galenus dandum esse statutis diebus, eò qđ eligere oportet diem quietiorem potius ratione euacuantis, quam præparantis, veluti diatrion pipereon, diaspoliticon, aromaticon rosſ. trochiscos de eupatorio, de capparibus ad ℈.i. deinde verò statim syrupum mediocrem. v.g. syrupũ de duabus rad. de quinq; radicibus cum decocto petroselini, cũ quibus misceatis etiam mitiora, vt borraginẽ, aut capillum veneris, aut liquiritiam, aut aliud simile. In die etiam afflictionis, quandoquè est tempus opportunũ dandi syrupum, vt si accedat febris v.g. vigesima secunda hora diei, potest dari cibus decimaquinta vel decimasexta hora. Quare licet dare syrupum hora vndecima, vel duodecima, idest per horas tres, aut quatuor ante cibum: ea tamen die non detis soluens, nec syrupum sol. nec diatrion pipereon, nec trochiscos, & hoc, ne beneficium, quod vna die assequimini alia die amittatis; non enim debetis ea die ita calefacere. Quare licet ea die vti potius syrupo mitiore, vt syr. de pomis simpl. & syrupo de liquiritia. Id tamen obseruandum, quo magis progreditur febris, magisquè euidentis coctionis signa apparent, vt frequentius etiam diatrion pipereon, idest singulis sex diebus detis: item & syrup. sol. & diaspoliticon: antecedentibus autem diebus detis hæc singulis sex diebus, cuius rationem supra audiuistis. Constitutum ergo sit danda esse purgantia per aluum non modo post, sed etiam ante statum. Sed quæ debent

Per signa coctionis qui intelligat Gal.

Meth. procedendi in curandis quartanis præter spem.

esse alterantia in quartana? modo calefacientia, modo refrigerantia, semper tamen humectantia, aut certè vt plurimum: nam rarissimè debent esse siccantia, quod declaro. Si quartana sit melancholica pro corroboratione vtendũ est modo refrigerantibus, modo calefacientibus, (loquor nunc de quartana exquisita exactè.) Propterea non credatis Gal. 1. ad Glauc. vsum fuisse Theriaca pro corroboratione; si enim id præstasset, ego certè eum nescirem defendere, sed illa vsus fuit pro euacuatione materiæ; nam in hac febre vtendũ est refrigerantibus aliquando, non tamen ratione febris, quia febris est remissa, nec etiã ratione materiæ, quia hæc est frigida, & crassa, sed ratione causæ producentis excrementum melancholicum, quæ necessario est calida, & hæc est caliditas iecoris: vnde miseri quartanarij nunquam sanantur, sed febris aliquñ spatio vnius anni protrahitur: propter quam causam ægri nolunt se subijcere curationi, quoniam vbi id præstant, non modo non curatur febris, sed potius augetur; ego enim sæpe vidi quartanas ex simplicibus fieri duplices, quoniã medici vtebantur calefaciẽtibus, & proinde augentibus caliditatem iecoris, & ideo vtendum est refrigerantibus iecur. Quare in syrupis, in cibis, in omnibus remedijs semper miscenda sunt refrigerantia, nõ tamen in quartana qualibet exquisita exactè, pro quo notandum est quartanam, quæ fit ex melãcholia excremẽtitia, posse esse duplicẽ, vel. n. fit, quia viget causa generãs, vel quia viget causa detinens, idest imbecillitas, & tumor lienis, nisi. n. esset lienis imbecillitas, iecur sui caliditate non generasset tantam copiam excrementi melancholici, sed hoc producitur, quia detinetur. Quare in hac febre vtendũ est calefacientibus, quibus cum medici vtantur, quãdo adest tumor lienis, & res bene succedant, ideo ipsi deinde indifferẽter vtuntur, perperam tamen agũt. Quare vos debetis vti refrigerantibus, nisi sit imbecillitas lienis, tunc. n. vtendum est *calefacientibus*. Hæc autem ex aliàs dictis patent. Constat etiam quomodo liceat vti refrigerantibus in quartana atrabilari. Differentia autem est inter quartanam atrabilarem, & quartanam melancholicam, quoniam licèt in vtraque vti liceat frigidis, frigidioribus tamen est vtendum in atrabilari. Vnde Alex. in quartana atrabilari proponit frigidam. Aetius etiam ait frigidæ beneficio quartanã extirpatam fuisse, q̃ dedit ad quantitatem lib. 2. in die accessionis, vbi tñ adsunt ea, quæ permittunt frigidę administrationẽ, (supponenda. n. semper sunt coindicantia) expedit igitur in die accessionis vti frigida. Nec Aetius aduersatur Auicenæ, qui in quartana atrabilari videtur improbare frigidam, quia improbat Auic. frigidam in die accessionis pro potu, p̃ro medicamento. n. frigida ad libras ij est præbenda, qua rõne eã p̃bet Aeti⁹.

Quartana ex melancholia excrementitia duplex.

Contra medicos quosdã.

Frigidæ vtilitas in atrabilari quartana.

His p̃terea addenda est congrua victus ratio; atq; cum dixerit Gal. 2. Aph. 25. quartanas desinere potissimũ tẽpore veris, quia tunc mouentur humores ad circũferentiã, & euaporant, nec detinẽtur vt in hyeme, ideo collocãdi sũt ægri in aere, qui proportione respõdeat aeri verno. Quare tp̃e hyemis collocetis ægros in cubiculis, vbi sint hipocausta; ego. n. expertus fui aliquos beneficio huius aeris, reliquorũq; auxiliorũ, à quartana liberatos fuisse. Cibi sint tales, quales proponit Gal. vbi ait abstinendũ esse à carnibus suillis, à cibis crassi succi, difficilisq; coctionis. Vtebatur aũt ipse salsis, synapi & carnibus mollioribus & humectantibus. Vtebatur quidem salsis, ac synapi ratione præparationis, & ideo ea probantur etiam ab Auicena ante comitum, vt attenuetur materia. Pro potu Galenus dat vinum substantiæ tenuis, & mediocre, nec præter rationem, quoniam respicit quartanam, quæ

Dięta.

Aer.

Cibus.

Potus.

fit à

fit à frigida, crassaquè materia, non enim loquitur de quartana atrabilari, in qua nequaquam dandum est vinum, sed de quartana exactè exquisita: quando autem Galenus det vinum, colligitur ab eo, quod habet vim indicandi. Hæc autem indicantia sunt tria, virtus, febris, & causa febris. Quo ad virtutem, cum hæc inter initia sit valida, licèt indicet alimentum, cuius materia est vinum, parum tamen potest ad indicandam vini exhibitionem. Quo ad febrem licèt hæc potius prohibeat vinum, non multum tamen potest, quia est remissa, sermo enim fit de quartana intermittente exquisita, quæ longum habet interuallum. Quo ad causam febris, idest ad materiam, cum hæc sit melancholica, frigida, crassaquè, ideo indicat auxilium calidum, attenuansquè, cuius materia est vinum à Galeno propositum. At si consideremus cruditatem materiæ, hæc prohibet vinum, & plus potest cruditas, quam frigiditas, & crassities, & quam virtus, & ob id ante coctionem materiæ non dandum est vinum. Plus autem posse cruditatem, facile probatur, nam si cruditas materiæ biliosæ vinum prohibet (dicit enim Galenus primo ad Glauc. cap. de cura tertianæ exquisitæ, dandum esse vinum, quando materia incipit concoqui, vt ex eo loco colligendum sit, nō esse dandum vinum, quia id prohibet cruditas materiæ. Inhibet autem cruditas materiæ, quoniam si detur vinum ipsa cruda existente, deducetur per venas, & ideo fient obstructiones, quæ imminent magis ratione materiæ melancholicæ, quia est crassior, quam biliosa) multo magis vini exhibitionem inhibere debet cruditas materiæ melancholicæ, quæ est crassa. Indicantia tēpus dandi vinum.

Nec obstat dictum Galeni, cum ait hæc esse agenda à principio vsq; ad statum: quibus in verbis vinum etiam proposuit, ergo vinum est exhibendum. Nam oportet locum Galeni rectè interpretari, alioqui impossibile esset eum tueri; is enim antequam dicat, hæc esse agenda à principio vsque ad statum, in medium affert non modo vinum, sed & clysteres, dicitquè mollioribus vtēdum esse à principio, deinde vero acrioribus. Quare si Galenus ante etiam proposuit clysteres, & subdit hæc esse agenda a principio vsque ad statum, tamen ob id noluit inferre vtendum esse omnibus propositis à principio vsque ad finem, sed aliquibus in principio, aliquibus in augumento, aliquibus in statu, & hoc modo Galenum interpretatur Aetius. Quare vinum est concedendum ante statum, apparentibus tamen signis coctionis. Postremo febris hæc habet hoc vnum peculiare ex Galeno loco citato quòd ipsa existente quādo est intermittens, & habet interuallum valdè lōgum, estquè mitis, quantum ad viuendi rationem pertinet; febricitantes possunt exire domo in die quietis, & suas obire actiones, & se ipsos moderatè exercere. Hæc de quartana, qualiscunque sit, satis. Gal. locus explicatur.

DE FEBRIBVS QVINTANIS, SEPTANIS, octanis, & nonanis.

Post tractatum de quartana, Auicena, vt expediat totum sermonem de febribus melancholicis, non nulla proponit de febribus quintanis, septanis, octanis, & nonanis. Verum quia febres hæ sunt melancholicæ, similemquè Cōtinuatio.

requirũt curationem curationi iam dictarum febrium, ideo sufficiet circa has duo tantum explicare, vnum, an dentur, alterum, an prodeant ex eadem materia.

Virum dent feb. quintanæ &c.

Quo ad primum ex Hipp. primo Epid. 3. 2. & 9. febres hæ dantur: cui sententiæ assentit etiam Auicena. At altera ex parte Galenus loco citato & præcipuè primo Epid. 3. 2. ait has febres non dari: quod comprobat multis modis.

Rationes Galeni prima.

Primo ait se nunquam obseruasse periodum febris vltra quintanam, & hanc valdè obscuram, & rarissimè, vt ratione, & obscuritatis, & raritatis non sit dicendum dari quintanam febrem; quod enim semel, aut bis euenit, perinde haberi debet, ac si nunquam inueniretur: hoc enim casu dicendum est potius euenire.

Secunda.

Secundo si darẽtur hæ febres, oporteret imaginari dari alios humores, prçter biliosos, pituitosos, & melancholicos; pituita enim excitat periodos quotidianas, bilis triduanas, melancholia quatriduanas. Si igitur (dicit Galenus) darentur aliæ periodi, ergo darentur & alij humores.

Tertia.

Tertio, inquit Galenus, mirum est, si dentur febres hæ, quod non proposuerit Hippocr. in Epid. casum alicuius patientis has febres.

Quarta.

Quarto ait, si febres hæ quandoquè obseruantur, ipsæ fiunt potius ex errore in victu: ita vt sint potius in prauum victum referendæ, quam in materiam determinatam. Atque ita Galenus interpretatur Hippocratem, quod videlicet, *fieri potest aliqua* à quibusdam addita fuisse dictis Hippocratis. Nam Gal. sibi met constans primo Epid. 3. 64. agens de his febribus ait, aliqua adiecta fuisse dictis Hippocratis, & ob id ipse dicit primo de diff. feb. quinto se obseruasse periodum quintanam tantum, sed valdè obscuram.

Opinio propria.

Quid igitur dicendum pro veritate huius rei? sumus medici, & ob id necesse est, vt experientiæ ipsi fidem adhibeamus. Auicena vidit has febres, Item Hippocr. & consumatissimi huius temporis medici obseruant has omnes febres.

Periodus febris octanæ.

Fateor etiam ego, me annis elapsis obseruasse in nobili quodam ferrariensi febrem octanã, quæ etiam durauit per tres menses singulis octo diebus periodicans. Sed & præter experientiam addo etiam rationem, quæ desumitur ex Auic. qui in tract. de febribus pituitosis dicit, materiam pituitosam quandoquè excitare periodos triduanas, & hoc, quia colligitur in pauciori copia, quam vt possit excitare periodum, quæ debet excitari ratione proprietatis materiæ; proprietas. n. pituitæ exigit, vt periodus excitetur quotidiana, modo pituita sit in debita quantitate; si enim non sit in sufficienti copia, potest excitare periodos triduanas. Si hoc est verum de materia pituitosa, cur hoc est denegandum de materia melancholica.

Responsio ad rationes Galeni.

Quare præter experientiã adest & ratio ipsa. Vnde nihil valet prima ratio, cum inquit Galenus nunquam vidisse has febres, ergo non dari, eo quod Galenus ipsæ non potuit omnia vidisse. Præterea non cogimur fateri, dari nouos humores, quoniam febres hę fiunt à nigra bile, sed in pauca quantitate: & licet Hippocr. nullum proposuerit casum patientis has febres; huius causa fuit, quia proponit ibi ægritudines epidemicas, quales non sunt hæ febres. Quod etiam febres hæ fiant ob errores in victu perpetratos, non est satis tutum dicere; quoniam licèt hoc fieri possit, nõ est tamen necessariũ. Et ideo cum huiusmodi febres inuadant statutis diebus, necesse est, vt ipsæ referantur in determinatam materiam.

Quod deniquè hæc sint adiecta dictis Hippoc. hoc quoque est volũtarium,

vt potius credendum sit fuisse sententiam Hippocr. quando adsint experientia,& ratio,& huic se subscribat etiam Auicena; dantur ergo hæ febres.

Sed ex quanam materia ducunt originem? nescio ego quis hoc explicet, sed pro veritate dico quintanam esse febrem atrabilarem; reliquas verò esse febres melancholicas,cuius dicti hæc potest esse ratio: nam cum producātur periodi ob paucitatem materiæ,quia atrabilis est mordax, non excedit quintam diem; excedit tamen quartam, quia est pauca. Materia autem melancholica, quia est pauca excedit quartam,& quoniam non est mordax,sed frigida,& crassa,non modo quartam,sed & quintam excedit,vt possit esse periodus septana,octana,& etiam nonana. Veritas hæc aliqua ex parte potest colgi ex Hippo.qui primo Epid.tertio 70.habet,febrem quintanam esse lethalē: nam siue ante, siue post tabem accedat interficit. Voluit autem septanas & octanas non esse periculosas, nonam verò esse longiorem. Vnde orianť quintana&c.

His verbis,vt puto,voluit significare Hippocr.quintanam fieri ex atra bile, reliquas verò ex materia melācholica,ob id quintana est periculosa,septana, & octana sunt salubres; nonana verò longior, quia fit ex materia crassiore, q̃ difficilius vincitur. Animaduertendum est autem, non omnem quintanam esse lethalem: nam si quartana atrabilaris admittit curationem, licèt sit periculosa,cur etiam non potest curari quintana, cum fiat ab atra bile pauciore? Est ergo lethalis non simpliciter,sed quando accedit vel ante,vel post tabem, idest quando iungitur cum hectica, quæ modo est, modo non est tabida.Quare,& ante tabem,& post tabem est lethalis,eo quod natura non potest sustinere,& hecticam,& atrabilarem febrem: & hæc de his febribus dicta sufficiant. Hipp.locus explicatur.

DE FEBRE PESTILENTI.

Auicena in tractatu de febribus principalibus vltimo loco agit de febre pestilenti,vt procedat à simplicioribus ad minus simplicia; cum enim febris ea ratione cōstituatur simplex,quoniam sub unico genere cōtinetur, vt ephemera sub genere ephemerarum,putrida sub genere patridarum, hectica sub genere hecticarum, febris tamen pestilens non sub vnico genere clauditur, eò quod potest esse febris hectica pestilens, & sic sub genere hecticarum comprehenditur: potest etiam esse putrida & sic sub genere putridarum continetur & potest esse ephemera,& sub genere ephemerarum collocatur; & sic procedit Auicena à magis simplicibus, ad minus simplicia. Ratio ordinis Auicenę.

Per febrem autem pestilentem nos intelligimus quancunque febrem pestilentem,siue sit epidemica,siue non,& ideo loquimur de febre,de qua agit etiam Galenus primo de rat.vict.9.& primo Epid.primo inter initia, & sexto Epid.secundo 29.Item primo de diff. feb. 3.5. & alibi passim. Febris itaquè pestilens *est, febris causata à putredine venefica.* Nomen. Definitio.

Per febrem intelligimus calidam intemperiem totius. Diximus, febrem hanc causari à putredine, quia vult Galenus primo de diff.feb. quinto febres omnes pestilentes fieri ex putredine. Quare necesse est,vt hic concurrat causa putrida, quæ quidem est venefica,vt colligitur ex Galeno secundo de Nat. hum.quarto,vbi vult euaporationem, vt ita dixerim, pestilentem agere, non

modo

modo secundum qualitates manifestas, sed etiam secundum proprietatem totius substantiæ à qualitate occulta.

Putredo venefica tria habet.

Sciendum autem pro huius rei cognitione, in causa hæc putrida, & in putredine hac venefica esse tria: primo habet vim calefaciendi, quoniam materia putrida non est expers caloris extranei; scitis enim putredinem fieri à calore extraneo. Secundo habet vim putrefaciendi, vt patet in pomo putrefacto. Tertio, quatenus putredo habet vim calefaciendi, & putrefaciendi: quatenus verò putredo excellens, & venefica aduersatur proprietatibus corporis nostri, & ita quidem, vt ipsas plurimum lædat. Ideoquè dicit Galenus pestilentes febres differre à reliquis penes excellentiam putredinis, quæ quidem ex Galeno secũdo de Natura hum. loco supra citato, lædit qualitatibus, & manifestis & occultis. Cum igitur hęc sit vis putredinis veneficæ inquiramus modo, quidnam agat in corpus humanum, quando corpori occurrit, cum habeat vim calefaciendi, putrefaciendi, & lædendi proprietates corporis. Et si ad excitandam hãc febrẽ, necessarium est cor ipsum lædi, videamus quænam sit læsio cordis. Cumquè cor constet ex spiritibus, humoribus, & solidis, cognoscendum est etiam quidnam agat in hæc tria subiecta putredo hæc venefica.

Num detur ephemera febris pestilẽs.

Consideretis quæso, primum spiritus, vt cognoscatis, nunquid detur ephemera pestilens nec nè. Causa hęc venefica potest calefacere spiritus (hoc nõ debetis negare, quia sic negaretis sensum ipsum) potest ipsos ponere in calefacto esse; cum enim sint magis dispositi, quam reliquę partes; quando occurrit causa hæc putrefactiua venefica, non ne in ipsos agere debet? nemo certè sanę mentis vnquam hoc negabit. Præterea cum Galenus primo de diff. feb. 3. velit febrem pestilentem fieri ex inspiratione aeris pestilentis, hic aer non nè potest agere in spiritus? eos igitur calefaciet, eorumquè proprietates plurimũ lædet, eo quod aer veneficus proprietatem habet maximè spiritibus aduersariam, ex his igitur manifestum est dari febrem pestilentem ephemeram. Verum licèt detur febris pestilens ephemera, non datur tamen ephemera putrida, quia licèt fiat quidem ex causa putrida venefica, non fit tamen ex ipsa, quatenus putrefaciens, sed quatenus causa calefaciens atque lędens proprietates spirituum: & in hoc errauit Altimarus, qui voluit corrumpi, atque putrefieri spiritus. Propterea hoc cognoscens Galenus primo de diff. feb. quinto voluit febrem hecticam & putridam fieri ex putredine, ephemeram verò nequaquam. Vnde probat dogma illud antiquorum, omnes febres fieri ex putredine volentium, exceptis ephemeris, quæ non fiunt ex illa putredine. Excipit Galenus ephemeras secundum sensum iam dictum, nempè nõ quod ephemera non possit fieri ex causa putrida, sed quod non possit fieri ex causa putrida putrefaciente, & ideo explicemus Galenum secundum eundem sensum primo de diff. feb. quinto qui cum asseruerit ephemeram non fieri ex putredine sumpta occasione à febre pestilenti dicit, cum fit ephemera ex bubone, dubio procul fiet ex materia putrida, eo quod in loco inflammato putrescit materia. Verum à loco putrido putredo circonscribitur ita, vt nihil putridi petat cor, sicut in putridis febribus, vnde in ephemera, ex inflammatione ex materia putrescente fit quidem tanquam ex causa calefaciente. Quod hoc sit verum, patet, quoniam dicit Galenus, communicatur caliditas per partem, post partem cordi, si enim communicaretur putredo, tunc febris illa esse putrida.

Contra Altimarum.

Gal. locus explicatur.

Propterea

Propterea constitutum sit febrem pestilentem ephemeram fieri ex causa calefaciente putrida; alioquin enim non esset febris, atq; lædente proprietates spirituum, alioqui non esset pestilens.

At dicet aliquis, si causa, & putredo hæc venefica potest calefacere, putrefacere, & lædere proprietates, cur est, quod in ephemera calefacit, leditq; proprietates solum, non autem putrefacit, vt in hectica, & putrida? Respondens dico, quoniam agens agit secundum dispositionem passi: non possunt putrescere spiritus (& ideo maxime errauit Altimarus) quia putrefactio fit à calore extraneo rarefaciente humidum, & euocante calorem corporis putrescentis, cum quo humidum etiam euocatur. Quare oportet vt sit caliditas insignior in calore putrefaciente, quam in substantia, quæ putrescit. Hinc fit, quod ignis non potest putrescere, vt dicit Aristoteles 4. metheor. circa initia & nos in primo libro declarauimus, cùm de putredine egimus. Quare cum calidissimi sint spiritus, ita vt nihil ijs sit calidius, ideo non possunt putrescere. Et purum figmentum est illud, quod ait Altimarus, qui vult spiritus putrescere, eò quod redduntur impuri ratione aeris pestilentis, & alicuius materiæ vaporosæ putridæ, malignæ, ratione cuius impuritatis possunt putrescere. Hoc, inquam, est merè chymericum, quia maligna hæc materia, quando miscetur cum spiritibus tunc agit quidem in ipsis, sed cum sint calidiores non possunt ab ea putrefieri corrumpiuè, sed solum alterari. Vnde non est quod quis dicat hanc putredinem esse veneficam, & aerem pestilentem esse veneficum, & proindè posse corrumpere, & putrefacere spiritus, quia hoc est falsissimum, quoniam Galenus 12. meth. quinto vbi diligenter agit de noxa spirituum dicit, spiritus vel alterari, vel corrumpi & declarans quomodo alterantur dicit ex succis, vitiosis, ex aere pestilenti, ex venenis, siue ex animalibus, siue quomodocũq; ex inanimatis desumantur, ex quibus patet quomodo ex Galeno à causa venefica, siue hæc sit succus vitiosus, siue aer pestilens, siue quęuis alia res, non corrumpuntur spiritus, sed alterantur tantum; patiuntur enim secundum occultam qualitatem; atque ita non secundum manifestas solum, sed etiam secundum occultas qualitates alterantur. Declarans autem quomodo corrumpãtur dicit, ex defectu alimenti, ex insigni dissolutione, euacuationequè, & in summa ex ijs, quæ spiritus quidem dissoluunt, non tamen putrefaciunt. Quare causa putrida venefica agens in spiritus agit calefaciendo, lædendoq; eorum proprietatem, idest alterando secundum qualitatem, & manifestam, & occultam. Vnde cum ab ipsa reddantur in calefacto esse, eorumq; caliditas fuerit vniuerso corpori communicata dicitur febris ephemera, eo quod fit ex primum calefactis spiritibus; dicitur autem pestilens, non quia causa putrefaciat; non enim potest spiritus putrefacere, sed quia illos alterat, & hæc est etiã pessima febris.

Dubitatio.

Solutio.

Spiritus dupliciter læduntur.

Quod si causa hæc venefica agat in humores cordis, ipsa agit calefaciẽdo, putrefaciendo, & lædendo proprietates humorum, & hæc dicitur febris putrida, sed putrida pestilens. Arbitrorquè notissimum esse causam hanc tribus his modis posse agere, quia humores possunt reddi in calefacto esse, possunt putrescere, & lædi secundum proprietatem. Vnde febris hæc distinguitur à febre non pestilenti putrida, non omnibus tamen modis; sed secundum aliquos tantum: in hoc enim conueniunt, quod in vtraque, in putrida silicet pestilenti, & non pestilenti, redduntur humores in calefacto esse, & à causa putrida:

Humores tripliciter lędũtur.

Qũo conueniant & differant feb. pestilens, & febr. non pestilens putrida.

da: differunt tamen inter ſe primum ratione cauſæ calefacientis, putrefacientis, lædentiſquè ſecundum proprietatem. Vnde mirum non debet eſſe, ſi Gal. hanc vocauerit excellentem putredinem. Differentia autem eſt penes caliditatem, propterea quod cauſa hæc vſque adeò calefacit, vt in calefacto eſſe ponantur nō modo humores cordis, ſed etiam ſolida ſubſtantia eiuſdē. Quod cognoſcens Gal. 3. de præſag. ex pul. 3. dicit diſcrimen eſſe inter febres putridas peſtilentes, & reliquas, quoniam in putridis peſtilentibus pulſus non eſt validus, quia concommitatur intemperiem corporis cordis. Vnde, vt ait Galenus in cap. præcedenti, licèt in febre ardenti feruor ſit inſignis, virtus tamen conſtat, eò quod ſolida cordis ſubſtantia poſita eſt in calefieri tantum. Quare ſi pulſus non eſt validus in febre putrida peſtilenti, cum ſequatur intemperiem corporis cordis, ergo in hac febre ponuntur etiam ſolida cordis in calefacto eſſe, licèt in habitudine tantum. Differentia etiam eſt ratione cauſæ putrefacientis, quoniam in febre peſtilenti non modo ponuntur humores in calefacto eſſe, uerum etiam propria humorum ſubſtantia putreſcit, atque corrūpitur, tanta eſt huius putridæ veneficæ materiæ vis, atque pernities. Vnde mirum non videatur, ſi in febre putrida peſtilenti ſolida cordis ſubſtantia ponatur in calefacto eſſe, non autem in febre putrida non peſtilenti, quando humores cordis putreſcunt, in hac enim putreſcentes calefaciunt tantum ponuntquè in calefacto eſſe ſolidam cordis ſubſtantiam, nō tamen putrefaciūt. At in febre putrida peſtilenti non modo humores calefiunt, ſed etiam putreſiunt, vt ob id Gal. 6. Epid. ſecundo 29. eā ſtatuat putredinem excellentem. Aduertendum tamen putredinem hanc veneficam non putrefacere omnes humores, ita vt vndique putreſcāt; quoniam ſic nequaquam perſiſteret vita, quæ quidem ſeruatur, & febris etiam poteſt eſſe ſalubris, & remoueri: vt ob id hanc cauſam ſtatuendum ſit humores ſecundum aliquam tantum partem putreſcere. Hinc fit, vt cum humores afficiantur non modo caliditate, ſed etiam putredine, neceſſe ſit, ſolidam cordis ſubſtantiam affici caliditate in facto eſſe, & ita permanente, vt langueant vires, vt pulſus ſint debiliores, quam ſint in putrida non peſtilenti. Et hoc propoſuit Gal. 3. de præſag. ex pul. 3. *vbi ait, in febre putrida peſtilenti pulſus non eſſe validos*, quia concomitantur intemperiem non tantum humorum, ſed etiam corporis cordis, ad differentiam febris ardentis non peſtilentis.

Præter authoritatem Galeni adeſt etiam ratio: nam ſi introducitur hectica febris ex vlcere pulmonis, & ex materia illa purulenta, quoniam eſt proxima cordi, quid dicendum eſt de materia putreſcente in corde? nonnè dictat ratio, eſſe neceſſarium, vt ſolida cordis ſubſtantia ea afficiatur caliditate, quæ permanentiam habeat, morboſaquè ſit? hoc certè nulli dubium eſt? Quinimmo ita poteſt putredo hæc in humoribus agere, vt non modo cor afficiatur caliditate in habitudine, ſed etiam in habitu. Vnde talis eſt progreſſus in febre putrida peſtilenti, vt ob caliditatem, putredinemq; in humoribus cordis, primum ſolida cordis ſubſtantia afficiatur caliditate, quæ non habeat permanētiam, vt ſit caliditas prius dependens, deinde verò introducatur caliditas permanens, quæ tamen breuem habet permanentiam, & eſt in habitudine tantum, & præſertim quando ægri ſe ſubijciunt curationi eorum medicorum, qui dant calidiora medicamenta, vt ſcordeum, & alia huiuſmodi calefacientia, à quibus tanquam à peſte cauēdum eſt; quoniam cum cauſa huius febris

ſit

ſit calefaciens ſolidam cordis ſubſtantiam, ipſa eſt magis imprimens calidita tem, quam ſit in febre ardente, quare ſi illi occurratur peſtiferis illis calefacientibus, caliditas, quæ eſt in habitudine, fit in habitu; & in habitu quidem, non modo ſecundum cor, ſed etiam ſecundum totum corpus: vt ęgri dicant, ſe non febricitare. Ex cauſa hac venefica non modo incaleſcunt, & putreſcunt humores cordis, verum etiam caliditate afficitur ſolida cordis ſubſtantia, & caliditate quidem permanente, primum in habitudine, tandem vero in habitu. Cauſa etiam hæc agit ratione proprietatis occultæ, ideſt caliditatis, & venenoſitatis, & ſic fit febris peſtilens; non poteſt enim eſſe peſtilēs, niſi concurrat proprietas, quæ quidem peſſima eſt, & aduerſatur ſpiritibus, & humoribus, & ſolidis partibus cordis. Verum ad conſtituendam febrem peſtilentem putridam ſufficit, vt proprietas humorum lædatur. At ſi contingat, vt aliqua ex parte lædantur proprietas ſolidorum etiam, tunc fit non modo febris putrida peſtilens, ſed etiam putrida peſtilens iuncta cum hectica febre. Aduertendum tamen hic eſt, hanc aliquando iungi cum hectica non peſtilenti, & quandoq; cū hectica peſtilenti. Cōiungitur putrida peſtilens cum hectica non peſtilenti, quando ſolida cordis ſubſtantia afficitur caliditate in habitu, nondum tamen læditur proprietas; & proinde quando putredo agit vi caliditatis, non venenoſitatis; & ideo eſt ſimpliciter hectica. At ſi putredo ſimul etiam agat vi venenoſitatis, ratione qualitatis malignæ occultę, quam tetigit etiam Galenus tertio de præſag. ex pulſ. 2. tunc cum putrida peſtilenti iungitur etiam hectica peſtilens: hectica quidem, quia caliditas eſt fixa: peſtilens verò quia læditur proprietas. Et eſt febris deterrima quidem, non lethalis tamen, vt audietis in ſermone de prognoſtico.

Ad conſtituendam ſimiliter hecticam peſtilentem pariter concurrat oportet cauſa venefica, quæ tripliciter agere, vt diximus, poteſt, calefaciendo, putrefaciendo, & lædendo proprietates. Ad producendam itaq; hecticam neceſſe eſt, vt talis cauſa agat calefaciendo, vt ſolida cordis ſubſtantia ſit principaliter calefacta, & caliditas illa permanentiam habeat: vt ſublata cauſa non illico & ipſa tollatur, nondum tamen eſt peſtilens, ſed tantum febris: cum aūt ſit hectica, neceſſe etiam eſt, vt agat ratione venenoſitatis: non autem ratione putrefactionis, licèt hoc quidem intendum contingere poſſit. Vnde hic duo ſunt nobis explicanda, primū non eſſe neceſſarium, vt putredo venefica agat putrefaciendo. Secundum euenire quandoque poſſe, vt ipſa agat putrefaciēdo etiam ſolidam cordis ſubſtantiam. Quo ad primum, hoc rei natura oſtendit (cui ſatius erat Altimarum, & reliquos potius, quam auctoritatibus innixos fuiſſe) quæ quidem omnia docet; nemo enim poteſt negare putredinem veneficam, & calefacere, & proprietatem lædere: nam ſi ſit cauſa venefica proxima cordi, v.g. aer inſpiratus veneficus, hic dubio procul calefacere pōt, hoc enim nulli dubiū eſt: ſi poteſt calefacere, certè fiet febris, & quidē febris hectica. Cur autem talis fiet febris? non alia certè de cauſa, niſi quoniam cauſa illa primum agit in cor; hoc enim non eſt impoſſibile ex Galeno primo de diff. feb. primo. Interdum autem eſt adeo diſpoſitum cordis corpus, vt quemadmodum ait Galenus tertio de præſag. ex pul. ſecundo, ex aere peſtilenti à proprietate contraria venefica præcipue affici poſſit. Si igitur cauſa hęc agat calefaciendo, & lædendo proprietates, non putrefaciendo, quænam febris erit hæc? Certè cum primum afficiatur ſolida cordis ſubſtantia caliditate

extranea,

De hectica peſtilenti.

Contra Altimarum.

Quomodo non ſit neceſſarium, vt putredo venefica agat putrefaciendo.

extranea, ideo erit febris hectica. Cum autem præter temperiem lædatur etiam proprietas, quoniam causa agit non modo ratione caliditatis, verum etiam venenositatis, ideò non erit hectica simplex, sed necessario pestilens: Ex his igitur patet quomodo datur hectica pestilens, licet causa non putrefaciat solida.

Q̃uo putredo venefica agit etiã qñque putrefaciendo.

Interdum tamen causa hæc agit in solidam cordis substantiam, non solum calefaciendo, & lædendo cordis proprietatem, sed etiam putrefaciendo; ratioquè hoc dictat: nam si causa hæc vim habet, non modo calefaciendi, & lædendi proprietatem cordis, sed etiam putrefaciendi; & solida cordis substantia ad differentiam spirituum potest putrescere, cur est, quod quandoque etiã non putrescat? cum enim agens sit proximum passo, & quidem disposito, ad differentiam spirituum, cur ergo non introducetur effectus? Veritas hæc colligi potest ex Galeno tertio de præsag. ex pul. 2. vbi vult, calorem pestilentem inuadere modo humores, modo solidum cordis corpus, inter hæc tamen differentiam esse: nam si calor ille cordis humores inuadat æger potest sanari: at si inuadat solidam illius substantiam, impossibile est eum pristinæ sanitati restitui. Quæ enim potest esse (dicit Gal.) spes salutis, si putredo cordis corpus occupauit? quo in loco nõ loquitur de caliditate, nec de proprietate, sed de putredine corpus cordis occupante, ita vt ipsum putrescat. Quod autẽ, si putredo occupet cor non putrefaciendo, sed calefaciendo tãtum, homines possint euadere morbum, manifestum est, quoniam si sit febris putrida, ex qua promoueatur hectica, hæc fiet ratione causæ putridæ calefacientis, non autem putrefacientis, & ideo tunc febris salubris esse poterit. Quare insalubris, & omnino lethalis erit, quando putredo iam occupabit cordis corpus, idest quando ita occupabit, vt agat putrefaciendo, corpusquè cordis putrescat.

Dubitatio.

Nec est, quod quis dicat hoc esse falsum, eo quod corpus cordis ob sui præstantiam stante vita non potest pati putredinem, adductus auctoritate Galeni primo de loc. aff. quinto vbi vult, cor stante vita, non posse affici inflammatione, quod colligitur etiam ex Galeno quinto de loc. aff. secundo. Si igitur cor stante vita non potest affici inflammatione, multo minus poterit pati putredinem: eò quod putredo est vitium pernitiosius inflammatione, nam in inflammatione cor afficitur intemperie calida, mala compositione & tumore. At quando putredine afficitur, tunc corrumpitur propria cordis substantia.

Solutio.

Pro solutione dicendum est, cor pati quidem inflammationem stante vita, sed morbum esse lethalem, præterea dicendum, valde suspectum esse dicere, inflammationem esse vitium minus insigne, quam putredo: eò quod inflammatio occupat totam cordis substantiam: nam intemperies illa calida, & vt ita dicam inflãmatoria facilè per omnes cordis partes permeat, ita vt vniuersum cor inflammetur, quod non est dicendum de putredine, quæ quidem non secundum totum, sed secundum partem tantum afficit cor, & quod maius est, aliquando secundum partem minus præstantem. Itaquè inflammatio est vitium insignius putredine, quia silicet cor vniuersum occupat; putredo autem ipsius particulam, & hanc quidem infirmiorem, minusquè præstantem. Solutio hæc colligi potest ex Galeno quinto de loc. aff. secundo vbi aperte asserit, inter partes cordis differentiam esse, vt earum quædam magis, quædam minus difficulter noxas perferant, & quod hoc sit verum, probatur etiam eiusdem

dem Galeni authoritate, qui dicit quod si cor vulneretur, & vulnus pertingat ad sinistrum ipsius sinum, homines illico moriuntur: si verò ad dextrum, non tàm cito, & si vulnus non penetret ad sinum, sed persistat tantum in carne, homo adhuc tardius moritur. Ex his igitur patet differentiam esse inter vnam partem cordis, & alteram. Ideoq; patet magis periculosam esse inflammationem ipsa putredine exiguam cordis partem, & minus præstantem occupẽte. Propterea moriuntur quidem homines in hectica pestilenti, attamen aliquantisper viuunt. Præterea non dicit Galenus cor non pati inflammationem stante vita, sed dicit vulnerato corde & superueniente inflammatione, homines viuere non posse: non tamen dicit eos illico mori. Hocquè confirmat Gal. dum subdit, non nullos fuisse, qui oborta inflammatione non illico periere, sed quandiu vixere, tandiu fuisse mentis compotes, neque delirasse, contra Arist. qui volebat mentem non in capite, sed in corde residere. Cum igitur homines oborta inflammatione viuant, & quandiu viuunt non delirẽt: ergo stante vita cor potest pati inflammationem, ideo potest contra aduersarios argumentum sic retorqueri, si cor stante vita potest pati inflammationẽ, multo magis potest pati putredinem. Quare constitutum sit ex tali putredine venefica causari febrem pestilentem, modo ephemeram, modo putridam, modo hecticam, & ideo rectè dicit Gal, 1. de diff. feb. 5. omnem febrem pestilẽtem fieri ex putredine. i. ex putredine excellenti venefica, & causa quę sẽper agit calefaciendo, & lędendo proprietates, quandoquè etiam putrefaciendo.

Vnde ex Gal. (quicquid dicat Altimarus) primo de diff. feb. 5. & præcipue 4. & 1. inter initia. Item 3. Epid. 3. 25. & in lib. de cibis boni & mali succi, & alibi talis causa potest esse, & fieri ex causa aliqua, vel interna, vel externa. Vnde non est statuendum febrem pestilentem fieri ex aere tantum: id. n. falsum est. Quando febris pestilens fit ex interiori causa, tunc necesse est hanc esse veneficam. Nec id mirũ videatur: quia vult Gal. 6. de loc. aff. circa finẽ posse generari etiam in corpore venena, & materias valde similes venenis, quæ similitudo in hoc consistit, vt sicut venena necessario proprietatẽ habent contrariã corpori nostro: ita ẽt in corpore nostro gignãtur succi adeo noxij, vt proprietatem habeant corpori nostro valdè aduersariã. Vt qñq; fiat epilepsia qñ occupatur caput, & alij affectus; qñq; etiam occupatur cor, & præsertim si succus hic venenosus sit calidus, & putrefaciens, tunc fieri possunt febres pestilentes, quæ fiunt ex causis internis, succoquè venefico calido ad differentiam illius, qui excitabat epilepsiam. Hoc etiã est quod proponit Aetius in sermone de febre pestilẽti, vbi ait in hac febre ita corrumpi humores, vt corruptio similis sit corruptioni substantiæ venenorũ. Hinc necessariũ est quod febris pestilens semp sit continua, quod facilè potest colligi ex Gal. 4. Aphor. 43. vbi vult febres intermittentes periculo vacare, quia nec fiunt ex inflammatione, nec ex maligna humorum putredine. Cum igitur hæ non fiant ex maligna humorũ putredine, rationi consonũ est, vt asseramus fieri non posse, vt causetur febris pestilens intermittens, quæ sit putrida, qm̃ producitur ab humore non modo simpliciter, sed etiã ad summũ maligno. Nec obstat, quod ex Hipp. 3. Epid. 3. in pestilenti illa constitutione fuerint febres intermittentes: nam non licet hoc modo inferre, est febris in cõstitutione pestilenti ergo est febris pestilẽs; in tali. n. constitutione potest esse febris, & pestilẽs, & nõ pestilens: oĩa nanq; corpora non sunt eodẽ modo disposita, sed horum aliqua afficiuntur, aliqua verò non,

Contra Altimarum.

Causæ internæ.

Respõdetur tacitæ obiectioni.

& ideo quædam possunt etiam affici febre nõ pestilenti, & vos cognoscetis in pestilenti constitutione febres esse pessimas, quia interficiunt. Quando autem loquebatur Hipp. de feb. intermittentibus homines occupantibus in eo pestilenti statu, dicebat illos euadere, & ideo febris non erat pestilens.

Febres pestilentes continuæ sunt vel continentes vel non continentes.

Ex causis itaq; internis, succisq; veneficis fiũt febres pestilentes, quæ necessario sunt semper cõtinuæ: sunt aũt continuæ qñq; continẽtes, qñq; nõ cõtinẽtes, sed potius proportionatæ: sunt continuæ continentes, qñ succi putrescũt in vasis magnis cordi proximis, atq; fit synochus putrida pestilẽs, si aũt succi putrescãt in venis remotis, tunc fit febris continua quidẽ, habens tñ accessiones, quæ tamẽ nunquam deueniunt ad integritatẽ. Sunt & causæ externæ duplices, primũ causæ non necessario occurẽtes, vt venenũ intus assũptũ habẽs vim putrefaciendi, & præcipuè calefaciendi; calefaciendo.n. lædit proprietates, & ita parit febrẽ, & quidem pestilentẽ. Causæ verò necessario occurentes ex Gal. 6. Epid. 2. 29. Item 1. de diff. feb. 4. & alibi desumendæ sunt potissimum ex aere, cibo, & potu. Causa huius febris est aer pestilẽs; ad q̃ quidem producẽdam, necessariũ est illũ esse primũ calidũ, deinde ẽt veneficũ; talis.n. est natura aeris pestilentis, vt silicet affectus sit nõ modo caliditate excedẽte, sed etiã venefica; oportet nanq; ipsum calefacere maximè corpus, & etiam proprietates lædere. Quare aer est non modo calidus, & humidus, sed etiã calidus, & siccus, qualis proponitur à Gal. 1. de diff. feb. 4. vbi vult in constitutione æstuosa aerẽ esse pestilentẽ, in qua aer erat calidus, & siccus; erat tamen talis, qui poterat febrẽ pestilentẽ producere: quoniam aer calidus, & siccus erat veneficus: eo quod cũ illo mixti erant vapores venefici delati ex Aethyopia. Vnde locus ille est rectè intelligendus, quia cũ dicat Gal. fortasse contagij semina fuisse delata in aere, dicendo fortasse, significare videtur semina hæc cõtagij non esse necessaria, & per consequens aerem calidũ, & siccũ etiam citra qualitatem veneficam, & vapores malignos posse esse causam feb. pestilentis, quod nequaquam est dicendum, quia sermo fit de causa, non de occasione: nã ex Gal. loco cit. ex hoc aere excitari potest febris pestilens, si corpora sint maximè disposita: quando silicet sunt repleta malis succis, qui facilè possunt putrescere, & corrumpi. Vnde in æstate potissimum ex Arist. 4. meteor. inter initia vigent putredines ratione caliditatis aeris. Quare ipso existente calido fiunt febres pestilentes, si reperiantur succi in corpore facilè putrescibiles, qui putredinem acquirunt, quæ quodammodo exoritur sumpta occasione à caliditate aeris: non est tamen possibile fieri putredinem hanc ex aere tantum calido, & sicco, sed necessarium omnino est, vt sit etiam affectus qualitate venefica, nisi sint cum eo mixti vapores venefici. Quod dicendum est de aere non solum calido, & sicco; sed etiam de calido, & humido; qui quidem aer calidus, & humidus non est necessario pestilens, nisi cum caliditate, & humiditate iuncta sit etiam venenositas.

Causæ externæ.

Aer.

Aer qũo fiat pestilens.

Potest autem aer reddi veneficus vel ex infernis, vel ex supernis partibus. Aer.n. consideratur vel vt conclusus, vel vt apertus est; si sit conclusus, est veneficus, & pestilens, qualis est aer, qui viget in carceribus, & potissimum tempore æstatis, in puteis clausis, & sepulchris, à quo quidem aere cauendum est, quia est pestilens. Si verò apertus sit, hic inficitur vel ratione ventorum, vel sine ipsis: aerem pestilentem reddunt venti, aut quia nihil, aut *quia aliquid secum deferunt. Si venti nihil ferant, hi sunt venti Australes* cale-

calefacientes,humectantes,aeremquè putrefacientes; dum enim tales venti perseuerant, aerem non modo calefaciunt, & humectant, sed etiam vsquè adeo humectant, vt putrefaciant, atque corrumpant. Si verò aliquid ferãt, possunt esse omnes venti Australes silicet,Septentrionales, Orientales,& Occidentales; Ex Gal.enim primo de diff.feb.4. quando venti aliquid deferunt, dubio procul aerem reddunt pestilentem. Præterea potest infici aer etiam absquè ventis, vt ex locis vicinis infectis,cloacis,aquis fætentibus,cadaueribus incombustis, ex indumentis etiam infectorum, & ex laborantibus febre pestilenti. Quare hinc colligatis febrem hanc esse contagiosam, ita vt contagium fiat ex aere,qui inficitur à patiente & ab indumentis. Vnde hic aduertatis,maximo in errore illos versari,qui putant,contagium fieri non posse absque putredine, quia ex rei natura non progrediuntur. Fit enim & ratione putredinis, & etiam sine putredine, quod verum esse patet: nam de ratione ipsius est,vt fiat inter duo,oportet enim adesse & illud, quod tangit,& illud, qđ tangitur, nempe & agens,& passuum, agens quidem,à quo emanat contagiũ passuum verò quod illud suscipit,oportetquè vt in patiente introducatur affectus similis passioni agentis.v.g.si hoc patitur febrem pestilentem, oportet ẽt, illud talem pati febrem; cum igitur laborans febre affectus sit caliditate, per quam calefacit,si passum reddatur calidum, erit affectum simili dispositione, quandoquidem caliditas illa erit impressa in illo,& per consequens contagiũ dicetur. Nam quemadmodum obseruamus pomum putrefactum putreface re pomum sanum sibi proximum,& hoc dicitur contagium; ideò à simili,si passum afficiatur eadem caliditate, qua afficitur id à quo illa emanat,cur hoc nõ erit contagium?Contagium ergo non consistit in putredine tantum,sed in primis etiam qualitatibus, & non modo in qualitatibus manifestis, siue primis ratione caliditatis,siue secundis ratione putredinis (putredo enim est secũda qualitas)verum etiam ratione qualitatum occultarum,& proprietatis occultę. Nam si quis lædatur secundum proprietatem cordis,& agat in passum, ꝙ similiter ex hac actione deinde afficiatur secundum eandem cordis proprietatẽ,quid aliud erit hoc,quam contagium?non ergo erit ex necessitate putredo. Et ideo dico contagium hac ratione fieri, vt cum in febre pestilenti maximè afficiatur cor, modo secundum spiritus,modo secundum humores, modo secundum solidam substantiam, caliditate, & venenositate,cum necessaria sit expiratio,ratione ipsius aer redditur pestilens,qui redditus calidus,& venenficus, vbi deinde à patiente nondum tali febre laborante inspiratur,ipsiusquè corpus ingreditur est in causa,vt hoc etiam pestilenti febre corripiatur,qm̃ cõtactus eorum est contiguus,talisq; aer agit calefaciendo,& lædendo proprietates,qñq; ẽt putrefaciendo,ita vt similis introducatur affectus;atq; ita fit,vt ex indumentis,ex alijsq; dictis aer alioqui optimus salubrisq; fiat malignus. Præterea infici etiam potest aer ex causis supernis, non quidem ex motu primi mobilis: nam cum ille sit vniformis,continua, perpetuaquè vigeret febris pestilens. Nec etiam ex motu Zodiaci,eò quod necesse esset,vt saltem singulis annis aliquo tempore fieret febris pestilens, quod tamen est falsum. Quare vbi aer inficitur ex supernis causis, tunc, vt puto non aliunde inficitur,quã ex determinatis sydérum aspectibus,& his quidem pernitiosis,licèt nec citra motum, nec citra lumen,sed horum disputationem alijs relinquamus.

Feb. pestilẽs est cõtagiosa.

Quorundam error.

Contagium in quibus cõsistat.

Amplius fit etiam febris pestilens ex cibis, & potionibus prauis, *veluti in*

Cibus & potus.

pænuria annonæ: quo tempore homines coguntur ędere cibaria praua, bibereque vina corrupta, aquas fætidas corruptas: veluti etiam tempore præliorum, quo sepius cogitur exercitus militum comedere, & bibere, quicquid illis præsto est, quamuis illud pessimum esse cognoscat. Vnde hic aduertatis circa cibos, & potus, hoc esse prauos vel aliquibus, vel pluribus: nam tempore inopiæ annonæ, & præliorum plures homines coguntur, velint, nolint, vesci prauis cibarijs, bibereque noxias potiones: & ideo fiet febris, quæ est satis cõmunis, & quæ plures inuadit. Si vero sit copia ciborum bonorum, & potionũ laudabilium tunc pauci sunt, qui corripiantur febre pestilenti, illi silicet tantũ, qui volũt malè se gerere in cibarijs, potionibusque, edendo, bibẽdoq; noxia. Quo ad differẽtias, hæ possunt desumi ex loco affecto, & ex causis: ex loco, si affecti sint spiritus, est febris pestilens ephemera; si autem humores, est pestilens putrida, si verò solida, est pestilens hectica, quæ potest esse & citra putredinem, & cum putredine cordis. Si consideremus causas febris pestilens fit ex causis vel internis, vel externis. Hæc autem febris, antequam inuadat, est præcognoscenda, quoniam tutius est præseruare, quam curare præsertim, quia est pernitiosissima. Hanc igitur vos præcognoscetis ex præsentia causarũ, & ex dispositione passi: ex præsentia causarum, vbi aderit vel aer pestilẽs, vel cibus prauus, vel potio praua, tunc poteritis prædicere fore febrem pestilentem, & potissimum si his accedat dispositio patientis. Sed quomodo cognoscetur ex causis causa præsens & dispositio passi? Causam præsentem vos facile cognoscetis, & præsertim cum immineat febris pestilens ratione vel aeris, vel cibi, & potus. Nam si fiat ratione cibi, & potus aderit penuria bonorũ ciborum, & potuum: aderit tempus penuriæ annonæ, & bellorum, nullumque vitium erit in aere. Sed quando febris pestilens fit vitio aeris infecti ex partibus infernis, si ipse sit inclusus, tunc poteritis prædicere futuram febrem pestilentem, si homines cogantur ibi, in carceribus, in locis, qui sint propinqui sepulchris, puteisque nuper apertis immorari, poteritis etiam prognosticari vẽturam esse febre hanc. Si aer sit apertus, is potest dupliciter infici, vel silicet ratione ventorum, vel citra ventos. Et quocunque modo inficiatur, quando est actu infectus, cognoscetis, quia tunc non ea apparebit aeris claritas, sed potius turbulentia. Et si spectabitis solem eo tempore, quo oritur, obseruabitis ipsum orientem veluti sub nubibus: opacitatem etiam quandam indicantem aeris turbulentiam, & præcipuè si ipse redditus sit calidus, & humidus, quando inficitur ex vicinis partibus. Præterea obseruabitis etiam animalia ex materia putri genita in aere volitantia circa ægros: animalia etiam serpentia quã plurima præter consuetudinem: si exposueritis carnẽ, & panẽ aeri, ea citius solito putrescent. Si aer inficiatur ex locis vicinis, facile colligetur ex cloacis, ex stagnis, ex aquis fætentibus, ex corporibus incombustis. Si verò corrũpatur vitio ventorum, id etiam cognoscetis ex ventis tunc temporis perflantibus, qui quales sint facilimum erit cognitu. Nec etiam difficulter vos non latet, an venti aliquid secum deferant, nec ne: nam si panis, & reliqua aeri exposita cito putrescent, si aer erit turbulentus ac impurus, tunc sunt venti natura Australes, quando autem secum ferunt semina contagij, hæc sunt inuisibilia; & ideo introducunt effectum: nihilq; turbulenti in aere obseruat. Sed qm̃ venti spirant, & prodeũt etiã ex regionibus infectis, ideo hoc est quoque cognoscẽdũ. Interdũ aũt imminet pestilẽs febris ex causis supernis, vt ex

vario

Differentiæ.

Pestilens hectica pôt esse & cũ putredine, & sine putredine cordis.

De signis.
Signa feb. pestil. futuræ.

vario aſpectu ſyderum, ex quo aer inficitur, quam imfectionem oportet cognoſcere antequam fiat, quoniam niſi præcognoſcatur, in maximum vitæ diſcrimen homines deducuntur. Amplius quandoquè febres peſtilentes oriũtur aere etiam puriſſimo exiſtente, nec flantibus ventis, vt non ſit ſuſpicandũ contagia à ventis putrida deferri, ſed quoniam vario ſyderum aſpectu vigẽt putredines in viſceribus terræ, ex quibus propterea aer nondum infectus infici poteſt; tuncque putredo hæc aerem petit, vel per terræmotus; & ideo iſti indicant futuram peſtilentiam, vel etiam ſine his: nam vapores illi geniti ob ſyderum aſpectu petunt ſuperficiem terræ, & aquæ. Hanc autem febrem cognoſcetis, quoniam animalia in latebris degentia inde exeunt, & fugiunt malignitatem illam, & regiones etiam illas. Non orientur plantæ, & ſi orientur, erunt exiles, & facile etiam corrumpentur. Obſeruabitis etiam aquas fieri pinques, putreſcentes, virides, in ipſiſquè mori piſces. Vnde ex vario etiam ſyderum aſpectu illud fit, vt vapores putridi petentes ſuperficiem terræ ſint in cauſa, vt peſtis occupet interdum magis animalia vnius ſpeciei, quam alterius: pro ut vapores illi ſunt vel magis tenues, vel magis craſſi: & in ſumma pro varia horum proprietate, quæ inficiant magis radices vnius, quam alterius plantæ.

Quo ad diſpoſitionem paſſi, diſcordia videtur eſſe inter Galenum & Auicenã. Auicena .n. cap. proprio ait, corpora magis diſpoſita ad febrem peſtilentem eſſe corpora illa, quę habent poros latiores, rationemquè reddit, quia aer peſtilens facilius per tranſpirationem corporis partes ingreditur per meatus apertos. Oppoſitum vero dicit Galenus primo de diff. feb. 4. vbi habet, ſi corpora habebunt poros anguſtos, ſiue obſtructos, ſiue adſtrictos, impoſſibile eſſe vt peſtilenti febre non corripiantur. Arbitror ego non eſſe admodum difficile tantos viros inuicem conciliare; Gal. enim quãdo dicit corpora obſtructa, vel adſtricta eſſe obnoxia febri peſtilenti, non proponit corpora ex lege naturæ denſi habitus, conferendo ea cum corpore laxioris habitus, ſed ea, quæ prę ter naturam ſunt denſa, ideſt quæ patiuntur obſtructionem, vel adſtrictionẽ; nam ſi aer peſtilens inſpiretur à corpore repleto ſuperfluitatibus, quod patiatur vel obſtructionem, vel adſtrictionem, ita vt non poſſit fieri euentatio, nõ nè neceſſario corripietur febre peſtilenti? proculdubio, & plus poterit aer per inſpirationem ingrediens ad excitandam febrem peſtilentem, quam corpus illud obſtructum, vel adſtrictum ad reſiſtendum aeri peſtilenti extrinſecus occurrenti, qui per poros non poteſt ita permeare. Auicena verò more boni interpretis ſupponens dicta Galeni eſſe veriſſima, nempe corpora obſtructa, & adſtricta eſſe peſtilenti febre obnoxia, conſideransquè ſtatum ſecundum naturam corporis degentis in aere peſtilenti illud conferens cum corpore dẽſioris habitus, quod tamen non patiatur obſtructionem, dicit corpora rarioris habitus, & quia ſunt humidiora, & quia promptius admittunt aerem peſtilentem, eſſe magis febri peſtilenti obnoxia, quam corpora denſi habitus, quoniam hæc ſunt potius ſicca, quam humida, & ideo plus reſiſtunt aeri peſtilenti; non enim ita admittunt aerem peſtilentem ingredi per poros cutis. Et ſi aer peſtilens inſpiretur, licèt corpus ſit denſi habitus, quoniam tamen nõ patitur obſtructionem, nec adſtrictionem, de quibus loquitur Galenus, nõ eſt ita apertus habitus talis, vt quod noxium eſt, inde expellatur. Quare nulla eſt diſcordia inter Galenum & Auicenam, ſed dicendum, tempore peſtilentiæ

De diſpoſitione paſſi contradictio

Conciliátio Gal. locus explicatur.

Auic. locus exponitur.

tiæ corpora febri huic magis obnoxia esse, si repleta, si humidiora, si obstructa, & si adstricta sint. Vnde vbi obseruabitis talia corpora tunc pronuncietis, fieri non posse, vel certè maximum imminere periculum, ne in febrem pestilẽtem delabantur.

Signa febris pestil. præsentis.

De signis autem febrem pestilentem præsentem indicantibus agit Gal. potissimum tertio de præsag. ex pul. tertio & quinto, & secundo Epid. primo 29. & tertio Epid. tertio quinquagesimoquinto. Item 9. de simp. med. cap. de terra samia, & 4. Aphor. 48. Item & in lib. de cibis boni & mali succi, sed tam obscure vt non pauci errauerint, & potissimum Altimarus. Præterea ex signis à Galeno propositis non ita facile cognosci potest, an quis detentus sit febre pestilenti, & qua febre, quod omnino sciendum est. Agamus igitur non recedẽtes à Galeno primum de signis indicantibus febrem pestilentem in genere. Hanc ergo primum ex pulsu cognoscetis, qui quidem perpetuo (dicant alij, quicquid velint) non est validus, sed accedens ad debilitatem, & paruitatem. At dicet aliquis, non ne dicit Galenus tertio de præsag. ex pul. 3. in febre pestilenti hectica pulsum esse similem pulsui sanorum? At pulsus sanorum est vehemens & magnus, non debilis & paruus. Quomodo igitur hoc est perpetuum & competit omni febri pestilenti? Pro solutione dicimus, quòd pulsus talis locum habet in omni febre pestilenti, quia febris hæc fit à causa nõ modo calefaciente, sed lædente etiam proprietates, quando autem læditur cordis proprietas, cuius ratione producitur spiritus vitalis, quomodo potest esse pulsus magnus, & vehemens? hoc est quidem impossibile. Quare indicatur febris pestilens ex pulsu, qui nec vehemens, nec magnus est, quia virtus languet. Et hoc potissimum est considerandum respectu aliarum febriũ, idest ephemerarum, & putridarum. Pręterea hanc cognoscetis febrem ex mordacitate caloris, percipietur enim calor mordax valdè modo intensus, modo remissus. Non consideramus suum calorem prout est vel intensus, vel remis⁹, quia quatenus talis indicat potius differentias caloris. Hæcquè mordacitas eò magis percipietur, quò diutius detinebitur manus supra corpus, quæ vincetur à mira caloris mordacitate, quia adest qualitas venefica habẽs in se venenositatem quandam. Insuper hanc febrem cognoscetis ex oculis ægri, qui erunt mutati, siue sit febris ephemera, siue putrida, siue hectica pestilentes; desideratur enim viuidus ille oculorum color, ac splendor, sed apparebunt similes oculis mæstorum, & flentium, quia cum in omni febre pestilenti lædatur cordis proprietas, non potest subministrare spiritus vitales, & copiosos, & bene constitutos pro conseruatione spiritus animalis. Hinc oculi destituti spiritu animali more suo tempore sanitatis non possunt habere viuidum illum colorem consuetum. Indicabitur etiam febris hæc distincta à reliquis febribus non pestilentibus; qñ videbimus eam aggredi hominem, qui conuersatus est cum laborante febre pestilenti. Quò ad signa differentiarum, audiuistis febris pestilentis differentias desumi ratione, & subiecti, & causæ efficientis: ratione subiecti primum, & principaliter occupantur vel spiritus, vel humores, vel solida, vt producatur febris pestilens vel ephemera, vel putrida, vel hectica, vt diximus.

A pulsu.

Dub. circa pulsum.

Solutio.

A calore.

Ab oculis.

Signa febris pestilentis ephemeræ.

Ephemera primum cognoscetur, si ipsa originem duxerit ex aere pestilenti inspirato, rationi enim consonum est, ut ipse spiritus potius afficiat eos alterando. Præterea febricitantes isti sentient se febricitare, ad differentiam laborantium

borantium hectica pestilenti. Conueniunt autem hæ febres inter se, quod tã in hectica quam etiam in ephemera lotium non apparet mutatum, sed simile lotio sanorum; in ipso enim non apparet mutatio nec in colore, nec in substantia, nec in contento. Vnde febres hæ vt plurimum fallunt medicos: & potissimum id verificatur in hectica pestilenti citra putredinem. Differentia tamen est inter illas: nam licèt in ambabus nulla adsint inditia putredinis, in ephemera tamen percipitur febrilis calor, in hectica verò nequaquam, nec etiam hectici delirant: quare oportet plura inditia considerare. Amplius febris hæc terminatur in spatio vigintiquatuor horarum, & vt plurimum ad mortem, quæ quoniam est frequens in Anglia, ideo etiam vocatur sudor Anglicus. Qualis aliquando Romæ grassata est pestilentia, in qua quidem homines videbantur esse sine morbo: attamen in spatio vigintiquatuor horarũ moriebantur copiosissimo cum sudore.

Vnde aduertendum in hac febre spiritus & alterari, & corrumpi. Alterãtur quidem vt colligitur ex Galeno duodecimo meth. quinto, ex qualitate venefica. Corrumpuntur autem, vt ibidem inquit etiam ipse ex immodica euacuatione, ex plurimo sudore, cum quo homines animam emittunt. At licet spiritus corrumpantur, non tamen putrescunt; non enim datur ephemera putrida pestilens. In hac ergo febre alterantur spiritus, & si sit lethalis corrumpuntur etiam; ita vt intra spatium vigintiquatuor horarum moriantur homines. In epheme-ra pestilenti spiritus alte-rantur & cor rumpuntur.

Quo ad pestilentem putridam, hæc indicatur primum, quia aderunt inditia illa communia, sed præterea nisi mens ægrotet, quærelæ aderunt febris, calorquè intus aderit intensus, & foris quandoque, vt ægri nequeant ferre tegumenta. Interdum verò exterius est remissus, ita vt exteriora videantur tepidiora. Preterea aderit inditium putredinis, & putredinis quidem in venis contentæ, nimirum vrina subiugalis, fætidiorquè solito. Insuper aderit fluxus alui colliquatiuus; & ob id ait Gal. 3. Epid. 3. 55. colliquationem esse propriam febrium pestilentium: loquitur quidem de febre pestilenti putrida, nõ tamen de omni, sed de ea tantum, in qua adest fluxus alui, qui quandoquè adest, quandoquè non; sed quando adest est fluxus colliquatiuus, & materię quidem fætentis putridæ. Amplius indicatur febris hæc ex anhelitu foetido, inflammatione gulæ: vnde quãdoque fiunt vlcuscula, propter quæ vix potest æger deglutire, & ideo ipse conqueri solet de difficultate mira deglutitionis; materia enim putrida euaporans partes illas excruciat. Præterea indicatur etiam ex peticulis, ex parotidibus, ex carbunculis, & ex bubonibus pestilentibus: *licèt bubo pestilens possit etiam fieri sine febre*, ex Gal. tertio Epid. 25. vbi vult in pestilenti constitutione aliquibus emarcuisse partes sine febre. *At vbi aderit febris, ex bubonę pestilenti colligetis febrem* esse pestilentem. Inditia putridæ pestilẽti.

Vtrum autem febris putrida pestilens sit continens, nec ne, facile cognoscetis, *quia si erit continens, vnicam habebit accessionem*; si verò non erit plures habebit accessiones, quæ tamen erunt accessiones febris continuæ: propterea quod in hac febre putrescunt in venis non modo materiæ simpliciter; sed etiam materiæ alimentales. Quod cognoscens Aetius dicit vtendum esse *cibis maxime nutrientibus, eò quod dissoluitur alimentum. Nec de* hoc est dubitandum, si enim in hac febre putrescunt humores cordis, languẽt etiam *succi alimentales; differentia tamen est*, quia putredo inuadit modo sã- Signa indicã tia putridam pestilentem esse continẽ tẽ, vel non.

guineos, modo biliosos, modo pituitosos, modo melancholicos succos: quod colligetur ex signis varios humores indicantibus. Et hoc præcipuè poteritis in hac febre obseruare, quod ægri fatebuntur, se non dormine, sed semiuigilare, & illis videri, quod aliquis loco ipsorum edat, bibat, & dormiat, & fortè referent modo esse vnum, modo duos, modo tres, modo rubri, modo nigri, modo flaui coloris, pro parietate succi alimentalis putrescentis.

Signa hecticæ pestilẽtis.

Hecticam pestilentem cognoscetis, quoniam præter id quod aderit pulsus imbecillis, neque valdè patiens conqueretur de febre, mens enim non ęgrotat: vnde isti dicunt se non febricitare; in reliquis autem bene discurrunt. Aduertendum tamen in hac febre lotium non mutari, neq; adesse maculas, nulla denique adesse signa putredinis pestilentis: interdum tamen euenit, vt pulsus sit similis pulsui sanorum ex Galeno tertio de præsag. ex pul. tertio, vbi dicit in hectica pestilenti pulsum esse similem pulsui sanorum: dicimus tamẽ nos (dicant Altimarus & alij quicquid velint) esse commune cuicunque febri pestilenti, vt pulsus non sit validus, nec magnus, & ideo non posse esse similem pulsui sanorum vt inquit Galenus. Vt autem Galenus tueatur dicatis eum ibi loqui non de quacunquè pestilenti hectica, sed de hectica tantum illa, quæ fit incipiendo. Cum .n. ex Galeno ibi, id quod continet solida cordis substantia, sit calidum, quod verò continetur contrariam habeat temperiem: veluti si substantia cordis solida sit calida, substantia contenta erit frigida, & causa illa venefica imprimat caliditatem potissimum in solida cordis substantia, sicque fiat hectica pestilens, ideo ratione caliditatis solidorum cordis, pulsus deberet fieri frequens, & velox, ratione vero frigiditatis contentorum potius tardus, & rarus. Cum aũt substantiæ istæ contrariæ se mutuo oppugnẽt ideo ex ipsis pendet quiddã, ꝙ in mediocritate consistit, fitq; pulsus moderatus, mediumquè quoddam sortitur inter frequentiam, & raritatem, inter velocitatem, & tarditatem. Quare pulsus fit similis pulsui sanorum ratione non magnitudinis, nec vehementiæ, sed medij, quod habet inter velocitatem, ac tarditatem, frequentiam, & raritatem. Et sic nulla amplius est difficultas.

Gal. locus explicatur.

Signa indicãtia an hectica pestilens sit cum putredine an absq; putredine.

Vtrum modo hectica pestilens sit cum putredine, an citra putredinem, vos distinguetis, quoniam, quando adest putredo, præter id, quod pulsus est imbecillimus, dummodo non resistat humorum substantia frigida, & etiam frequentissimus, apparet etiam expiratio oris fætida: quod non obseruatur in hectica pestilenti citra putredinem, ex Galeno tertio de præsag. ex pul. quarto. Quo ad signa differentiarum, quæ desumuntur à causis, febrem hanc facile cognoscetis, fit enim à causis vel internis vel externis, ex relatu assistentium, & ex reliquis.

De præseruatione à feb. pest.

In præseruatione duo respicienda.

His ita constitutis accedamus modo tum ad præseruationem, tum ad curationem. Quò ad præseruationem oportet, vt virtute indicantium, quantum exigit materia progrediamur: dico quantum exigit materia, quoniam in pręseruatione duo oportet respicere, nempe causam, & patientis dispositionem; imminet enim periculum febris pestilẽtis, ratione, & causæ efficientis, & passi dispositionis. Quo ad causam, hæc est duplex, causa videlicet pestilens venefica, & causa calefaciens, putrefaciens, & lædens proprietates. Si consideremus causam prout est calefaciens, ex hac indicatur iuuans refrigerans, sed præseruatiuum: dico præseruatiuum, eò quod febris pestilens potissimũ

ex

ex aere pestilenti fieri potest. Aer autem ex Galeno nono meth. 14. est indicans curatorium, & concurrit tanquam causa sine qua non, ad differentiam temperaturæ, & morbi; omnia enim hæc sunt indicantia. Sed dicet aliquis si aer est indicans curatorium, quomodo ab ipso sumitur indicatio præseruatiua? Dicatis tunc ibi sermonem fuisse de methodo medendi, quam profitetur Galenus in quatuordecim libris meth.med. quæ est ars curatrix, at nunc nos loquimur de præseruatione. Quare vbi sermo fit de arte tuendæ sanitatis, & de præseruatione, cum aer non possit concurrere, vt indicans curatorium, necesse est vt concurrat tanquam præseruatorium, & ideo si consideretur aer pestilens, ex causa hac pestilenti, quatenus calefacit, oritur indicatio refrigerandi. Si consideremus aerem prout habet vim putrefaciendi, hoc ei contingit dupliciter, vel quia calidus & humidus, & in propria substantia putridus, vel quia sit refertus seminibus contagij, ex Galeno primo de diff.feb.4. Quare ratione aeris calidi, & humidi, & putrefacti oritur indicatio refrigerandi, & siccandi: ratione verò aeris venefici referti vaporibus pestilentibus contagiosis oritur indicatio eradicandi; si quidem quod putre est (vt dicit Galenus) omnimodè est eradicandum. Indicatur ergo auxilium eradicans semper, sed præseruatiuum. Postremò si consideremus causam hanc pestilentem qualiscunque sit, quatenus est venefica, & lędens proprietates, ratione huius nulla potest hauriri indicatio.

Dubitatio.

Solutio.

Indicationes præseruatiuæ.

Non possum hic non plurimum mirari, quando audio quosdam sic loquentes; est morbus à proprietate, ergo oritur indicatio remouendi mallam illam proprietatem; quis enim est tam fatuus qui nesciret ita loqui? Hoc autem reprehendens Galenus in lib. ad Thrasib. dicit, quòd non semper in morbis licet haurire indicationes; iuuantia enim inueniūtur modo per indicationem, modo per experientiam, in præsentia autem ommittamus analogismum. Inueniuntur per indicationem, quando iuuantis natura est manifesta: non inuenitur autem per indicationem, quando ipsius materia est occulta, qualis est proprietas, quæ cum sit occulta, ob id non nisi ope experientiæ potest inueniri. Cum itaque nostrum munus sit, ea iuuantia administrare, quæ sunt experimento comprobata, propterea occurendum est refrigerantibus, siccantibus, & eradicantibus, & ijs, quæ à proprietate occulta operari possunt. Ratione autem dispositionis passi ex Galeno primo de diff.feb.3. cum corpus sit dispositum, quia est immundum, ideo oritur indicatio expurgandi diuersimodè, pro diuersitate materiæ, cum præterea dispositum sit corpus, quia est humidius, ideo oritur indicatio exsiccandi, & quoniam corpus est obstructum, vel adstrictum, ob id oritur indicatio, vel deobstruendi, vel laxandi. Sed aduertendum indicantia hæc esse inutilia, eò quod non desumuntur ex indicante, quod sit ex vsu artis; non enim obstructio nec adstrictio sunt ex usu artis, eò quod sublata causa nihil aliud est agendum, propterea quod non habet permanentiam ex vsu artis, quæ egeat auxilio. Quare oritur indicatio, quæ indicat vtile, nempe merito materiæ crassæ attenuandi, ratione viscidæ detergendi, ratione copiosæ euacuandi. Vnde si corpus non sit dispositum, illud ex Galeno debet tale conseruari, nempe si sit mundum, aut siccum debet mundum, vel siccum conseruari.

Cōtra quosdam.

Sed licet nè omnia hæc explere? Aliquando quidem facilè, quandoque difficillimum, interdum impossibile est, hæc autem præcognoscetis perpendendo

Prognostici

do diligenter vim & causæ,& dispositionis passi: si causa sit vehementissima, si passum sit maxime dispositum, vix fieri potest, vt præseruetur patiẽs. At si causa non sit admodum potens, nec patiens sit dispositus, ipse dubio procul præseruabitur. Vnde ait Galenus primo de diff. feb. 3. si corpora non disposita rectè regantur, ea non corripi febre pestilenti: si res medio modo se habeat, medio etiam modo difficilis erit præseruatio.

Curatio Chyrurgia.

Sed quibus occurendum est præsidijs? Primum quo ad sectionem venæ, ad hanc non est confugiendum, nisi adsit indicãs principale, quod nihil aliud est, quam plenitudo insignis. Per plenitudinem insignem non intelligo ego maximam sanguinis copiam, idest plethoram, vt hac tantum præsente expediat venam secare; nam præsente etiam plenitudine notha determinata, communi licet similiter venam aperire. Sed plenitudinem quamcunque siue sit exquisita, siue notha, dummodo tamen sit insignis potestatis, idest possit insignem noxam introducere. Propterea Galenus voluit secandam esse venam non modo quando actu vehemens est morbus, sed etiam quãdo talis imminet. Animaduertendum tamen morbum vehementem imminentem nõ posse esse indicans, quoniam indicatio desumitur à præsenti, non à futuro, neque ab eo, quod non est, & propterea vehementia morbi non est id quod indicat venæ sectionem, sed est signum indicantis venæ sectionem. Quare in præseruatione à febre pestilenti si obseruabitis corpora esse repleta, & imminere febrem pestilentem venam secetis, cùm enim ratione huius plenitudinis periculum est ne febris pestilens superueniat, & ratione etiam corporis maximè dispositi, ideo oportet hanc dispositionem remouere, plenitudo autem hæc est valida, quoniam minatur morbum validum, febrem silicet pestilentem. Ideo vti sanguis indicat auxilium euacuans sanguinem, ita plenitudo hæc sanguinis calida, indicat validũ auxiliũ euacuãs sanguinem; cuius materia nihil aliud est, quam venæ sectio. Quare expedit pro præseruatione secare venã, quantum sit ratione plenitudinis, dummodo tamen hoc permittant ea, quæ permittere debent, ætas videlicet virtus, quæ permittunt in corpore immuni à febre pestilenti. Variæ venæ aperiri debent pro varietate passi, quod debet præseruari. Si verò contingat ætatem non admittere, nec etiam virtutem, tũc supplendum est cucurbitulis scarificatis, atquè hyrudinibus. Quantitas autem & cætera supponatur hic ex alibi traditis. Præterea optimum etiã est vti cauterijs, horum.n.ope assiduè expurgatur materia noxia, ita vt causa per corpus ingrediens, per hos fonticulos exeat.

Pharmacia.

Quo ad medicamenta pro præseruatione, Aluus est conseruanda lubrica variè pro varia natura ægrorum. Et hic semper respicienda diligenter est, & causa, & dispositio passi: nam cum passum præseruandum, vel sit calidioris tẽperamenti, vel recedat à tanta caliditate. (Quod dico de temperamento, idem etiam intelligo de causis præsentibus, quæ possunt tale facere temperamentum, ex Galeno quarto meth. 14. vbi diuidens temperamentum in causas ait, quod temperamentum pendet tum ex alijs, tum ex ætate, & consuetudine, atque etiam aere) ideo in præseruatione, si corpus erit calidioris temperaturæ vtendum erit medicamentis frigidis, vel temperatis, quibus licet etiã vti actu existente febre pestilenti.

Lenientia.

Quare pro lenitione alui plurimum commẽdantur pilulæ Ruffi; cum enim hæ aluum leniant, & corpus ex immundo mundum reddant, & aperiantur; ideo

ideo aduersantur materiæ obstruenti, cumque etiam siccent, ideo aduersantur immodicæ humiditati corporis: resistunt etiam sua proprietate venenis, ita vt muniant proprietates corporis, quæ munitæ possunt deinde melius resistere causæ pestilenti.

Hinc quidam has cuilibet pro præseruatione, sed grauissimè errant. nam licet respiciant causam putrefacientem, & lædentem proprietates, adest tamen causa calefaciens, & dispositio corporis ratione caliditatis. Vnde si vos in corpore temperamenti calidioris, in ætate iuuenili: & reliquis, quę in calido consentiant, dabitis hasce pilulas, plus lædetis ratione caliditatis, quam iuuabitis ratione reliquorum. Quomodo igitur occurendum? lenientibus superfluitates citra caliditatem, & pestilentiæ aduersantibus. Quare consulo, vt nisi prohibeat insignis caliditas vel causæ pestilentis, vel corporis, detis supradictas pilulas, quod dicendum est etiam de reliquis medicamentis. Vnde præparantia debent esse attenuãtia, aperientia, & aduersantia proprietati pestilenti, licebit etiã vti calefacientibus, vt syrupis de corticibus cirri, de betonica, de carduo benedicta, de radice angelicæ, de carlina, & huiusmodi alijs, aperientibus, siccantibus, attenuantibus, abstergẽtibus, malignisquè proprietatibus sua proprietate aduersantibus. Sed aduertatis, ne hæc sint adstringẽtia, hæc enim nõ conueniunt, eo quod ex Galeno primo de differentijs febriũ quarto in his febribus obnoxijs oportet aperire. Si materia erit calida, si passum erit calidum, tunc vtendum est frigidis, de quibus in curatione. Præterea purgandum est corpus etiam electiuę educentibus, mitioribus tamen, vt rhabarbaro, & huiusmodi alijs, pro diuersitate materiæ. Potissimum vero vti expedit alterantibus, & intus, & foris. Quæ interius assumuntur, possunt esse vel frigida, vel calida; frigidis autem tunc vti oportet præcipuè, quando temperatura est calidior, & anni tempus etiam est tale. Calidis verò vtendum, quando corpus non est multum calidum, nec admodum feruet aer, & præcipuè in declinante vel simili ætate. Expedit ergo vti, vt optime monet Auic. Theriaca, & Mithridato, quibus, si corpus erit frigidioris temperamenti, poteritis vti synceris: quinimmò post illa deuorata licebit dare aliquid vini, & quidem aromatici. Contra verò si corpus dispositum vergat ad calidum, detis illas antidotos cum decocto acetosæ, vel endiuiæ, vel sunci, & huiusmodi alijs habentibus vim contemperandi feruorem medicamentorum calidorũ. Præterea licebit etiam vti medicamento illo à Dioscoride approbato, quod dicitur electuarium de nucibus, ex ruta etiam, & aliqui interdum addunt aliquid salis; quoniam à putredine maxime præseruat, poteritis etiam vti medicamento illo mirabili, quod paratur ex scordio; hoc enim maximè præseruat à putredine venefica. Præterea sunt etiam carduus benedicta, dictamum cretense, angelica, ac multa alia simplicia de quibus in curatione febris pestilentis nos difuse agemus. Quidam etiam habent pro maximo secreto, simplex quoddam, de quo forte nihil meminit Dioscorides, quod vocatur herba viperina latinè, qua vtuntur in febribus malignis. Exterius etiam applicari possunt thoraci, cordique sacculi ex melissa, ex calamento montano; ex serpillo, ex aromatis: atque ex aliqua portione vel ambræ, vel musci, vel galię muscatæ: hæc enim siccant, roborantquè cor. Vti etiam licet inunctione ex Theriaca, ex Mitridato, Quidam habent pro secreto gestare arsenicum sub axillis tempore pestilentiæ, quod auxilium non est improbandum. Differentia

Cõtra quosdam.

Purgantia.

Alterantia.

Arsenicum qũo præseruet a peste.

tamen

tamen est, inter vsum Theriacæ, & vsum Arsenici (Quod dico de Theriaca, idem intelligo etiam de Mithridato) nam licèt vtrumq; possit præseruare hominem à febre pestilenti, tamen Theriaca plurimum prodest ratione suæ proprietatis, quæ est similis proprietati cordis. Vnde quando applicatur Theriaca, ipsius vis peruenit ad cor, & fouet proprietatem illius, quæ proprietas vbi accipit robur, si causa deinde pestilens accedat, illam corde arcet. At Arsenicum quia est veneficum, proprietatem habet contrariam proprietati cordis, Vnde ipsum eatenus iuuat, quatenus proprietatem habet similẽ proprietati causæ pestilenti; causa nanq; pestilens est venefica, veneficum similiter est arsenicum. Quare ratione huius similitudinis arsenicum allicit à centro ad circumferentiam causam pestilentem, vt aerem pestilentem per inspirationem attractum. Vnde sicut aer pestilens ope arsenici inspiratur, ita etiã idem ope eiusdem euocatur ratione similitudinis à centro ad circunferentiã. Ex his colligatis non esse præter rationem tempore pestilentiæ thoraci admouere non modo Theriacam, & Mithridatum, sed & olea destillata, quale est oleum serenissimi ac maximi Ducis nostri Ferrariæ, quod vocatur clementinũ; oleum Illustrissimę Cõmunitatis Ferrariæ, quod contra pestem appellatur, ac multa alia olea, & antidota, de quibus nos satis superquè in cura febris pestilentis memorabimus; reperiuntur enim multa olea, & composita ex Theriaca, Mithridato, & alijs simplicibus, quę quidem destillata sunt maxime vtilia, immò magis quam Theriaca, eo quod in ipsis vis theriacæ non est ita ligata, vt in theriaca ipsa, sed est magis libera.

Arsenicũ valet in peste quia habet proprietatẽ veneficam, & cur.

Diæta.

His medicamentis addenda est & victus ratio, circa quam vtiliora tantum proponemus. Primum igitur quo ad aerem, cum supponamus ipsum esse pestilentem, quomodo erit occurrendum? oportet aerem calidum refrigerare, putridum siccare, quinimmò contagia pestilentiæ eradicare, atq; occurendũ est ijs, quæ malæ pestilentis aeris proprietati aduersantur, vt aer ex pestilenti fiat non pestilens. Quæ quidem assequi difficillimum est: nam si volumus vti auxilijs eradicantibus, quibus vtebatur Hipp. qui nemora etiam integra comburebat, vt radicitus euelleret virulentiam illam pestilentem, supponendum est illis non posse vti; quidam.n.dicunt, non reperiri medicos hoc temporæ tantæ authoritatis, quibus liceat nemora impunè comburere; quia id non cõcederetur à principibus. Hoc tamen non satisfacit, quoniam etiam si non liceat nemora cremare, licet tamẽ aerem vnius, vel alterius cubiculi alterare. In hoc ergo non stat difficultas, sed in eo, quoniam dum comburendo eradicamus virulentiam illam pestilentem, aerem calidum reddimus ad huc calidiorem, manifestæ agit ẽt aer ratione cuius qualitatis, & nõ tm̃ ratione occultæ fieri enim potest vt sit calidus, qualis proponitur à Galeno primo de diff. feb. quarto. Attamẽ ad eradicandam putredinem licet vti igne, & huiusmodi, licèt noceant, quatenus calefaciunt; plus enim potest virulentia pestilentis, aeris quam caliditas; vt nisi occurramus, dubio procul excitetur febris pestilens. Cum igitur hæc trahat ad se curationem, & sit eradicanda, oportet alterare aerem cubiculi igne accenso, & facere suffumigia, vt hęc vel semilia,

De aere.

Suffimigia.

Rec. corticum citri exiccatorum lib. 2. calami aromatici, radicis iridis, thuris, masticis ana lib. 1. nucis muscatæ, spicę nardi an. lib. ſ. gariophylorum ℥. 3. ligni aloes, styracis calamite an. lib. 1. ſ. sandalorum rubeorum, luteorum, an. ℥. 4. camphoræ ℥. 1. succini ℥. 1. ſ. macis ℨ. 5. assari ℥. 7. croci g. 20. musci g. 10. misce.

miſce, & contundantur craſſo modo, & ſuper prunas ponantur in medio cubiculi, vel ponatur in ola aliqua parua cum aqua roſarum, & bulliant in dicto medio cubiculi lento igne.

Suffumigiũ pro diuitib⁹.

Aliud ſuffumigium odoratius, & pro diuitibus, & fit hoc modo Rec. aquarum roſarum, florum citri ana lib. 1. ſ. ligni aloes, ℥. ſ. ambracani ℈. 1. ſtiracis calamitæ ℥. 1. belzuini ʒ. 6. muſſi grana 15. miſce & bulliant in ola noua vel vaſe, vt habent diuites, ad hoc parato & fumi per totum cubiculum ſpargantur.

Suffomigiũ pro pauperibus.

Poteſt hoc ſuffumigium pro pauperibus parari, Rec. ladani, gariophylorũ ana ℥. 4. roriſmarini, maioranæ, ſerpilli, ſpicæ nardi, lauendulę ana ℥. 2. miſce, & contundantur craſſo modo, & ſupra prunas ardentes ponantur, vel in ola cum aqua roſacea, vel fluuiali & fiat ſuffumigium vt ſupra, poteſt fieri ex ſtirace calamita, ex cipero, & calamento montano, ex iunipero, quinimmò fiat ignis ex lignis iuniperi, & conſeruetur, vt aer calefiat, ſiccetur, non tamen animo calefaciendi, ſed eradicandi virulentiam illam peſtilentem. Verum quia caliditas prohibet, oportet, vt plura ſint cubicula, expurgata verò peſtilenti virulentia non fiat amplius ignis, nec ſuffimigium ex calidis, ſed fiant euaporationes, & innatationes ex refrigerãtibus, vt ex ſandalis, ex aqua roſacea, ex aceto, ex acetoſitate citri, parentur etiam odoramenta ex frigidis, optimumquè eſt detinere ſpongiam odoratis madefactam in aceto, in aqua roſacea, in acetoſitate citri, & huiuſmodi habentibus proprietatem ſimilem proprietati cordis. Secus eſt agendum, ſi aer ſit frigidior, ſi corpora ſint frigidiora, odoramenta enim tunc fiunt ex odoratis calidis, vt ex muſco, ex ambra, vnde poteritis parare pillam odoratam.

Pila pro hyeme & corpore pituitoſo.

At quia non ſemper conficitur vno & eodem modo, ſed iuxta anni tempus, & cuiuſque temperiem vniuerſalem, ideo hyeme, & corpore exiſtente pituitoſo talis pila cõfici poteſt Rec. cinnamomi, nucis miriſticæ, gariophylorum, myrrhę, ſtyracis, cardamomi, ſampſuci, macis, ligni aloes, ſem. iuniperi, calami aromatici, Iridis illiricæ, bolli armeni orientalis, ana ʒ. 3. belzuini, muſci, ambræ ana ʒ. 1. ladani, ceræ ana q. ſ. m. & cum pauco vino cretico fiat miſtura ſecundum artem, quæ ad libitum in pilas formari poteſt.

Pila pro ęſtate & corpore bilioſo.

Aeſtate & corpore bilioſo pila poteſt confici hoc modo Rec. florum nenupharis, violarum, roſarum ſiccarum, florum bugloſſæ, corticis mali citri, terrę ſigillatæ, ſandalorum alborum, citrinorum, thuris, corallorum rubrorum, ſpodij, carabe, camphoræ, ana ʒ. 3. ſucci portulacę, ſucci arancii, ladani, cerę, an. q. ſ. miſce & cum modico vini odorati fiat miſtura.

Pila pro quocunq; tępore anni & quacunque tęperatura.

Si quis voluerit conficere pilam pro quocunque tempore anni, & quacunque temperatura mediam quandam naturam habens, poteſt hunc in modum formari Rec. florum nenupharis, violarum, roſarum rubrarum bugloſſæ, cinnamomi, gariophylorum, calami aromatici, nucis muſcatæ ana ʒ. 1. corticũ mali citri, terræ ſigillatæ, coriandri torrefacti, ana ʒ. 2. ſandalorum alborum, citrinorum, ſtyracis, bolli armeni optimi, ana ʒ. 2. papaueris albi, maſticis, myrrhæ ana ʒ. 1. ſ. belzuini, ladani, ana ℥. 5. corallorum rubrorum, ſpodij, carabe, ana ℈. 2. camphorę g. 6. ben albi, rubri, ambræ, muſci, ana ʒ. 1. ſucci portulacę, arantij, ana ℥. 2. ſ. miſce & omnia puluerizentur excepto muſco, & ambra, quæ ſeparatim puluerizentur, miſce, & cum cera vino cretico pila formetur.

Saculi, & alia cordialia. Olea & epithemata cordialia mod° conficiendi. Masticatoria cordialia.

Saculi possunt confici ex supradictis in puluerem redactis, species cordiales temperatę, species electuarij de gemmis, species aromatici rosati, omnia ista odorentur, & cordi applicentur, vel miscendo cum oleis, & conficiendo inunctiones, vel cum aquis, & epithemata constituendo.

Masticentur, vel ore detineantur, nõnulla simplicia & composita medicamenta, vt sui proprietate aeri pestilenti possint resistere, vt zedoaria, cardamomum, cinnamomũ, gariophyla, imperatoria & similia, ex compositis vero zucarum rosatum, boraginatum, confectio diarrhodonis, tria sandalorum, diamuscus, diambra & alia similia: Hæc ergo sint satis vt aer sit optimus, & vitiosus corrigatur.

Conseruæ cordiales.

Cibus & potus.

Quo ad cibum, & potium, breuiter eligantur cibaria, quæ corpus non repleant, nec obstruant, nec ipsum humidius reddant. Aduertendum tamen tempore pestilentiæ, & præsertim si non adsit copia aquæ laudabilis, antequam coquatis cibaria cum aqua, vt coquatis aquam modo cum aromatibus, modo cum frigidis, vt cum acetosa, aceto, & huiusmodi.

Indicationes in febre pestilenti actu existēte.

Quare actu existente febre huius ratione oportet refrigerare, & humectare, si autem febris sit putrida, oportet siccare, & de obstruere, & proinde materias crassas attenuare, viscidas detergere, copiosas euacuare. Ratione autem febris, quatenus est venefica, nullæ hauriri possunt indicationes, sed petendæ sunt ex experimento, scribit enim Galenus decimo tertio meth. sexto, omnia quæ agunt à tota substantia esse experientia inuenta, & nono de simplic. medic. fac. capit. de lapidibus inquit, facultates, quæ proprietatis totius substantiæ ratione insunt, à methodo & ratione alienas esse, & per solam experientiam innotescere, ita vt oporteat ratione qualitatis pestilentis occurrere auxilijs à proprietate occulta agentibus experientia inuentis.

Prognostici.

Sed licèt nè hos explere scopos? Si consideremus febrem pestilentem in communi, vos non debetis certam polliceri salutem, & præsertim inter initia, quia morbus est veneficus, nec certos habet motus, sed dolosus est, & sepenumero etiam lethalis, non tamen semper. Quare cum febris pestilens in genere sit vitium aliquando curabile, quandoquè incurabile, iccirco, vt certiores fiamus de hac, oportet digredi circa differentias.

Differentię. Ephemera pestilens in qua non corrumpuntur spiritus est sanabilis.

Primum itaque cum febris pestilens possit esse Ephemera, dummodo non procedat ita, vt spiritus corrumpantur, ipsa est febris quæ curari potest, propterea quod læsio est in spiritibus, & in substantia tenui, quæ occupatur ratione & caliditatis, & proprietatis occultæ; non enim impossibile est extinguere feruorum spirituum & potissimum si cito occurramus, & antequam corrumpantur spiritus, quod fit in sudore illo Anglico, quo copioso existente moriuntur homines, eò quod tali sudori succedit syncopis, quia spiritus dissoluuntur, & corrumpuntur, sed ante horum corruptionem extinguere oportet feruorem, quo opefrigidorum extincto duo consequimur commoda; febrem enim tollimus, imminentemquè spirituum corruptionem

nem prohibemus. Dissipatio nanquè & corruptio spirituum fit ratione non tantum proprietatis veneficæ, verum etiam immodicæ caliditatis. Non est ergo impossibile feruorem illum extinguere, nec malam illam proprietatem eradicare ex Galeno primo de different. feb. quarto, nam ibi loquens Galenus de corporibus obnoxijs, & de ijs, quæ possunt resistere aeri pestilenti dicit, si corpora sint sine & obstructione, & adstrictione, & sint munda, licèt aer sit pestilens, ipsa tamen pestilenti febre non corripiuntur. Ratio est, quia sicuti inspiratur aer pestilens qui est veneficus, ita etiam ipse expurgatur & per caput, & per transpirationem, ita vt non sit impossibile pestilentiam illam eradicare: & ideo antequam accedat corruptio, potest ephemera pestilens curari.

Si autem febris pestilens sit putrida, est quidem maximè periculosa, potest tamen aliquando homo euadere, ex Galeno tertio de præsag. ex pul. tertio, & præsertim est periculosa, si sit putrida verè pestilens. Talem febrem curandam ęgre ego suscepi, quoniam in verè pestilentibus medici experti malunt fugere, quam accedere ad tales patientes; febres enim istæ sunt contagiosę, & vt plurimum lethales; dantur tamen febres pestilentes, quæ non solent grassari cum illis periculis, quæ tamen non sunt verè pestilentes, nec proinde etiam contagiosæ; obseruabitis enim febricitantes istos aliquando mori, assistentes tamen viuere; tunc enim moriuntur solum quando febres sunt verè pestilentes. Sed quomodo potest præcognosci, an febris pestilens futura sit salubris, vel lethalis? Ex propositis in primo libro de cura febrium putridarum in generali. Moneo tamen duo esse potissimum quæ futurā mortem indicant, oculorum videlicet, & pulsus status; si obseruabitis oculos insigniter mutatos, & plus quam deceat pro ratione febris: pulsumquè valdè frequentem citra resistentiam, atq; perseuerantem, pronuntietis, vix fieri posse, vt isti ad sanitatem restituantur.

Putrida pestilens vt plurimum est lethalis, non aũt semper.

Signa lethalia in feb. pestilenti.

Quod si febris fuerit pestilens hectica hæc est duplex vel cum putredine, vel citra putredinem, si sit cum putredine, putrescet solida cordis substantia, & ideo actum est de vita huius ęgri, nam ex Galeno tertio de præsag. ex pul. tertio quęnam potest esse species salutis, vbi putredo iam cordis corpus occupauit?

Feb. pestil. hectica duplex.

Se difficultas est de febre pestilenti hectica citra putredinem cordis, an silicet cor sit affectum à causa pestilenti, quatenus calefacit, & venefica qualitate ipsius proprietatem lędit, non autem quatenus putrefacit.

Dubitatio.

Dicerem ego febrem hanc non esse omnino insalubrem, & proinde posse curari, quod hac potissimum ratione comprobo, quia per pauci sunt, de hac febre tractantes, qui diligenter prognosticentur; & hoc quia non viderunt Galenum exactè de hac materia loquentem. Hic oportet confugere ad fundamentum fundamentorum, idest ad rei naturam; primum itaquè quo ad qualitatem manifestam, idest ad caliditatem febris, hæc non est impossibilis curationis, nam licet admittamus esse caliditatem in habitu, non tamen sequitur eam esse impossibilis curationis; est difficilis quidem, non tamen impossibilis. Quare ratione caliditatis non est omnino desperandum. Quid dicendum de proprietate? læsa est cordis proprietas, quæ lesio nisi tollatur, & in pristinum statum restituatur, nunquam potest tolli febris. Hoc fatemur verum esse.

Solutio.

Vtrum cordis proprietas læsa possit curari.

Inquiramus ergo num proprietas cordis labefactata possit restitui, necne. Arbitror ego hoc esse possibile; ratio est, quoniam læsio proprietatis cordis non est noxa ex vsu artis, experientia hoc docet, eò quod aliqui liberantur, à morbo Gallico, & diuturno, & pertinaci sola inunctione hydargiri: vt omittam aliquos liberari exercitijs etiam solis, solisquè sudoribus. Atqui hydargirum habet proprietatem contrariam proprierati iecoris, & corporis etiam nostri; cum igitur lædat potius iecur, quo ad proprietatem, quomodo expugnat morbum Gallicum? Eradicando virulentiam illam Gallicam, quæ nõ potest, nec potuit eradicari alijs remedijs; & id ratione similitudinis inter proprietatem hydargiri, & proprietatem virulentiæ Gallicæ; cum enim materia illa virulenta sit illud præter naturam, quod exigit remedium, quod est ex vsu artis; Iecoris autem proprietas sit quodammodo ligata ob præsentiam virulentiæ Gallicæ, propterea sublata tali virulentia illico saluta etiam est iecoris proprietas ab omni nocumento. Quare nocumentum illud in proprietate existens non est ex vsu artis, sed ex Galeno logicum. Idem etiam dicendum est de hectica pestilenti, nam cum in hac febre ligata, impeditaquè sit proprietas cordis à præsentia causæ pestilentis veneficæ; cumquè possibile sit eradicare causam illam pestilentem, ideo possibile etiam est febrem hanc extirpare, & hoc colligitur ex Galeno primo de differentijs feb. tertio.

Curatio Chyrurgia.

Quo ad curationem, & primum quo ad chyrurgiam, si secari debet vena, oportet, vt redundet sanguis; redundante enim sanguine oritur indicatio euacuandi ipsum; cum autem plenitudo hæc sit insignis ideo indicat auxiliũ euacuatorium sanguinis insigne. Vnde hoc respiciens Galenus lib. de cibis boni & mali succi in principio improbare videtur potius, quam approbare venæ sectionem in febre pestilenti, quoniam respicit febrem pestilentem occupantem corpora in quibus viget cacochymia, quæ indicat non euacuationem, sed potius purgationem. Quod probo ex eo, quod Galenus ibi dicit in ea pestilentia medicos non secuisse venam, & qui secabant, hi interficiebant, atque maxima cum difficultate vlcus consolidabatur; immo non poterat conglutinari; cum enim pestilentia illa vagaretur tempore caritatis annonæ, quo aderat bonorum ciborum penuria, ideo aderat potius cacochymia, quam plenitudo. Quare in cacochimia nunquam secetis venam, quoniam ex ea non oritur indicatio euacuandi sanguinem. Hinc est quod Galenus voluit tunc in febre pestilenti secandam esse venam, quando redundat sanguis, & hoc ex eodem Galeno colligi potest primo Epid. tertio, vigesimosexto, vbi dicit posse dubitari, cur Hippocr. non secuerit venam; defendensquè illum, inquit, eam fuisse causam, quia Hippocrat. ab initio non fuit accersitus, quibus verbis insinuat Galenus, quod Hippocrates si ab initio accersitus fuisset, venam secuisset.

Quare in febre putrida pestilenti secanda est vena vbi adest plenitudo: eo quod hæc necessario est valida: oportet tamen semper vt adsint permittentia, idest ætas florens, & virtus robusta, quæ tamen rarissime adest. Ratio huius est, quoniam ex Galeno libro de Ratione currand. per venæ sectionem capit. quinto, sanguis fit ex alimento, spiritus autem & virtus ex sanguine conseruatur, sanguis autem in hac febre putrescit, & solida substantia cordis intemperiæ afficitur,

vt dixerit Galenus tertio de præsag. ex pul. tertio in febre pestilenti putrida, pulsus non posse esse prævalidos, quoniam consequuntur intemperiem cordis; in febre enim pestilenti putrida necessario solida cordis substantia afficitur intemperie morbosa. Quare in hac febre, nisi corpus sit robustissimum; consulo, vt à sectione venæ caueatis, & eius loco vtamini vel hyrudinibus, vel cucurbitulis scarificatis, sicut etiã proponit Oribasius lib.Coll.tertio cap. vigesimo in magna illa pestilentia, vbi reffert, seruatos ab ea fuisse eos, quibus copiosus euacuatus fuit sanguis non per sectionem venæ, sed per sacrificationem. Aetius, Paulus, Galenus, & omnes vbi proponunt cucurbitulas simpliciter, intelligunt cucurbitulas non scarificatas; quando vero proponunt scarificationem, nil aliud intelligunt, quam cucurbitulas scarificatas. Sed quando licet venam secare, quantum sanguinis est mittendum? Ex Galeno lib.de rat.cur.per venæ sect.cap.13.præter morbi vehementiam, & præter copiam materiæ oportet etiam considerare virtutis statum. Et quia diximus virtutem in hac febre non esse admodum robustam, ideo consulimus, vt per venam sectam nequaquam extrahatis sanguinem in multa quantitate; nam licet copiosam euacuationem indicet plenitudo, cum hæc sit valida, plus tamen potest virtus ad limitandum hanc quantitatem, & ideo licebit potius supplere cucurbitulis scarificatis.

De quãtitate.

Quamprimum autem secanda est vena, ratio est quoniam si virtus permittit, permittit præcipuè in principio, antequam fiat imbecillior. Quod colligitur ex Galeno primo Epid.tertio 26.ubi excusat Hippocratem dicens, eum non secuisse venam, eo quod ab initio non fuit accersitus; cum autem æger ille obierit in medio tertię diei, & tamẽ noluerit secare venam, quia non accessit in principio, & verissimile sit eum accessisse saltem secũda die, ideo ex hoc significauit Galenus quam primum, prima silicet die, primaquè visitatione secandam esse venam; non enim differendum est auxilium hoc. Quare quando accedetis ad ægros in tertia die, aut in fine secundæ, tunc nullo modo secetis venam, si modo adhibenda est fides Galeno, immo rationi, eò quod virtus deficit; putredo nanquè est in succis alimentalibus, in massa sanguinea, & præcipuè Galenus nono meth. decimo admittit euacuationem sanguinis vsque ad animi defectum; & hoc est notandum; nam eodem lib.cap.quarto dicit euacuationem insignem esse periculosam potissimum in ijs morbis, qui fiunt ex corruptella humorum. In synocho non pestilenti, siuè putrida, siue non putrida licet euacuare sanguinem vsque ad animi deliquum, quia feruet sanguis tantum, vel, quod plurimum est, putrescunt ichores; in corruptela autem humorum non est euacuandus sanguis in multa quantitate, nulli autem dubium est in febre pestilenti adesse corrupellam humorum. Quare quãdo licet venam secare, hoc auxilium non est differendum, & in pauca quantitate euacuari debet sanguis, & præsertim quia ex Galeno vndecimo meth.9. per sectionem venæ nec putredo tollitur, nec obstructio quę in febre pestilenti maximè vigent, & præcipuè insignis putredo summopere vires labefactãs, præsertim cordis proprietatem lædendo.

De tempore

Gal.locus declaratur.

At vbi licet venam secare, debet nè secari apparentibus bubonibus, carbunculis, & papulis siue exantematibus? dicimus quòd transacta secunda die nequaquam licet eam secare, cuius rationem iam vos audiuistis. Verum cum fieri possi, vt bubones appareant ante tertiam diem; immò primum fieri

An secanda vena apparẽtibus bubonibus, carbũculis vel papalis.

ri possit bubo, deinde verò febris; contingereque, quod secunda, immò prima etiam die (hoc ego vidi) appareant papulę, idest maculæ illæ, quas Aetius vocat culices, quæri potest liceatnè his apparentibus venam aperire. Galen⁹ 14. meth. 10. apparentibus carbunculis venam secuit: apparentibusque culicibus admittit Aetius venæ sectionem, & experientia iam comprobatum fuit sanatos fuisse aliquos & plures, quibus secta fuit vena apparentibus papulis, Quare crederem ego non improbandos esse eos, qui prima, vel secunda die; non tamen vltra, dummodo virtus sit robusta, aperiunt venam illis apparentibus, animaduertendum autem apperiendas esse inferiores venas, quod faciendum est etiam apparentibus carbunculis, & maculis illis: Sed aduertendum quòd, quoniam per sectionem venæ attrahuntur per se, & primario succi à centro ad circumferentiam ex Galeno quarto de Tuen. Valet. quinto, ex accidenti vero fit euocatio materiæ à circumferentia ad centrum, oportet vt repetita sit venæ sectio; nam eo tempore, quo desistimus à venæ sectione, potest materia retrocedere moueriquè à circumferentia ad centrum ex Galeno ibidem. Vnde in febre pestilenti cum non liceat venam bis aperire; supponimus enim uires non esse multum robustas, vbi repetimus euacuationem sanguinis, tunc satius est eam repetere cucurbitulis, quam venæ sectione; & ob id si apparentibus maculis istis vena aperiatur, post apertionem illius oportet cucurbitulas applicare, vel aliquo vti remedio materiam extra euocante, prohibenteque ne materia retrocedat. Ego tamen consulo, vt in febre & pestilenti, & non verè pestilenti, cum Oribasio euacuetis potius sanguinem auxilio aliquo mitiori quam sectione venæ, & præsertim quia dicit Galenus quarto de Tuen. Val. quarto cucurbitulas scarificatas, hyrudinesquè hemorrhoidibus appositas tantundem posse, quantum potest venæ sectio, tantum autē possunt, quoniam euacuant totum corpus, licèt non tam celeriter. Quare cum maximè expediat pro sectionæ venę vti cucurbitulis, sanguisugisquè, videamus, quo modo sit procedendum in febre pestilenti.

Opinio authoris circa venæ sectionem dū exātemata apparent.

Quo ad cucurbitulas, hæc possunt euacuare totum, & præsertim si cum Oribasio, & Aetio cap. de cucurbitulis, natibus apponantur, si cum Gal. quarto de Tuen. Val. quarto, & decimo applicentur inferioribus partibus, idest malleolis, & popliti. Crura scarificabant Oribasius, & Aetius, Galenus & Auic. cap. de cucurbitulis, quas diximus libro primo, vbi de cura feb. putridarum in generali ægimus, pestiferum esse pro euacuatione totius ante venæ sectionem in febre putrida & pestilenti, in qua excellens est putredo, dorso apponere, & præcipuè in hac febre pestilenti, in qua maxime afficitur cor, ipsiusquè putrescunt humores, in ipsoquè adest insignis feruor, & ideo debetis cucurbitulas affigere inferioribus partibus; sermo enim est de cucurbitulis gratia euacuationis totius, nam ratione euacuationis partium aliud dicendū est; si enim in febre pestilenti sit euacuatum totum corpus vel per venæ sectionem, vel per cucurbitulas scarificatas affixas inferioribus partibus, & appareant exanthemata, adsitquè delirium, & etiam dolor capitis, ego tunc non improbo, vt applicentur cucurbitulæ dorso; eo quod illæ applicantur gratia euacuationis non totius, quia totum iam est euacuatum, sed partis, ratione papularum, & gratia deriuationis ratione capitis, vel reuulsionis mistæ cum deriuatione. At dicet quis, si mulier vtero gerens correpta sit febre pestilenti, vt non liceat venam secare, quid tunc agendum. Dicimus, quòd cum duo

De cucurbitulis.

Qn̄ pessimū est cucurbitulas dorso apponere.

Qn̄ bonū est dorso cucurbitulas apponere.

X 3 sint

fint auxilia hirudines videlicet & cucurbitulæ ſcarificatæ, de hirudinibus infra agemus: quantum verò pertinet ad cucurbitulas non licet eas affigere dorſo, eo quod affectio eſt in ipſo; minus adhuc inferioribus partibus, quia fieret abortus, in quo quidem periculum eſt mortis nō modo fętus, ſed etiam mulieris, applicentur ergo brachijs. At quis dicere poſſet, hoc non eſſe in vſu: immò dicimus eſſe in vſu apud balneatores, ad quos innumeri accedunt pruritu, & ſcabie laborantes, vt ſibi aponere faciant vel hyrudines, vel cucurbitulas æneas paruas ſcarificatas, & quidem plurimas eodem tempore pluribus partibus. Vnde ſi mulieri grauidæ applicentur brachijs quatuor cucurbitulæ, euacuabitur ſanguis etiam ad libram vnam, ſi ita placuerit, nec vllum imminebit abortus periculum. Quare hoc auxilio occurendum eſt mulieri utero gerenti, hac febre laboranti.

Cui partim mulieris vtero gerentis, cui non liceat venam ſecare, debeant apponi cucurbitulæ.

Idem dicendum eſt de hyrudinibus, nam ſi hæ applicentur hemorrhoidibꝰ poſſunt totum corpus euacuare, proximeque accedunt ad venæ ſectionem. Quare ſi detentus febre peſtilenti occluſas habeat hemorrhoides, quas recluſas habere conſueuerit, non debetis venam ſecare, nec cucurbitulas applicare, ſed potius hyrudines illis partibus, quibus applicantur gratia non modo euacuationis totius, ſed etiam reuulſionis à capite in dolore capitis, & in delirio, cui quidem plurimum prodeſt hoc auxilium. Præterea alicuius ſymptomatis cauſa poſſunt hyrudines alijs etiam partibus applicari; applicantur.n. pòſt aures in temporibus, quandoque etiam, licèt hoc non ſit ita in vſu, naribus, potiſſimum in affectibus capitis, in delirio, vbi periculum imminet phrenitidis, ſed tamen poſt totius euacuationem; experimentoquè comprobatū fuit, quoſdam ope hyrudinum naribus admotarum liberos à phrenitide euaſiſſe, qui ferè deſperati erant; his enim euacuatur caput, & per locum decentem, vnde etiam natura eo ſolet ſe exonerare, per fluxum ſilicet ſanguinis narium, ideò conſulo, vt in his febribus, in pertinaci delirio, vbi imminet phrenitis hoc auxilio occuratis.

De hyrudinibus.

At ſi mulier eſſet vtero gerens in qua non licet hyrudines apponere hemorrhoidibus, debetis has apponere venis brachij; ſic enim euacuabitis ſanguinem citra detrimentum virium, eo quod non ita confertim exit ſanguis, vt in ſectione venæ, ſed paulatim, nec vllum eſt periculum abortus, ſicuti eſſet, ſi ille apponerentur hemorrhoidibus. In feminis præcipuè proponatur auxilium hoc, quoniam cum ex ipſis quædam, nihil aliud habeant carius pulchritudine, & illa quidem fucata, egerrimè & quandoquè nullo modo admittunt ſcarificationem illam in ſuis brachijs; propterea quod fiunt cicatrices, quæ deinde permanent, vnde hæ promptius admittunt hyrudines. Quare conſulo, vt in mulieribus vtero gerentibus occurratis vel cucurbitulis vel hyrudinibus, quibus etiam in pueris, quibus non licet venam ſecare, vti poteritis; eorum enim virtus ſuſtinet hæc leuia auxilia.

In vtero gerentibus vbi applicande ſint hirudines.

Sed præterea licet etiam vti veſicatorijs, quod remedij genus deſumitur etiam ex Galeno quinto meth. duodecimo, dicit enim ibi in peſtilentia illa iuuenem morbo illo correptum, cum ei prorupiſſent vlcera, ſanitati fuiſſe reſtitutum, ſicuti etiam euaſere alij omnes, quibuſcunque in illa peſtilentia vlcera fuerunt excitata, ratio huius eſt, quoniam maligna materia educebatur, & propellebatur per cutim locum ignobilem, & decentem. Addit præterea Galenus patientes illos non modo vlceribus fuiſſe affectos, ſed etiam alicui

De veſicatorijs.

fluore,

Nunquam timendum esse vsum uesicantium & si adsit alui fluor.

fluore, vnde ope & fluoris alui, & vlcerum isti pristinam receperunt sanitatē. Ex quo colligatis in praxi nunquam timendum esse vsum vesicatoriorum, et si adsit alui fluor, eo quod crassior materia per aluum descendit, tenuior verò exit per vesicantia. Verum antequam ad vesicatoria confugiatis, oportet, vt corpus sit maiori ex parte expurgatum, vt saltem lenita sit aluus, copiosaquè materia sit imminuta, vel per venam sectam, vel per cucurbitulas.

Materia ex qua fiunt vesicantia.

Hæc autem vesicatoria sunt facta ex medicamentis acribus, quibus vis in sit humores ex alto foras in superficiem corporis attrahendi, cutem exulcerādi, & vesicas mouendi; materia eadem est quæ septicorum, nempe sinapi, ana cardus, enphorbium, radices scillæ, brioniæ, flammula Iouis, veratrum, & potissimum cantharides. Et quantum ab experientia discere potui, vesicatoria parata ex cantharidibus fiunt cum minori detrimento, tutiusquè operantur, fieriquè debent, quando obseruatur malignitas febris perseuerare. Quare applicetis vesicatoria, quæ citò agant, vt non cogamini repetere hoc auxiliū, vt gratia exempli Rec. cantharidarum præparatarum, euphorbij ana ʒ. 2. fermenti quantum sufficit, misce, & fiant duo vesicatoria ad formam oris ciathi parui extensa supra corium, cui circumponatur diaquilon. Et si feceritis pastā hanc cum aceto scylithico, non improbandi eritis, vel saltem locus fricetur cum cepa scyla; experientia enim sepius per multos annos à me comprobatum est, vesicatorium ita confectum esse præstantissimum.

Vesicantia quibus admouenda sint.

Tempus detinendi vesicantia supra partes.

Admouenda autem sunt hæc vesicantia cruribus, maleolis, brachijs paulo supra carpum, vt possint tangi pulsus: quandoquè etiam post aures potissimū in affectibus capitis, in febre pestilenti, vbi adsit coniunctum delirium perpetuum, gratia deriuationis. Præterea secundum multos hæc hærere debēt parti per horas duodecim, vel saltem decem vt excitetur vesica, medicamentumque operetur: at mea quidem sententia isti decipiuntur, non enim debemus vllum tempus præscribere, ea ratione quia si sint pueri, mulieres, vel habētes carnes molles citius caro excoriatur; secus modo contingit in senibus, masculis, & præcipuè carnes daras habentibus. Vnde hæc regula perpetuo seruetur, vt vesicantia supra partem relinquamus, quandoquè inspiciendo quousquè multæ & magnæ eleuatæ sint vesicæ, quibus excitatis sunt perforandę, vt educatur virulentia illa, deinde imponendum est butirum cum folijs vel brasicæ, vel hederæ. Sed hic diligenter aduertendum, vbi delituerit febris, vt nulla amplius sit opus euacuatione, tunc desistendum esse à butiro & brasica, & occurendum primum siccantibus, deinde glutinantibus.

De cauterijs

Sed quid statuendum est de Cauterijs? & cur in febre pestilenti vtimur potius vesicatorijs, quam cauterijs quæ tamen pro præseruatione mirè sunt approbata? Quoniam vesicatoria celerrimè operantur, excitata enim vesica, & puncta illico excernitur materia noxia: Cauteria autem serius agunt, nēpe post decem & plures etiam dies, febris autem pestilens non est morbus, qui det inducias, sed oportet quamprimum agere, & ob id magis tunc probantur vesicantia, quam cauteria. Aduertatis tamen, aliquando confugiendum esse ad cauterium in febre pestilenti, vel ad pestilentem accedente, quæ interdum grassari solet cum magnis periculis, cum illis enim quandoquè sunt iuncta sæuissima, & ad summum pernitiosa symptomata, & præcipuè somnus ita profundus, vt febricitans nec frictionibus, nec ligaturis, nec vesicatorijs possit excitari; Vnde hoc in casu confugiendum est ad cauterium, quod quidem

paratur

paratur igne actuali,non autem potentiali. Fieriquè debet inter primam, & secundam vertebram ceruicis; & non modo semel, sed bis & ter; experientia enim comprobatum fuit quosdam iam ferè conclamatos, tali auxilio fuisse liberatos,quo quidem vtendum est postquam corpus maiori saltem ex parte fuerit euacuatum: talisquè inustio potius auro quam ferro administrari debet.

Quo ad medicamenta,si febris pestilens sit ephemera, occurendum est medicamento, quod possit refrigerare, & quidem celerrimè; Quare nemo improbare debet serum lactis ad lib.2.vel 3.cum aquæ acetosæ lib.1.vel cum syrupi de acetositate citri,vel de succo acetosæ ℥.2. sic enim extinguetur feruor in spiritibus, ipsiquè præseruabuntur à corruptione, virulentiaquè illa pestilens profligabitur. Vnde in Anglia quando grassabatur sudor ille diaphoreticus cuius vi homines illi moriebantur,Anglici experti fuere frigidam epotam valdè profuisse. Quantum ad febrem pestilentem putridam, huius causa vti oportet lenientibus, præparantibus, purgantibus, & corroborantibus. Pharmacia.

Quo ad lenientia,hæc sint,quæ expurgent superfluitates,& quæ refrigerēt, cum illisquè misceantur aliqua sui proprietate aduersantia virulentiæ pestilēti,& materiæ veneficæ. Quare non improbandus est vsus cassię cum pulpa Tamarindorum, post quorum assumptionem optimum est superbibere decoctum acetosæ. Probatur etiam syrupus ros.sol.cum manna, quæ possunt dissolui cum decocto acetosæ, in quo infusi etiam sint tamarindi. Sed præ cęteris probarem ego serum lactis caprini,vel in huius penuria, serum lactis vaccini ad lib.1.vel 2.cum syr.ros.sol.℥.1.addendo semper decoctum acetosæ, & si singulis alternis diebus dabitur hoc medicamentum, certè maximè subleuabuntur ægrotantes. Quare consulo, vt vtamini sero lactis non modo pro leniente,sed etiam pro attemperante medicamento. Vnde Aetius admittit lac decoctum; Auicena vero lac acetosum. Non improbo clysmata, de quib⁹ actum fuit in cura febris ardentis. Lenientia.

Quo ad præparantia,probantur syrupi de cichorea, de endiuia, de sunco, syr.ros.recens,potissimum verò syr.acetosus simplex,de succo acetosæ, & de acetositate citri. Decocta etiam poterunt fieri ex similibus, & præcipuè ex capillis veneris,ex quinquè folio habente vim attenuandi, & aperiendi citra caliditatem, syrupis enim vtendum est refrigerantibus, aperientibus, atque attenuantibus, atque etiam aduersantibus materię venenosæ, pestilenti. Pręparantia.

Sed difficultas est circa syrupum de succo acetosæ,& alios etiam, quaten⁹ habent vim attennandi, atquè aperiendi. Difficultas est etiam circa syrup. de acetositate citri, præcipuè apud medicos illos,qui sustinent in febre pestilenti abstinendum esse ab adstringentibus; & in hoc optimè sentiunt, sed addunt deinde,cum syrupus de acetositate citri habeat vim adstrictoriam, ideo est suspectus. Quo ad syrupum de acetositate citri mouentur isti non experientia,quia hæc est in oppositum,quod probatur tali exemplo: Capiatis duo oua, vnumquè in succo citri,alterum verò in aceto ponatis,vos obseruabitis per ouum plus penetrare succum citri,quam acetum. Nec etiam mouentur ratione,quia acida substantiam acquirunt tenuem; sapor enim acidus residet in tenui substantia ex Galeno quarto de symp. med. 15. vel 16.istis igitur aduersatur experientia, & ratio, & auctoritas. Quoniam tamen est vnica auctoritas

Dub.circa syr.de succo acetosæ & de acet.citri.

ctoritas Galeni quorto de simp.med. 14. vbi dicit solam acetosam esse acidam sine adstrictione, ideo isti hac sola ducti auctoritate dixere non esse dandum syrupum hunc in febre pestilenti, vtunturquè ratione tali. Si sola acetosa est acida, & non adstringens, ergo acetositas citri est quidem acida, sed est etiam simul adstringens; vt non modo acidus sit syrupus hic, sed etiam vel acerbus, vel austerus. Si ita in superficie intelligatur Galenus aduersabitur quidem experientiæ, rationi, & sibi metipsi: nam eodem libro cap. quinto dicit dari aliquos fructus dulces tantum, aliquos verò acidos tantum. Quare sic ni fallor intelligi debet Galenus, vt sola acetosa sit tantum acida quocunque tempore siue nuper sit orta, siue postea, quod minimè dicendum est de reliquis, fructus enim a Galeno propositi dulces tantum non semper sunt dulces, sed solum post maturationem; quando enim sunt immaturi, sunt acerbi, & amari. Idem dicendum est de acidis; acidi enim tantum ante maturationem non sunt acidi tantum, sed cum aciditate coniuncta est acerbitas, vel austeritas, Quod nõ est dicendum de acetosa, hæc enim sola quocunque tempore est acida tantũ. Quare surupus hic fieri debet ex citro maturo, quia quando citrum est maturum, est acidum tantum, & ideo hoc vti licet in hac febre.

Gal. locus declaratur.

Dubitatio.

Insuper licet etiam vti aperientibus. Sed dicere posset aliquis, sententia est Auicenæ in cura variolarum ad extinguendam ebullitionem, quæ fit in emissione variolarum, vtendum esse non modo refrigerantibus, sed etiam adstringentibus; proponit enim ibi dactilos immaturos, qui quando sunt maturi, sunt dulces, quando sunt immaturi sunt acerbi; Dat etiam omphacium, ꝙ ex Galeno vim habet insigniter adstringẽdi, quod ea vos ratione moneo, quia si quis vtatur leuiter adstringentibus, hic non est improbãdus, leuissima enim adstrictio hæc coniuncta est cũ apertione, ita vt attenuet, & roboret viscera, Auicena verò vtebatur adstringentibus, & validis, vt fortè quidam hac moti auctoritate putent non esse præter rationem inter initia vti aliquo adstringente, vt est succus vuæ acerbæ, syrupus seu rob de ribes, & aliud huiusmodi. Dico inter initia, quoniam Auicena in sermone de variolis in principio vtitur adstringentibus, quæ postea improbantur. Cum igitur illis, vtatur pro extinctione ebulitionis, ideo in febre pestilenti, ubi adest ebullitio, & quidem insignis, inter initia, antequam magis inualescat, licet vti adstringentibus. In primis aduertendum, quòd si sermo fiat de rob de ribes, hoc non est loqui de auxilio, sed de materia auxilij, quæ quidem vim habet quandoque aperiendi citra adstrictionem, quandoque verò refrigerandi, si fides adhiberi debet Serapioni viro alioqui prudentissimo in re medica; ipse enim voluit Ribes esse medicamentum dulce, & acidum tantum. Quare si sermo fiat de medicamento parato ex Ribe maturo non potest habere vim adstringendi. At si hoc medicamentum paretur ex Ribe immaturo, erit materia auxilij adstringentis.

Serapionis sententia de rob de ribes.

Solutio propria.

Nos pro solutione dicimus, in febribus pestilentibus maximè cauendum esse ab adstringentibus; vnde dicit Galenus primo de diff. feb. 3. ea corpora febri pestilenti obnoxia esse, quæ sunt vel obstructa, vel adstricta, ita vt oporteat vel aperire, vel laxare: vtendum igitur aperientibus, non autem adstringentibus.

Ebullitio in sanguine est triplex.

Verum pro intelligentia dictorum Auicenæ. & veritatis explicatione, aduertendum, ebullitionem in sanguine factam triplicem esse posse; vnam quidem secundum naturam; alteram autem præter naturam; tertiam verò par

tim

tim secundum naturam, & partim præter naturam, quam tertiam ebullitionẽ Auicena vocat ebullitionem factam secundum semitam putrefactionis.

Ebullitio, quæ fit secundum naturam fit à calore naturali verbi gratia iecoris agentis in chylum, & sanguificantis, qua mediante gignitur sanguis, producuntur excrementa, quæ à natura deinde segregantur, vt sanguis genitus purus permaneat, quod etiam in musto fieri obseruatur. Prima ebullitio.

Secunda ebullitio fit à calore extraneo, qui agit ad corruptionẽ eius, quod ebullit, vt ob id ratione ipsius, ebullientis rare fiat humidum, quo rarefacto eiusdem etiam calor euocetur, ita vt res bulliens putrescat, tandemquè in cinerem conuertatur, qui est finis putredinis. Secũda ebullitio.

Tertia ebullitio & media fit à calore partim secundum naturam, & partim præter naturam; vt proindè actio sit in sanguine, qui ebullit, cuius ui partim conseruetur, partim corrumpatur, & putrescat. His ita constitutis leuissimo negotio colligi potest, num in febribus pestilentibus vti liceat aperientibus, nec nè; nam cum in ipsa fiat sanguinis efferuescentia, quæ ad ipsius corruptionem tendit, in qua quod segregatur, nequaquam est detinendum, sed omnibus modis propulsandum à centro ad circunferentiam, ob id in hac febre cũ Auicena, & Galeno oportet vti aperientibus. Si autem fiat ebullitio secundum semitam putredinis sicuti fit in generatione variolarum, morbillorumq; dummodo his non sit adiuncta febris pestilens, tunc inter initia licet ad extinguendum feruorem illum vti frigidis, sicuti etiam in febre pestilenti. Sed prę terea ad retinendum id, quod optimum est sanguinis, licet etiam vti adstringentibus, cum nondum facta est ebullitio; & proinde quando fit segregatio illius, quod redditum est excrementitium, non oportet amplius vti adstringentibus, sed aperientibus, attenuantibus, & euocantibus materiam à centro ad circunferentiam, quo modo procedebat Auicena. Vos itaquè in hac febre abstineatis ab adstringentibus, & vtamini syrupis supra propositis. Hoc vnum moneo, cum in febre pestilenti adeo vires concidant, vt ad se alliciãt auxilia, quæ nil aliud sunt, quam alimenta, ob id optimum est, tũc temporis loco syruporũ dare iura alterata cum acetosa, quinque folio, & alijs supra propositis; vt simul materiam præparetis, viresquè roboretis. Tertia ebullitio.

Quo ad euacuantia, hæc possunt esse euacuantia per aluum, per vomitum, per lotium & per poros cutis, in febre pestilenti cum aluus non fluit, nec per alias regiones expellitur materia, tunc optima regio est per aluum, mitioribus tamen vtendum est. Ratio est quoniam fuit sententia Galeni secundo de ratio. vict. duodecimo pharmaca electiuè ducentia accedere ad materiam veneficam. Et quemadmodum venenum proprietatem habet contrariam corpori nostro, ita etiam pharmaca electiuè educentia; vnde cum in febre pestilenti vigeat virulentia illa venefica, quæ occupat proprietatem corporis, nõ decet, magis adhuc lædere ipsam proprietatem mala pharmacorum qualitate. Quare mitioribus est occurendum, vt rhabarbaro, & agarico, & potissimum agarico, quia hoc est medicamentum Theriacale, nedum purgatorium; Item etiam senna, vel polipodio, vel epithimo, & non tantum mitioribus vti expedit, sed & optime etiam castigatis cum refrigerantibus, & à proprietate conferentibus, vt cum succo citri, vel cum decocto acetosæ, vel quinque folij & huiusmodi alijs. Verum cum in hac febre soleant quædam vigere symptomata, quæ ad se trahunt curationem, vt delirium vel pręsens, vel imminens ob id nõ improbo Euacuantia.

probo

probo electuarium de succo rosarum cum manna, & decocto acetosę, quoniã euacuat materiam illam veneficam, quæ iam caput petit. Per vomitum autẽ nequaquam euacuare licet, nisi natura talem tentet euacuationem; tũc enim ipsa debet adiuuari: nam materia putrida, qualis maximè est in febre putrida, nequaquam est per vomitum euacuanda, nisi ad illam inclinet partem, ex Galeno vndecimo meth. nono. Per lotium vero plurimum confert euacuare; vnde in febre pestilenti salutiferum est serum lactis caprini cum emulsione seminum melonum, vnde potest extrahi lac ex seminibus melonum in decocto capillorum veneris, vel acetosæ, quod erit præstantissimum diureticum. Per cutim denique euacuare etiam expedit vt materia illa pestilens euocetur à centro ad circunferentiam, quare optima est inunctio Aetij apparentibus maculis, quæ fit ex oleo communi, aqua communi, & nitro. Atque vti licet hoc auxilio apparentibus papulis siuè motus hic sit criticus, siue sit symptomaticus, siuè etiam sit febris feruidissima, siuè non; dicit enim Aetius hanc inunctionem esse in causa, vt non retrocedat materia, sed potius euocetur, & interdũ ipsius ope excitetur sudor; & quod maius est profunditate sua refrigerat, quæ omnia patent: nam ratione olei, & aquæ communis laxantur partes, vt possit fieri apertio, & potissimum beneficio nitri attenuantis. Vnde cum ratione etiam caliditatis nitri fiat euocatio à centro ad circunferẽtiam partes profundæ refrigerantur, quoniam cum repletæ sint superfluitatibus illis veneficis calorificis, his deinde euacuatis, partes, inquam, profundiores refrigerãtur. Nec obstat dictũ Galeni vndecimo meth. 9. vbi in febre vehementi prohibet quamlibet inunctionem etiam minus calidam, quia respicit materiam non veneficam, sed putridam citra venenositatem. Nec etiam obstat, licet motus hic quandoquè ex toto sit symptomaticus, (nolo enim fugere dicendo motum hunc esse medium inter criticum & symptomaticum, quia potest esse & criticus, & symptomaticus etiam ex toto) quia optimum est ipsum adiuuare, quando fit per loca decentia, sed auxilio debili. Quod autem fiat per loca conuenientia patet, vnde Galenus primo Epid. tertio 19. dicit Sylenum illum ægrotantem vitam produxisse eo quod apparuerant papulæ, & exanthemata, cum tamen esset motus symptomaticus, & ideo etiam illæ perijt; vita tamen producta fuit, quia erat per loca conuenientia, nempè per poros cutis, vnde Galenus sexto Epid. 2. 29. in habentibus cutim laxam probabat balnea, frictiones, & inunctiones. Consulo igitur, vt in febre pestilenti adhibeatis inũctionem Aetij. Sed vt cognoscamus quæ nam debeat esse dosis huius, perpẽdendum est diligẽter qualis sit febris calor in partibus & internis, & externis, si calor sit intensus initus, & foris, poterit præscribi inunctio hoc modo Rec. aquæ communis lib. ſ. olei communis ℥.3. nitri ʒ.2. misce & bulliant ad consũptionem aquæ & colletur, quod insinuat Aetius vbi ait inunctionem esse ex oleo, aqua & nitro pauco admisto. Si autem calor non sit ita intensus, verumtamen occupet partes, & internas, & externas, tunc potest inunctio ita parari, Rec. olei communis, aquæ communis an. lib. ſ. nitri ʒ.ſ.m. & bulliant ad cõsumptionem aquæ & colatur. Quoniam autem potest contingere, quod calor sit in internis partibus, externæ verò sint potius tepidæ, & ad frigidum vergentes, ideo animaduertendum quomodo calor se habeat in interioribus, & si fuerit intensus, tunc potest sic ordinari; Rec. olei communis, aquæ cõmunis an. lib. ſ. nitri ʒ.ſ. misce & bulliant ad consumptionem aquæ, & tolletur.

Formula inũctionis Aetij

Quod

Quod si exteriora frigeant,& in interioribus calor nõ sit multum intensus, tunc potest hunc in modum præscribi Rec.olei lib.s.aquæ ℥.3. nitri ʒ.2. misce vt supra. Sed aduertendum non semper tantam dosim esse præscribendam, sed variè pro vario scopo, seruata tamen semper proportione proposita. Aduertẽdum etiam quod pro aqua communi licet vti aqua acetosæ,& præcipuè si febris sit insignis,& pro oleo communi licet vti oleo amygdalarum dulciũ; & si exteriora frigeant,oleo etiam camomelino,vel anethino, ac aqua florum camemoli, Hac inunctione vti oportet ante prandium, & cenam, non semel tantum, sed bis etiam in die pro necessitate, corpore tamen maiori ex parte euacuato.

Sed his addenda sunt etiam corroborantia, eo quod adest febris, non modo simplex, sed etiam venefica, vt ob id occurrendum sit medicamentis non modo manifestis, verum etiam occultis qualitatibus agentibus, vt acetosa, acetositate sitri,aceto,margaritis,& huiusmodi,de quibus in fine huius tractatus agemus, quæ nota sunt & fęminis ipsis. At qua ratione hoc fiat, & quæ sit horum natura,medici etiam multi ignorant,nedum feminæ ipsæ. Dicit Galenus *6*.Epid.*6*.5.quædam reperiri auxiliãtia, quædam vero aduersantia corpori nostro,aitq; hęc esse duplicia,alia enim euidentibus,alia vero reconditis agunt qualitatibus. Omissis medicamentis secundum manifestas qualitatesagentibus, agemus de ijs quæ secundum occultas tantum agunt, siue sint auxilia, siue non; dicitquè Galenus ea esse tantum purgatoria, vel alimenta,vel deleteria,idest veneficorum auxilia; quæ veneficorum auxilia sũt vel alexiteria,vel alexipharmaca,sic etiã ea appellat Gal.5.de simpl.med.12. Præsidia autem veneficorum sunt in duplici differentia; quemadmodum & venena simpliciter duplicia esse possunt ex Galeno loco citato, vel enim desumuntur ex animalibus,vnde aduersantia morsibus animalium venenosorum dici possunt alexiteria,vel etiam Theriacalia,vel prorumpunt potius ex inanimatis,& aduersantia his vocantur alexipharmaca. Dicit autem Galenus loco citato differentiam esse inter deleteria ex vna parte,atque purgatoria,alexi pharmaca, & alexiteria ex altera partè; nam sicuti alexiteria potissimum assumpta in corpore ad differentiam extra applicitorum nocent tantum, ita contra purgatoria,alexiteria,& alexipharmaca,licèt aliqua ex parte noceãt, ad differentiam tamen deleteriorum etiam prosunt,ad differentiam verò alimenti nocent; alimentum enim semper iuuat, non autem nocet.

Corroborantia.

De robotantibus a proprietate.

Quantum ergo ex Galeno colligitur,alimenta agunt à proprietate occulta & ideo habent proprietatem similem proprietati corporis,quod nutritur, Malefica verò deleteria habent proprietatem contrariam proprietati corporis humani,vt hac ratione illud maximè lædant; Alexiteria autem purgantia habent proprietatem similem proprietatibus humorum excrementitiorum,qui purgandi sunt, & ob hoc habent proprietatem contrariam corpori humano ex Galeno secundo de rat.vict.duodecimo. Alexiteria verò,& alexipharmaca ex Galeno sexto Epid. sexto, quinto mediam quandam habent naturam inter corpus humanum, atquè deleteria; eo quod ipsa,vt dicit Galenus partim lædunt, partim iuuant, Deleteria verò præcipuè intus sumpta lædunt tãtum, ita vt quæ proportio est inter malefica, & alexiteria, eadem etiam sit inter alexiteria,& corpus humanum. Hæc sunt dicta Gal.loco citat. in quibus multiplex clauditur ambiguitas.

In primis Galen. videtur diminutus, quod agens de materia eorum,quæ à

Dubitationes in dictis Galeni. Prima dubitatio.

proprietate agunt, proponat solum alimenta, purgantia, malefica, & maleficorum presidia, Nam ex ipso decimo de simpl. med. cap. de stercore lupi habetur stercus lupinum maximè prodesse in dolore colico, vt illo correptus vi huius liberetur; eidemquè dolori obnoxius præseruetur, quod procul dubio facit à proprietate occulta. Si igitur stercus lupi facit hoc ratione proprietatis occultæ, quæ nam erit materia? non est dicendum esse alimentum, nec venenum, vt patet, nec purgatorium, quia non purgat, nec alexiterium, nec alexipharmacum, quia non aduersatur veneno, dolor enim colicus non est malum veneficum: Si res ita se habet ergo diminutus erit Galenus. Secunda deinde difficultas est circa conseruam acetosæ, & circa conseruam ex acido citri, quibus vtimur & in præseruatione, & in curatione febris pestilentis, oportet enim videre quo modo possint adeò conferre in febre pestilenti, in qua vtendum est alexipharmacis, & aduersantibus venenis, vt possint ab ea correptum liberare; cum enim febris pestilens sit venefica, Acetosa non potest esse tale præsidium quod possit virulentiam illam cohibere eo quod Galenus loquens loco cit. de alexiterijs, & de alexipharmacis dicit, hæc omnino destruere hominem, nisi dentur in paucissima quantitate: Nos tamen damus conseruam huiusmodi in multa copia, videlicet ℥.2. vel ℥.3. quottidie. Quare cum acetosa non sit auxilium, quod aduersetur venenis, ideo non est quod in adeo insigni febre, ea tantum vtamur, vt ob id confugiendum sit ad Theriacã & ad alia validiora.

Secunda dubitatio.

Tertia difficultas circa Thxriacam.

Tertia difficultas est circa Theriacam; qua nam ratione conueniat in præseruatione; Auerroes. n. redarguit medicos, qui in præseruatione ipsam exhibent corporibus sanis, in quibus nullum adest venenum, fundamentum autẽ Auerrois potest desumi ex *dictis* Gal. *6. Epid. 6. 5.* & ex 5. *de simpl. med.* vbi habetur quod theriacalia medicamenta mediam quandam habent naturam in*ter corpus humanum, & venena; & ideo cum proprietatem habeant* mediam aliquo modo contrariam corpori humano, tempore præseruationis, quo nullum adest venenum, lædent potius, si ipsis vtemur, ratione contrarietatis, nec iuuabunt quicquam, quia tunc nullum adest venenum, vnde corpori sano idẽ cõtingere potest ex Theriaca, quod etiam ei euenit ex pharmaco purgatorio quando silicet datur homini in quo non redundant superfluitates; tunc enim ille à tali medicamento maxime læditur, & ob id ait Hipp. corpora sana non esse purganda, eo quod purgans nocet ratione proprietatis contrariæ; nihilquè iuuat, quia nullum adest excrementum, quod debeat purgari. Idem dicendum de Theriaca data tempore præseruationis; hæc. n. lædit, quoniam proprietatem habet contrariam corpori humano, non iuuat, quia nullum adest venenum. Præterea augetur difficultas circa mediam hanc naturam, quoniam Auicena non modo in tractatu de viribus cordis, sed etiam lib. 2. tract. 1. proponens Theriacalia dicit hoc esse commune omnibus, vt conseruent virtutem, complexionemque spirituum, vt his roboratis venenum profligetur. Si ergo Theriacalia roborant virtutem, cõferuntq; ratione complexionis spirituum, & roborant ipsos, quo modo habent proprietatem contrariam? hoc enim videtur impossibile.

Pro huius rei veritate cognoscenda, discurrendum est primum circa proprietates corporis humani, deinde circa proprietates ipsorum corpori humano occurrentium.

Solutio.

Quod attinet ad primũ, supponẽdũ est ex Au. li. de virib. cordis, & ex Gal. 3.

de

de symp.cau.primo proprietatem emanare ex certa quadam,& nobis ignota mistione corporum elementorum, quæ sanè proprietas in corpore humano est duplex; videlicet determinata, vel communis, idest vel partis, vel totius corporis determinatæ quidem variæ sunt pro varietate partium, vnde in ventriculo est proprietas chilificandi, in iecore sanguificandi, in cerebro gignendi spiritus animales, & sic de reliquis partibus est intelligendum, quod cognoscens Galenus quinto de simp.medicam.24.ait,dari medicamenta stomatica, splenetica, capitalia, & huiusmodi alia: nam si dantur medicamenta, quæ à proprietate respiciunt partes determinatas, & iuuant, necesse est ipsa habere proprietatem similem proprietati partium. Proprietas in corpore duplex.

Sed forte dicet quis, cur Galenus loco cit.proponens medicamenta à proprietate agentia,& à proprietate respicientia partes determinatas, non proponit cordialia, de quibus tamen agens Auicena multa proponit loco citato? huic difficultati facilè satisfacimus dicentes, id factum fuisse, quia non erat intentio Galeni omnia illa medicamenta enumerare, sed solum per ipsa ostendere determinatas partium corporis humani proprietates: vnde satis illi fuit, quędam tantum enumerare gratia exempli, vt ex ipsis proprietates illę innotescerent; ideo cum Galenus primo de medic. secundum genera primo dicat, leporem marinum plurimum lædere pulmonem, cantharidas verò vesicam, quod nulla alia de causa fit, nisi quia in istis reperiuntur proprietates aduersantes proprietatibus determinatis partium; lepus enim marinus proprietatem habet contrariam proprietati pulmonis, propterea sicut dantur habentia proprietatem contrariam proprietati partium, ita etiam dantur habentia ptoprietatem similem proprietati ipsarum, in partibus itaquè sunt proprietates *determinatæ & ipsarum propriæ. Verum cum præter determinatam* proprietatem detur etiam communis, quæ quidem est proprietas totius corporis, *à corde emanans per calorem influentem mediantibus spiritibus*, & ideo ipsa basim habet in corde, cuius proprietas est generare spiritus vitales, ideo Auic.proponens cordialia Theriacalia respicientia proprietatem cõmunem dicit, hęc roborare complexionem spirituum cordis quoniam ad ipsos semper hæc dirigit. At Gal.cum loco supra citato agat de medicamentis agẽtibus quidem à proprietate, sed respicientibus tantum proprietates determinatas, proponit tantum stomatica, hepatica, capitalia, splenetica, omittens cordialia, eo quod non respiciunt proprietatem determinatam, sed dirigũtur ad communem, & si Gal.ea proposuisset, fuisset imprudens. Dubitatio. Solutio.

Quod spectat ad proprietatem eorum, quæ occurunt corpori humano, hæc vel iuuant tm̃, vel lædunt tm̃, vel partim lædunt, & partim iuuant. Quo ad ea quæ tm̃ iuuant, hæc sunt vel alimenta, vel medicamenta, aut habent rationẽ vel alimenti, vel medicamenti. Habentia rationem alimenti iuuant ratione proprietatis similis proprietati corporis humani, siuè sit communis, siuè determinata, quod etiam dicendum est, de medicamentis. Sed hic notandũ, quę sit vis proprietatis alimenti, si.n.hęc cõferatur cum proprietate corporis, alimenti proprietas habet rõnẽ passi, proprietas verò corporis habet rõnem agẽtis, vt caro pulli habet proprietatẽ similẽ proprietati ventriculi chylificantis, sed proprietas pulli habet rõnem passi, proprietas aũt ventriculi rõnem agentis. Quo ad medicamẽta, quæ habẽt vim iuuandi tm̃, hæc sunt, quæ respiciũt proprietatẽ, atq; hęc respiciunt vel cõtinentia vel cõtenta. Per continentia intelligo partes corporis, per contenta verò intelligo ea, quæ in corpore continẽtur, Cui cõtraria sit uis Alexiteriorum.

tur, quales sunt calculus in renibus, & virulentia gallica. Hoc itaq; perpetuo verum est vt medicamentum iuuans iuuet ratione proprietatis similis. Sed ad uertendũ hanc proprietatem similem differre à proprietate alimentali, quæ differentia in hoc consistit, quoniam vt proprietas alimenti habet rationẽ patientis, proprietas partis habet rõnem agentis, ita contra, proprietas medicamenti habet rõnem agentis, proprietas vero partis habet rõnem patiẽtis. Veritas hæc colligitur ex Gal. in prin. de alimentorũ facultatibus, licet ibi agat etiam de agentibus per manifestas qualitates; vult tamen differentiam esse inter alimentum, & medicamentum, eo quod alimẽtum vincitur a corpore; medicamentũ verò vincit corpus. At in tali actiuitate dantur gradus, interdũ enim leuis interdum vero summa est actiuitas, quarũ differentiam colligetis ex operatione medicamenti; si.n. medicamentum cito, summa est actiuitas, sicuti in alexiterijs, si verò tardè sanet, leuis est actiuitas vt in Guaiaco. Vtrũ autem intensa, an remissa sit acetosæ actiuitas, suo loco audietis, sufficiat nũc habere tantum hoc, quod si medicamenta iuuantia tm̃ referantur ad continẽtia, prosunt ratione proprietatis similis actiuæ modo intensæ, modo remissæ actiuitatis. At si referantur ad contenta, habent proprietatem dissimilem contẽtis, vt frangentia lapidem habent proprietatem contrariam proprietati lapidis, vt sanguis hircinus. Sed aduertatis differentiam esse inter hęc & purgantia; purgantia enim proprietatem habent dissimilem proprietatibus corporis, similem verò ijs, quæ continentur: at iuuantia tantum habent proprietatem similem continentibus, dissimilem verò contentis, Inter iuuantia tantum possunt etiam connumerari, aurum, hyacinthus, & cordialia ab Auicena proposita. Illa verò, quæ nocent solum ex Gal. loco cit. sunt venena, & præcipuè intus assumpta, vt lępus marinus, argentũ viuum, & cetera huiusmodi à Gal. ibi posita, dicit aũt Gal. pręcipuè intus assumpta, qm̃, qñ exterius adhibentur, possunt prodesse, eo ꝙ rõne similitudinis attrahũt materiã veneficã intꝰ existẽtẽ.

Postremo occurentia corpori, quę possunt esse purgantia, partim iuuãt, partim nocent; nocẽt quidẽ, quia habent proprietatẽ contrariã corpori; iuuãt autẽ, quatenus alliciunt humores excremẽtitios, prauos, & determinatos. Præterea sunt & alia, quæ partim iuuant, partim nocent ob partiũ diuersitatẽ, quatenus videlicet habent partes aliquas similes, aliquas verò ẽt dissimi les, qualis est agaricus, qui etiam dicitur medicamentum Theriacale, vt ob id ingrediatur magnas antidotos. Vltimo reperiũtur, quæ habẽt simplicem proprietatẽ. i. Theriacalia, quæ vt dicit Gal. loco cit. interficiunt, nisi denẽ in pauca admodũ quantitate, cuius rõnẽ reddens, 5. de simp. med. 12. dicit qm̃ hæc ferè oĩa vim habẽt quodãmodo contrariã, vt ea sit proportio inter alexiteria, & deleteria, quæ est inter alexiteria, & corpus humanũ, non habent autẽ hæc Alexiteria proprietatẽ contrariã proprietatibus corporis, vt quidã putãt, sed similẽ; dissimilẽ verò proprietatibus venenorũ. Vnde Auice. loquens de Theriaca lib. 2. tract. 1. cap. 5. dicit alexiteria habere vim corroborandi virtutẽ, & cõplexionẽ spirituũ, & per consequẽs, illis similẽ habẽt proprietatẽ. Cũ igitur aduersentur venenis, hac rõne iuuant, possunt tñ lædere, immò interficere, nisi dentur in ꝗ paucissima quãtitate rõne proprietatis, ꝗ licèt sit similis proprietati corporis, est tñ summæ actiuitatis, vt idẽ sit dicendũ de alexiterijs, & de corporis ꝓprietate, ꝙ dicitur de magna, & parua flãma, quod tñ nõ est intelligendũ de omnibus, cũ dicat Gal. fermè oĩa. Vnde Auerr. 3. coll. 23. excipit citrũ, quod alexiterium, licet detur in multa copia, homines tamen non interficit, vnde & nos

Cui cõtraria sit uis Alexiteriorum.

ex

ex Auerroe ob eandem causam excipere possumus acetosam.

Sed quis fortè quæret, cur excipitur citrum, quod est Alexiterium? Respõ detur, quoniam alexiteria in quibus est proprietas summæ actiuitatis, sunt in duplici differentia; vel.n.proprietatem habent ex toto medicamentosam; vel & medicamentosam, & alimentalem simul, si sint solum medicamentosa, interficiunt homines, nisi dentur in admodum pauca quantitate, At si non sint ex toto medicamentosa, sed partim etiam alimentosa, tunc in multa quantitate sumpta non nocent, vt succus citri, & acetosa. Propterea hæc iurè reponuntur, inter ea, quæ iuuant tantum: & non modo simpliciter, sed maximè etiam iuuant, eo quod sunt maximè actiuitatis, sed tamen perferuntur a proprietate corporis, quia habent coniunctam proprietatem alimentalem.

Alexiteria summe actiua duplicja.

Alexiteria quando in pauca, & qñ i multa quantitate exhiberi possint ac debeant.

Acetosa & citrum iuuant tantum.

Ad rem itaquè redeuntes dicimus, quod alexiteria, quæ non habent adiunctam vim alimentalem, quoniam sunt summæ actiuitatis, ideo dicuntur esse contraria corpori quatenus agens est contrarium passo; quatenus silicet in proprietate corporis exigua est resistentia: in proprietate vero alexiterij insignis est actiuitas. Vnde proprietas in alexiterio (dicant alij quicquid velint) est similis proprietati corporis dissimilis verò proprietati veneni. Quæ veritas ex eo potest etiam comprobari quoniam, quæ sunt vni tertio cõtraria inuicem sunt similia, sed patet alexiteria esse contraria veneno; proprietatẽ corporis esse contrariam veneno, ergo proprietas alexiterij similis esse debet proprietati corporis humani.

His ita constitutis leuissimo negotio possunt dirimi omnes difficultates; nã quo ad primam dico Galenum sexto Epid. non fuisse diminutum, licèt sterc⁹ lupi non possit connumerari inter materias à Galeno ibi propositas, cum de his ibi loquatur, quæ occurunt corpori per proprietates respicientes proprietatem communem totius corporis, non autem determinatam, tenetur tamen ibi loqui tantum de stercore lupi, quia habet proprietatem respicientem proprietatem determinatam corporis. Quare Galenus non fuit diminutus.

Solutio dubitationis primæ.

Quo ad secundam, cur silicet conseruæ ex succo citri, & ex acetosa, licèt sint alexiteria, dentur in multa quantitate, iam dixi acetosam, & citrum esse alexiteria habentia mistam facultatem alimentalem cum medicamentosa, & ob id in eis esse summam vim, vt proponit ẽt Auic. Vnde nec aliam ob causam dicit Gal. alexiteria fermè omnia, nisi quia necesse fuit, vt aliqua exciperẽtur.

Solutio secũdæ.

Facile etiam tollitur tertia dubitatio de Theriaca, nam licet ea sit medicamentum Theriacale vt partim lædat, partim iuuet ob maximam actiuitatem, non lædit tamen, quia habeat proprietatem dissimilem, sed quia habet proprietatem similem proprietati corporis. Ideoquè maxime expedit pro præseruatione vti Theriaca, & Mithridato, sicuti etiam dicebat Auicena.

Solutio tertiæ.

His igitur ita explicatis pro curatione febris pestilentis, & primum quo ad intus assumenda, maximè probamus acetosam, & acetositatem citri: refrigerant enim, siccant, aperiunt, habentquè vim Theriacalem summè actiuam nẽpè facultatem alimentalem permistam, vt nullum in his prorsus sit nocumentum. Sed nec improbo ego folia auri, hiacinthum, margaritas, sunt enim cordialia, atque Theriacalia.

Curatio. Acetosæ, & acetositatis citri vires.

Si haberemus nos terram lemniam bonam, vel bolum armenum bonum; hãc etiam maximè probaremus, Gal. enim vt inquit lib. 9. simpl. med. vsus fuit bollo armeno in illa magna peste Romæ, quem qui acceperat, dummodo curam admitteret, à morbo celerimè liberatus fuit.

Terra lẽnia, vel bolum armenum.

Bolus Vngaricus.

Præterea in Vngaria quoquè reperitur bolus vngaricus, quem vocant bezahar minerale, & hunc certè optimum, dico optimum, quia ego sæpius illo vsus fui maxima cum ægrotantium vtilitate.

Simplicia multa cordialia & Theriacalia enumerantur.

Sunt & multa alia cordialia & theriecalia simplicia, & composita, quæ & intus assumuntur, & extra aplicantur: Simplicia sunt thlapsi, scordium, xilobalsamum, carpobalsamum, lignum Aloes, Myrrha, Stirax liquida, Mastix, Thus, Rosarum succus, Buglossum, Viola, Ninphea, Citri semen, succus, cortex, Punici acidi succus, Arancij acidi succus, Mali citonei succus, Melisophylum, Doronicum, Dictami radices, & folia, Pentaphilon, Torm entilla vulgo, Attractilis hirsutior, alijs Acanthion, vulgo carduus benedicta, Stebe, Scabiosa, Ocimi semen, Os cordis cerui, cor nu cerui, Ebur, Saphyrus, smaragdus, corallus, succinum, camphora, cinamom um, cariophylum, Amomum, crocus, Mosc⁹, Ambarum, Gentiana, Bistorta seu carlina, Zedoaria, Pinpinella, Angelicæ radices, Imperatoria, costum, Acorum, Phu, Meum, Semen ruttæ syluestris, Gentianæ radix, Iunci odorati flos, spicę nardi, Assarum, cornu vnic orni, & Bezahar.

Composita multa corroborantia.

Composita medicamenta humores alterantia, reducentia ad benignum, & roborantia sunt, syru pus buglossi, ex succo aut insus. violarum, Nimpheæ, ex succo oxalidis ex succo malorum persicorum, ex succo limonum, ex succo granatorum, ex cortice citri, ex succo citonei acidi, Melissophyli, electuarium de Gemmis, Diamargariton frigidum, electuarium de ambra elect. exhilarans.

Diamargariton frigidũ electuarium de gẽmis de ambra, exilarans.

Compositio de sanguinibus.

Compositio illa de sanguinibus quæ ponitur à Galeno secundo de antidotis lib. 7. cap. 11. est magnificanda & est hæc videlicet Rec. Piperis albi, longi, costi, acori, croci, phu, mei, ammoniaci dictami cretensis an. ʒ. 2. agarici, amomi, opobalsami, seminis rutæ siluestris, cimini ethiopici, anisi, sanguinis anatis masculi, fęminę, hędini, anserini, qui sãguines sint aridi; seminis buniadis, seu napi syluestris, & eius vice rapæ domesticæ an. ʒ. 3. Radicis gentianæ, trifolij, floris iunci odorati, i dest squinanti, libanoti seu thuris, rosarum aridarũ, phu cretici an. ʒ. 6. florum scordei ℥. 1. mirrhę spice nardi an. ℥. 1. ſ. cassiæ ℥. 1. misce & contundantur, donec in puluerem redigantur, deinde cribrentur, & cum melle despumato fiat elect. secundum artem, cuius alternis diebus vntiam vnam exhibe.

Compositio in gratia regis francorũ.

Est & mirabilis compositio facta in gratiam Regis francorum, quę maximè laudatur, quoniã in ea omnia simplicia medicamenta alexiteria & alexipharmaca ingrediuntur, quæ est videlicet. Rec. Dictami cretensis, gentianæ, Bistortæ seu carlinæ, Tormentillæ, Zedoariæ, pinpinellæ, an. ʒ. 1. croci rosarũ an. ʒ. 5. specierum ellectuarij de gemmis, specierum tria sandalorum an. ʒ. 2. radicum angelicæ, corallorum rubrorum, seminis citri, margaritarum, vnicorni, bolli armeni, terræ sigillatæ an. ʒ. 1. foliorum auri num. 22. puluerizanda subtiliter puluerizentur misce & cum ℥. 13. saccari fiant confectiones in rotullis, cuius sumatur ʒ. 1. manæ & vesperi.

Puluis Bezaharticus.

Puluis Bezaharticus potest confici nunt in modum, Recip. cornu cerui vsti, vnicorni, margaritarum splendidarum, scobis, eboris an. grana 6. misce & fiat puluis subtilissimus ex cocleari sumendus aqua buglossi, vel vino albo dilutus, potest & ex hoc puluere fieri confectio in rotullis hoc modo, Rec. eiusdem pulueris ʒ. 2. saccari albi ℥. 2. m. & prius saccarum disoluatur in aqua rosacea, & postea fiant rotullæ secundum artem.

Alia confectio in rotullis Rec. fragmentorum sapphyri, hyacinti, smaragdi,

marga-

Confectio in rotulis bezahartica.

margaritarum, coralli rubri, an. ʒ. ſ. oſſis cordis cerui, eboris, ſeminis citri, cardi benedicti, tormentillæ angelicæ, doronici an. ʒ. ſ. Terræ ſigillatæ, bolli armeni, an. ʒ. 1. moſci, ambaris ana grana 8. ſaccari albi diſoluti aqua meliſſophili lib. 1. m. & fiat confectio in rotullis.

Conditum corroborãs. Antidotum pro pauperibus.

Conditum poteſt formari hunc in modum Rec. corticis citri conſeruæ bugloſſi, violarum, ſpecierum ellectuarij Diamargariton frigidi, ſpecierum ellectuarij de Gemmis, an. ℈. ſ. ſaccari albi quantum ſufficit, miſce & fiat conditũ ſecundum artem. eſt etiam antidotum mirabile pro pauperibus poſitum à Galeno ſecundo de alimentorum facultatibus cap. de nuce, quod conficitur ruta, nucibus, & ficubus. Sequuntur duo deſtillata quæ humores ad putredinẽ paratos ad benignum poſſunt reducere, & reſiſtunt putredini, vires pariter & corroborant.

PRIMVM DESTILLATVM.

Deſtillatum corroborans primum.

Rec. conſeruæ bugloſſi vtriuſque, violarum, roſarum, nimpheæ, corticis citri conditi an. ʒ. 2. ſpecierum ellectuarij de gemmis, ſpecierum ellectuarij diamargariton frigidi, ſpecierũ ellectuarij ambræ, croci an. ʒ. 2. ſeminis citri, oxalidis, cardui, radicum dictami, pentaphili an. ʒ. 3. iuris caponum lib. 6. miſce, & omnia ſint trita, contuſaquè vaporino vitreo incluſa igni mandentur, vel in duplici vaſe, & ſenſim liquor eliciatur. His nonnunquam perdicum, & turturum, aut etiam nemoralium teſtudinum præparatarum conciſa caro ꝑmiſcetur, cum medulla panis albi excepti, deinde liquoris libra media cum ſaccari vncijs duabus, & cinamomi dracma vna colo tranſmittitur, in vſus affuſa interdum ſemuncia granatorum aut limonum.

DESTILLATVM ALTERVM.

Deſtillatum alterum corroborans.

Rec. endiuiæ, bugloſſi vtriuſque, ſtebes, pentaphili, cardui benedicti, oxalidis, pimpinellæ, betonicæ, ana ʒ. 1. radicum dictami. Betonicæ, ariſtolochię rotundæ gentianæ, doronici romani, an. ℥. ſ. Zedoariæ ſeminum oxalidis, cardui benedicti an. ʒ. 6. Theriacæ, mitridati veteris an. ℥. ſ. Brodij caponis veteris lib. 6. miſce, & per ſublimationem elliciatur deſtillatum ſecundum artem.

Electuarium de ouo.

Conficitur ellectuarium de ouo nuncupatum Maxim. primi Imperatoris à medico Auguſtano deſcriptum, quod eſt contra peſtem præſtantiſſimum remedium cuius deſcriptio eſt talis Rec. ouum gallinæ recens, & educto per apicem albumine, id quod vacuum eſt croco Orientali non pulurizato imple, vitellum non auferendo, poſtea cum alio putamine iterum occlude, ne quid tranſpiret & lento igne, vel poſt fornacem tandiu aſſa in olla, donec tota oui teſta ad nigredinẽ deueniat, exempta è teſta materia, exiccetur, vt in mortario exquiſitiſſime contundi, & in pulverẽ redigi quæat, addendo pulueris ſinapis albi quantum prædicta omnia ponderant, poſtea Rec. pulueris dictami albi, pulueris tormẽtillæ an. ʒ. 2. pulueris myrrhæ, pulueris cornu cerui, pulueris nucis vomicæ an. ʒ. 1. pulueris angelicæ, pulueris pimpinellæ, pulueris granorum iuniperi, pulueris Zedoariæ, pulueris camphoræ an. ℥. ſ. miſce omnia ſimul in mortario, & tandem adde theriacæ optimæ ad pondus omnium, & iterum piſtillo fortiter contunde, & commiſce per tres quaſi integras horas agitando

tando

tando fiat ellectuarium vt artis eſt, ſeruatur in vaſe fictili vitreato per multos annos, datur à ʒ.ſ.vſque ad ℥.1.

Electuarium papæ.

Compoſitum aliud conficitur, quod ellectuarium Papæ vocatur cuius deſcriptio à Guridone ponitur, hoc modo Rec. granorum iuniperi ʒ. 2. ſ. cariophyllorum, macis, nucis moſcatæ, Zinziberis albi, Zedoariæ an.ʒ.2.gentianę tormentillæ, herbæ tunicę, dictami albi, radicum ariſtolochiæ rotundæ, & longæ, an.ʒ.2.ſ.ſaluiæ, ruttæ.balſaminę, mentæ criſpę, radicum chelidoniæ an.ʒ.1 bacharum lauri, doronici, croci orientalis, ſeminum acetoſæ, ſeminum citri, ſeminum ocymi, maſticis, thuris, boli armeni, terræ lemniæ, ſpodii præparati, oſſis de corde cerui, raſuræ eburis, margaritarum præparatarum, corallorum rubeorum, fragmentorum ſaphyri, fragmentorum ſmaragdi, ligni aloes, ſantali muſcellini an.ʒ.ſ.conſeruæ roſarum, conſerуę bugloſſæ, conſerуę nympheę, theriacæ electæ an.℥.1. ſacchari optimi lib. 3. diſſoluatur ſaccharum cũ aqua ſcabioſæ, & roſarum, addendo camphuræ ℈.1. miſceantur omnia vt artis eſt.

Diaſcordiũ fracaſtorij.

Ponitur & a Hieronymo fracaſtorio lib.tertio cap. 7. electuarium quod appellat Diaſcordium & inquit quod hoc feliciter vtitur in quibus Theriaca locum non habet, vt pueris & grauidis, in peſte correptis ac extremè deſperatis, cuius talis eſt deſcriptio Rec.cinamomi, caſſiæ ligneæ an.℥.ſ.ſcordij veri ℥.1.dictami cretici, tormentillæ, biſtortæ an.℥.ſ.galbani, gummi arabici an.℥.ſ.opij ʒ.1.ſ.ſtyracis calamitę ʒ.4.ſ.ſeminũ acetoſæ ʒ.1.ſ.gentianæ ℥.ſ.boli armeni ℥.1.ſ.terræ lemniæ, ℥.ſ.piperis longi, zinziberis an. ʒ.2.mellis albi lib.2.ſ.cõſeruæ roſarum lib.1.vini aromatici lib.5. miſce & fiat ellectuarium ſecundum artem, & inquit ego (quod in medium afferram) non aliud maius remedium excogitare ſcio, quam hoc, quod habet, ſucci luiulæ ℥.2. ſucci citri ℥. 1. Diaſcordij ʒ.2.ſpecierum cordialium, ſpecierum ellectuarij de gemmis an.℈.1. aceti ℥.1.omnia bene miſceto, & totum aurito, quod ſi nihil iuuabit ſcito morbum eſſe maiorem quam humana remedia.

Antidotum Mattheoli mirabile.

Neque ſilentio inuoluam antidotum illud mirabile conficitur à Matthiolo confectum, quod appellat cõtra venena lethalia & peſtem, quod tale eſt Rec. rhabarbari, rhapontici, rad.phu acori, rad.cyperi, quinque folij, rad.tormentillæ, rad.ariſtoloch.rotundæ, rad.pæoniæ, helebori, rad.coſti, iridis, rad. chamæleontis albi an.ʒ.3.rad.galangę, rad.imperatoriæ, rad.dictami albi, rad.angelicæ, rad.millefolij, rad. filipendulæ, rad.doronici, rad.zedoariæ, rad.zinziberis an.ʒ.1.agarici ʒ.3.libanotidis maris, gentianæ, morſus diaboli an.ʒ.2. ſ. seminis mali citri, ſem.viticis, ſem.cocci infectorij, ſem.fraxini, ſem.acetoſæ, ſem. paſtinacę ſylueſtris, ſem.napi, nigellę, ſem.peonię, ocymi, ſem.irionis, thlaſpis ſem.fæniculi, ſem.ammi an.ʒ.2.baccarum iuniperi, baccarum hederæ, baccarum ſmilacis, cubebarum an.ʒ.1.ſ.foliorum ſcordij, fol.chamedryos, fol.chamæpityos, fol.centauri minoris, fol.ſtæcadis, fol.nardi celtici, fol.calaminthę, fol.rutæ an.ʒ.1.ſ.fol.menthæ, fol.betonicę, fol.verbenacę, fol.ſcabioſæ, fol.cardui benedicti, fol.meliſſæ an.ʒ.1.ſ.dictami cretenſis ʒ.3. ſampſuchi, hyperici, iunci odorati, marrubij, galangæ, ſabinę, pimpinellæ an.ʒ.2. caricarum, nucũ iuglandium, piſtachiorum an.℥.3. myrobalanorum empeliticorum ℥.ſ.florum borraginis, florum bugloſſæ, florum roſarum, florum lauendulæ, florum ſaluię, florum roriſmarini an.℈.4.croci ʒ.3.caſſiæ odorate ʒ.10.caryophylorum, nucis muſcatę, macis an.ʒ.2.ſ.piperis nigri, longi, ſantalorum omnium, agallochi an.ʒ.1.ſ.cornu cerui ℥.ſ.vnicorni ʒ. 1. oſſis cordis cerui, ramentorum eboris, virgę ceruinę, caſtorei an.℈.4, terrę lemnię ʒ. 3. opij ʒ. 1. ſ. margaritarum

orien-

Orientalium, ramẽtorum ſmaragdi, ramentorum hyacinthi, coralli rubri an. ℥.1.ſ. cãphuræ ʒ.2. maſticis, thuris, ſtiracis, mirrhæ, gummi arabici, terebenthinæ, ſagapeni, oppopanacis, laſerpitij an. ʒ.2.ſ. moſchi odorati, ambræ an. ʒ.1. olei vitrioli ℥.ſ. ſpecierum cordialium, ſpecierum diamargariton, ſpecierum, diamoſchi, diambræ, ſpiecierum diagemmæ, trociſcorum cãphuræ an. ʒ.2.ſ. de uipera ℥.2. de ſcilla ʒ.2.ſ. ſucci acetoſæ, ſucci ſonchi, ſucci ſcordij, ſucci echij, ſucci bugloſſi, ſucci melliſſę an. lib.ſ. hypociſtidis ʒ. 2. theriacæ electę, mithridatij optimi an. ℥. 6. vini odorati lib. 3. ſacchari albiſſimi li. 8. ſ. fiat elect.

Eſt & electuarium contra peſtem, Ferdinandi Imperatoris quod ponitur ab Auguſtano medico & ſic conficitur, Rec. boli armeni præparati ℥.ſ. raſurę cornu cerui, ſeminum citri, ſem. arantiorum, ſem. limonum an. ʒ.3. dictami albi, cinamomi electi an. ʒ.2. caryophilorum, roſarum rubrarum, coriandri pręparati, ſem. perforatæ, raſurę eboris an. ʒ.1.ſ. xylo aloes, nucis moſchatę, maioranę, granorum iuniperi, oſſis de corde cerui, ſem. aniſi, ſem. perfoliatę, radicũ tormentillæ, rad. ſcabioſæ, rad. bugloſæ, ſantalorum omnium an. ʒ.ſ. ſaphyri, hyacinthi, ſmaragdi, rubini, granati, præparatorum an. ℈. 1. miſce. Electuarium Ferdinandi Imperatoris

Electuarium peſtilentiale vocatum ponitur a Medicis Baſiliẽſibus hoc modo, Rec. radicum angelicæ domeſticæ, radicũ imperatorię, rad. zedoariæ, ſem. angelicæ domeſticæ, granorum iuniperi, rutæ, boli optimi finiſſimi, cinnamomi electi, an. ʒ.2. radicum Angelicæ ſylueſtris, rad. tormentillę, rad. chamæleõtis, carlinæ dictæ, rad. aſclepiadis ſiue chelidoniæ, rad. pinpinellę, rad. morſus diaboli, rad. phu veri domeſtici, acetoſę, ſem. citri, vel limonum, vel arantiorũ, ſem. cardui benedicti, baccarum lauri, foliorum ſabinæ, fol. cardui benedicti, florum lauendulæ, roſarum rub, croci, opij, myrrhæ optimæ, thuris, raſuræ cornu cerui an. ʒ.1. rad. ariſtolochiæ noſtræ vulgaris, rad. gentianæ, rad. acori, ſiue calami aromatici, corticum laureolæ inciſorum, & in aceto per noctem maceratorum, rurſumquè exiccatorum, ſummitatum centaurij minoris, piperis lõgi, maceris, euphorbij an. ʒ.ſ. fiat puluis ad electuarium conficiendum ex eo, cui adde nucum iuglandium non rancidarum, pulpę ficuum optimarum ana ℥.ſ. ſucci acetoſæ, vini præſtantiſſimi an. ℥.1.ſ. ſacchari finiſſimi ℥.3. mellis puriſſimi ℥.16. fiat electuarium. Ad tabulas formandas accipe pro ʒ. 1. puluerum, ſacchari ℥.1. in aqua cõuenienti diſſoluti, fiant tabulæ. De electuario datur ad præſeruationem ʒ.ſ. ſingulis vel alternis diebus; ad curationem vero ʒ.1. Electuarium peſtilentiale medicorum Baſilienſium

Neq; vllo pacto prætermittam Antidotum quod ponitur ab Adamo Lonicero quod certe eſt mirabile, Rec. rad. angelicæ, rad. gentianæ, rad. zedoariæ, rad. tormentillæ, rad. dictami cretici, rad. pinpinellæ, rad. valerianæ, rad. oſtrutij, radic. morſus diaboli, radic. ariſt. rotundę, radic. aſſari, radic. ſerpentariæ, radic. leuiſtici, radic. cardopacij, radic. petaſitidis, herbe, ſcordij, herb. rutæ, herb. cardui benedicti, herb. galangæ (cuius defectu augeatur quantitas ſcordij) florum calendulæ, ſem. citri, ſem. acetoſæ, baccarum lauri, oſſis de corde cerui, cornu cerui præparati an. ʒ.2. croci, maſticis, thuris, ſantalorum omnium an. ʒ.1. cinnamomi, myrrhæ, boliarmeni præparati, terræ ſigillatæ, florum ſulphuris, camphoræ an. ℥.ſ. ſpecierum Diagemmæ cal. & frig. ſpecierum diambræ, ſpecierum cordialium an. ʒ.1. ſucci ſcordij, ſucci calendulæ, ſucci baccarum ebuli an. ℥.1. Theriacæ andromachi ℥.6. mithri dati, electuarij de ouo an. ʒ.2. aquæ vitæ contra peſtem ℥.2. commiſceantur omnia, & cum ſyrupo acetoſitatis citri, vel cum melle deſpumato optimi quantum ſufficit incorporentur ſecundum artem ad formam opiatæ, doſis eſt ʒ.1. ad ʒ.2. pro ætatis Antidotum Adami Loniceri.

tis

tis ratione; Multa alia possem enumerare antidota, at quia omnia simplicia bezahartica, in his recondita esse puto, ideo ea relinquo. Verum aduertatis discrimen esse inter ea, quæ interius assumuntur, & ea quæ exterius applicantur, Quæ enim extra applicantur, nequaquam adstringentia esse debent; quæ verò intus assumuntur, licet modicè adstringant, non sunt tamen improbāda, quando silicet dantur cum aperientibus, & in pauca copia. Hoc colligitur ex Galeno 5. de simp. med. 12. vbi voluit absynthium intus assumptum expurgare, aperire, euacuare; extra vero applicitum nequaquam talia operari: Quare margaritis & id genus alijs intᵒ vti licet. Sed quærere posset aliquis expediat nè Theriaca vti in febre pestilenti, cui respondemus quod si fide dignus est Auic. nequaquā ea vti licet, & ideo ipse capite de præseruatione probat Theriacam, & Mithridatum, in capite verò de curatione, nequaquam, immò dat potius Trochiscos de camphora, vtiturq; refrigerantibus. Attamen accedentes ad vera fundamenta dicimus, quod quantum sit ratione febris pestilentis conuenit Theriaca, quoniam attenuando aperit, siccat superfluas humiditates; maximequè aduersatur causæ pestilenti, roboratquè etiam proprietatē tum communem, tùm etiam determinatam; Conficitur nanquè Theriaca ex pluribus medicamentis, quorum aliqua communem, aliqua determinatas respiciunt proprietates, & ideo est auxilium præstantissimum ratione febris pestilentis, modo tamen adsint permittentia. Videamus ergo an adsint permittentia, & an adsit aliquod prohibens: calor febrilis non prohibet, quoniam cū Theriaca sit medicamentum calidum in primo, & siccum in secundo, ideo caliditatis ratione non prohibetur; sed prohibetur tantum ratione virium, sicuti etiam venæ sectio in synocho, in quo, licet secanda sit vena omnino, non secatur tamen, si talis febris sit in puero, quia ætas puerilis sectionem venæ prohibet. A simili dicendum est quod vires in febre hac labefactatæ Theriacā prohibent, vnde medici in pueris pestilenti febre laborantibus dant scordium, non autem Theriacam, cum tamen scordium sit calidius Theriaca, sed hoc faciunt, quia in pueris languet proprietas, quæ extinguitur ab actiuitate proprietatis Theriacæ, sicuti extingui solet exigua flamma à magna, labefactatur autem proprietas tunc potissimum quando est morbus, in quo viget non modo malignitas, & causa venefica, sed est etiam intemperies in solidis cordis, veluti in febre pestilenti, vt supra diximus.

An liceat vti Theriaca in curātione febris pestilentis.

Propterea si dixit Galenus alexiteria homines interficere, nisi dātur in valde pauca quantitate, hoc est intelligendum præcipuè de corporibus ægre languentibus secundum solida. Atquè augetur discrimen, quoniam dicit Gal. primo de antidotis inter initia, quod ante venenum portio assumpta iuuans nihil facit post venenum, nisi in quadrupla, & in quintupla proportione exhibeatur, nec semel tantum, sed etiam bis in die, vnde necessario extingueretur proprietas, & ex consequenti perderentur homines, & eò magis hoc est intelligendum, quo exquisitior est febris pestilens, quò magis viget malignitas illa, quoniam tunc magis etiam labefactata est proprietas corporis, quare consulo, vt nequaquam Theriacam detis, quod si aliquando ex Theriacæ exhibitione sanati fuere febricitantes isti, in causa huius fuit, vel quia febris illa non erat verè febris pestilens, vel quia Theriaca illa non erat bona, idest non habebat eam vim, quam habere debet bona Theriaca, præterea iudicium est difficile, fortè illi restituti fuere sanitati ob aliquod aliud auxilium. Quando exterius applicanda sunt medicamenta non applicetis adstringentia vt isti

Gal. locus declaratur.

faciunt,

faciunt, qui applicant vnguentum sandalinum, & aquam rosaceam, sed appli cetis refrigerantia sine adstrictione, fiantq; epithemata ex aqua acetosæ, ex acido citri, ex aceto, & huiusmodi, quæ sunt facilia. Sed quid dicendum de Theriaca? quid de oleo Serenissimi Ducis nostri clementino dicto? quid de oleis de scorpionibus Mathioli Illustrissimæ Communitatis Ferrariæ, ac de oleis quæ fiunt ex Theriaca destillata. Si calor in exterioribus sit remissus, vt plurimum solet esse in febribus pestilentibus, tunc hæc applicare licet regioni cordis, & arterijs manuum, & temporum. Verum dicet quis, cur concedis tu Theriacam exterius; intus vero non? respondeo quoniam Theriaca, (quod dico de Theriaca, idem etiam de reliquis Theriacalibus intelligo) intus assumpta celerrimè agit, exterius verò apposita sensim operatur; ita vt proprietas ipsi resistere possit.

Postremo quantum ad viuendi rationem, difficultas tantum est vtrũ liceat vti copiosiore cibo nec nè. Auicena cap. proprio videtur admittere paucum cibum; in quo etiam capite idem videtur concedere copiosum. Galenus in magna corruptione primo Aphor. 17. cibum admittit copiosum. Hippo. contra dicit 2. Aphor. 10. in pura corpora quanto magis nutries, tantò magis lædes. Aetius iubet in febre pestilenti alenda esse corpora cibis copiosis etiam alterantibus, quid ergo agendum? Confugiendum est ad rei naturam, summa adest in hac febre corruptio, & ideo oportet maximè alterare cibaria cum copiosa acetosa, cum copioso citro. Virtus etiam ipsa indicantium regina in hac febre est debilis, & ideo indicat sui custodiam; deficit enim alimentum, eo quod putrescit succus alimentalis, quare egemus etiam cibo alimentali, verum, quia virtus non est robusta, ideo oportet partiri cibum in plures vices, eumquè dare sæpè, & in pauca quantitate, quiq; sit & alimentalis, & medicinalis. Reliqua patent cibaria ex dictis in libro primo, vbi egimus de ratione victus febrium putridarum in generali. Diæta.

Quo ad potum, si qua in febre cauendum est à vino, in hac potissimum est cauendum; adest enim intemperies robusta in solidis cordis, vt maximum immineat hecticæ febris periculum. Propterea potestis succurrere viribus debilibus, destillato, quod plus nutrit, quam vinum, nisi tamen adsit syncopis, nam vbi adest lapsus virium ratione spirituum, tunc eo modo occurrere oportet, quo docuimus in cura febrium syncopalium, Hæc de febribus pestilentibus, dicta sufficiant, post quas cum nihil amplius dicendum supersit, huic tam communi, quam peculiari febrium putridarum tractationi finem imponemus. De potu in febribus pestilentibus.

F I N I S.

ERRATA.

p. principium m. medium f. finem ſignificant.

Pag.3 prin. Alio etiam modo, ordine. leg. alio etiã ordine.
8. m. In generationem autem. leg. in generane autem.
9. m. à quæcunque. leg. à quacunque.
10. p. calefacere. leg. calefacere.
13. m. ad definitionem. leg. ac definitionem.
14. m. hamorum putredioe. l. humorum putredine. Arcangelus Mercenerius. leg. Arcangelus Mercenarius.
15. m. horum ſit mutatio. l. horum ſit mutatio.
17. f. quæ de putrediue. l. quæ de putredine.
18. p. redeintegrari. l. redintegrari.
20. f. & hoc ſatis ſint. l. & hoc ſatis ſit. vel alia ex partem. l. vel alia ex parte.
22. p. vel partium motus. l. vel partim motus.
23. p. aut diſeretæ. l. aut diſcretæ. peccat etiam rationem. l. peccat etiam ratione. m. dicit dare feb. l. dicit dari feb. f. craſſeque. l. craſſaque.
25. m. per ſanguine. l. per ſanguinem.
26. p. aut pituita. l. aut pituitæ. aut melancholia. l. aut melancholiæ. melancholica. leg. melancholia.
28. f. conatus eſt probari. l. conatus eſt probare
32. p. vna tantum. l. vnam tantum. m. Quare non eſt idem. l. quare non eſt verum.
33. m. materiæ mortificæ. l. materiæ morbificę.
38. f. calor ac enſus. l. calor accenſus.
39. m. de inde ſuligo. l. deinde fuligo.
40. f. linguæ nigrenem. l. lingue nigredinem.
44. m. ſuturo enentu. l. futuro euentu.
50. f. vel non poſſit. l. vt non poſſit.
56. m. fectionem venæ. l. ſectionem venæ.
66. f. ſangnineus. l. ſanguineus.
68. p. venæ ſectionem. l. venæ ſectione.
70. p. vel poteſtatem. l. vel poteſtate. m. adeſt præſentiam. l. adeſt prȩſentia. f. cauſæ eſſitientis. l. cauſæ efficientis.
77. m. per cucurbilas. l. per cucurbitulas.
80. p. de Mirebolanis. l. de myrobalanis.
81. p. vigintiquinte. l. vigintiquinque.
82. p. conſeruarenter. l. conſeruarentur.
83. p. & elixationes. l. & elixationis.
84. p. quando vocant. l. quandoque vocant. f. eſt ſeparatas. l. eſt ſeparatus.
95. m. vel infra exient. l. vel infra exiet f. ſuperficietemus. l. ſuperficietenus.
103. m. ęgrotanres. l. ægrotantes. à eſt Gal. l. ex Gal.
104. m. hoc decuiſſe. l. docuiſſe.
108. m. indicati ab affectu. l. indi cari ab affectu.
109. p. à plenitudinem. l. à plenitudine.
112. f. ſitc, onfugiendum. l. ſit, confugiendum.
122. p. ctionis. l. coctionis.
131. m. tertiana extenſæ. l. tertianę extenſę.
138. m. redijs. l. remedijs.
148. p. piperem dederitis. l. piper dederitis. & piperem ſimul. l. & piper ſimul. calida miſce. l. calida miſcere. m. potuit piperem. l. potuit piper.
153. f. ſimpliciter bilioſas. l. ſimpliciter bilioſa;
160. f iecoris, rerum. l. iecoris, renum.
164. m. in febre ardentem. l. in febre ardente.
170. f. ex ſeruore ſpirituum. l. ex feruore ſpirituũ
178. f. vſue ad animi. l. vſq; ad animi.
179. p. hacq; de de cauſa. l. hacq; de cauſa.
181. p. illi vti. l. illis vti. f. paucos ad hinc horis. l. paucis ab hinc horis.
182. f. pituitoſam continua. l. pi tuitoſam continuam.
183. m. ſed quòd hoc ſit ſalſum. l. ſed quòd hoc ſit falſum.
184. p. viro ſimilem: l. vitro ſimilem.
194. f. quæ eſt quidem intermittes. l. quæ eſt quidem intermittens.
201. m. mortis prȩſent antæ. l. mortis præſentaneæ. ventrem infericrem. l. ventrem inferiorem.
202. m. corrumpuntus ſpiritus. l. corrumpuntur ſpiritus.
210. p. autumali tempore. l. autumnali tẽpore.
212. m. in fallor. l. ni fallor.
214. m. miſcendem eſſe. l. miſcendum eſſe. eſſet attenuas. l. eſſet attenuans. p. Diatriõ piperior. l. diatrion piperion.
217. p. grauirer. l. grauiter.
218. m. excractæ. l. extractæ.
226. m. ut ob id hanc cauſam. l. ut ob hanc cauſam.
227. p. lædantur proprietas. l. lædatur proprietas. m. intendum contingere. l. interdum contingere.
232. p. fiet ſebris. l. fiet febris.
233. p. pinques. l. pingues.
236. p. pro parietate. l. pro proprietate.
239. p. Hinc quidam has. l. Hinc quidam exhibent has.
245. f. corrupellam humorũ. l. corruptellam humorum. fieri poſſi. l. fieri poſſit.
248. m. carnes daras. l. carnes duras.
249. f. vim attennandi. l. vim attenuandi.
250. m. quare ſurupus. l. quare ſyrupus.
252. f. initus, & foris. l. intus & foris. & tolletur. l. & colletur.
258. f. nunt in modum. l. hunc in modum.
260. m. conficitur à Mathiolo confectum. leg. à Mathiolo confectum.

ERRATA.

[illegible]

Pag. [illegible] lin. [illegible] [illegible]
8. m. [illegible] autem. leg. in gradu [illegible]
[illegible] leg. [illegible]
[illegible] leg. calcisacere.
[illegible] m. ad [illegible] leg. ac [illegible]
[illegible] m. [illegible] potestate. l. [illegible]
[illegible] Strangulat [illegible] leg.
[illegible] Strangulat Mercurio.
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] l. [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] l. [illegible]
[illegible]
[illegible] p. [illegible] melancho[illegible]
[illegible] melancho[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
66. [illegible] l. [illegible]
68. p. [illegible]
[illegible] p. [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] m. per [illegible] l. per [illegible]
[illegible] p. de [illegible] l. de [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] l. [illegible]
[illegible]
[illegible] l. docilis.
[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] p. [illegible] l. piper [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] ad animi l. [illegible] ad animi.
[illegible] l. [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] continua. l. [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] l. [illegible]
[illegible]
[illegible] l. contingere [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] l. corruptio [illegible]
[illegible] Rech roth [illegible]
[illegible] l. [illegible]
[illegible] l. vim [illegible]
[illegible] l. quare syrupus.
[illegible] l. [illegible] & focus, & colletur.
[illegible]
[illegible] l. hunc in modum.
[illegible] Machiolo confectum. leg. a Machiolo confectum.